Digitized by Google

K(1)
2113
B 4
v. II

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2113
B 4

MARCI HIERONYMI
V I D Æ
C R E M O N E N S I S
A L B Æ E P I S C O P I

POEMATUM OMNIUM
V O L U M E N II.

Cui, mantiſſæ loco, acceſſerunt

EJUSDEM AUCTORIS DIALOGI

DE REIPUBLICÆ
D I G N I T A T E.

Et alia, de quibus dictum eſt in Epiſtola ad Lectorem I. Volumini præpoſita.



P A T A V I I. CIƆIƆCCXXXI.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS
Superiorum Permiſſu.

KON. NED.
BIBLIOTHEEK
TE 'S HAGE.

Digitized by Google

M. HIERONYMUS VIDA

S. D.

SENAT. POP. PLEBIQUE

CREMONENSI.

SI vos, liberique veſtri valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Numquam, Patres optimi, viſus ſum mihi ex meis vigiliis uberiorem fructum cepiſſe, quam nuperrime ex literis veſtris, quas ad me publice miſiſtis, jure veſtro poſtulantes, ut Libros quos de Arte Poetica hexametris conſcripſiſſem, ad vos tranſmitterem, quo liberi veſtri his lectis, aut doctiores fie-

Inter Archivii Cremonæ monumenta, nempe in Regeſtis ſignatis D. D. annorum 1519. 20. 21. 22. *cum mihi ad manus venerit ſequens Epiſtola noſtri Vidæ agens de ejus Poetica, hic eam placuit ſubtexere.* Franciſcus Ariſius Cremonæ Literatæ pag. 114. T. II.

Digitized by Google

fierent, aut exemplo domeſtico promoti ad ea ſtudia magis inflammarentur. Ego vero, tametſi hujuſcemodi Operi ſummam manum jampridem impoſuiſſem, tamen conſilio, ut ego quidem arbitror, uſus optimo, nondum id vulgare decreveram; ſcio enim quam periculoſum ſit de re tam varia, tam difficili, atque ardua ſcribere his præſertim temporibus, quibus tot præclara ingenia liberalitate Leonis X. Pont. Max. invitata emerſerunt, emerguntque in dies, ut artes mihi ipſa injuria temporum jamdudum exſtinctæ, videantur quodammodo hujus auſpiciis reviviſcere. Sed quid ego vobis, aut patriæ, qua mihi nihil antiquius, negare auſim? malo apud alios temerarius, & ineptus, quam apud vos ingratus, ac contumax cenſeri. Hac tamen lege hos Libros vobis credimus, ut apud vos in quopiam loco, aut publico, aut privato ſerventur, quo tantum civibus noſtris aditus ſit; ne, ſi forte in exterorum manus furto ſublati devenerint, injuſſu meo librariorum avaritia in vulgus venales prodeant; qua re, medius fidius, nihil mihi moleſtius accidere poſſet. ne quis me forte hinc aliquam gloriam, & vulgi rumuſculos aucupa-

ri

ri autumet, ſat mihi erit, ſi in his noſtræ civitatis juventutem aliquid profeciſſe intellexero. At non erunt, puto, prorſus inutiles; nam præterquamquod a nobis ea res tractata eſt, quoad pleniſſime ſcribi potuit; cautiores etiam noſtri adoleſcentes in legendis auctoribus redduntur; dum quibus aſſidue dent operam, a quibuſve ſibi cavendum ſit, a nobis admonentur, ne forte diſcant eas literas quæ non minori labore poſtea dediſcendæ ſint. Aſſequentur hi quidem perbrevi ea omnia quæ ego his ſtudiis a pueritia deditus, labore, & vigiliis multorum annorum vix aſſequutus ſum, modo ſibi exercitatione, quæ in omnibus artibus, ac diſciplinis eſt perneceſſaria, non deſint. Intelligent etiam, quantum ornamenti, ac luminis huic Arti præſtantia ingenii attulerit Virgilius noſter, quem poetarum omnium (non de noſtris tantum, verum etiam de Græcis loquor) facile principem ponimus. Hujus ego quoties, Patres optimi, divinum Poema lego, videtur mihi vir ille non tantum hiſtoriam ſcribere, ſed de ea ipſa Arte præcepta tradere voluiſſe, ut oſtenderet, quantum Græcis ipſis, a quibus hanc

Digitized by Google

Diſciplinam accepimus, defuiſſet, quodve de hac Arte eſt, quod de ceteris omnibus dici poſſet, noſtros videlicet quæ ab aliis accepere, ea ſemper meliora reddidiſſe. Ceterum occurrent etiam fortaſſe quædam obſcuriora, quod a nobis loci nonnulli tractati ſunt ſubtilius, qui ſine aliqua * conditione adoleſcentibus intelligi non poſſint. Ad hoc præſto erunt præceptores, quibus civitas noſtra præ cunctis aliis eſt feliciſſima, tum Græce, tum Latine eruditiſſimis. Valete. Romæ. Nonis Febr. M.DXX.

M. PAU-

M. PAULI TARTESSII
IN
M. HIERONYMI VIDÆ
POETICAM
PRÆFATIO.

QUAMQUAM *ſtatutum habebam, Cives ampliſſimi, ne auctorem ullum, niſi antiquum, & illuſtrem mihi interpretandum aſſumerem, tamen non tam hujus deliberationis meæ, quam officii ratio fuit habenda, ne hunc* M. HIERONYMUM VIDAM, *qui ſcribendi laude ad antiquitatem proxime accedit, ab eorum quos interpretari conſtitui, numero ſejungerem. Quem etſi ſcio ſola ingenii felicitate contentum nihil extra quærere, meas tamen partes eſſe duxi, ut ſummo poetæ, & civi ornatiſſimo, de patria, de viris literatis, ac virtute præditis benemerenti, operam meam, quantacumque eſt, libenter impertirer. Præſertim quum præclara, & luculenta illius ſcripta, tum cætera, tum hæc de Arte Poetica, quæ hodie ſumus auſpi-*

Hæc Præfatio legitur inter Tarteſſii Opuſcula edita Cremonæ anno 1559. apud Vincentium Comitem. De Tarteſſio autem multa & præclara exſtant teſtimonia in Orationibus quinque Hieronymi Faballi Laudenſis ad Decuriones Cremonenſes in Controverſia Gymnaſiarchiæ, editis item Cremonæ 1563. in 8. & in Cl. V. Franciſci Ariſii Cremona Literata.

caturi, ob ſtyli gravitatem, & elegantiam indigna ſint quæ aut præſentium invidia, aut eorum qui antea fuerunt celebriore fama obſcurentur. Atque id mihi eo accuratius, & ſtudioſius faciendum putavi, quia videbam, hujus civis præſtantiſſimi virtutis inſignia, & ornamenta, ad communem civium omnium laudem, & gloriam, ad literarum decus pertinere. ut quum ille ab ineunte adoleſcentia, honeſtiſſimis artibus animum excolendo, in hoc ſcribendi genere primum locum ſibi jure vendicaverit, ex labore illius, & induſtria liberi veſtri fructum, vos ex ingenii celebritate uberiora dignitatis, & gloriæ veſtræ præmia perciperetis. Quare vos pro ſumma benignitate veſtra oro, atque obteſtor, ut me ex hoc ornatiſſimo loco dicentem, hoc concurſu literatiſſimorum hominum, hac frequentia, hoc denique prætore ſapientiſſimo præſente, atque audiente, patiamini, de his quæ mihi ad liberorum veſtrorum utilitatem, ad nominis veſtri propagationem excogitata ſunt, paullo liberius loqui. Quam veniam ſi a vobis (ut ſpero) impetravero, perficiam profecto, ut, quum hunc interpretandi morem, quem mihi præſcripſi, non temere inductum eſſe cenſueritis, tum hunc M. Hieronymum *non modo non ſegregandum, quum luculentus auctor ſit, ab eorum numero quos ſoleo interpretari, verum etiam, ſi in hunc numerum non aſcriptus eſſet, putetis aſcribendum fuiſſe. Sed, ut inde oratio mea proficiſcatur unde hujus rei ratio ducitur, animadverti, cives, inutilem quamdam, & parum neceſſariam has artes profitentium conſuetudinem, qui extra ordinem, & ſine delectu, quoſcumque libuiſſet, auctores interpretari ſoliti ſint, illoſque cæteris omnibus anteferre quorum ſenſa in reconditis, & abſtruſis verborum obſcuritatibus verſarentur. At ego ab eorum conſuetudine, & inſtituto quam maxime diſſentiens, non niſi lectos, illuſtres, luculentos exponere conſuevi. Et quia intelligo tum in cæteris, tum in hac poetica lectione, quam recte faciam, conſilium mutandum non puto. qui quum perſpectum habeam, quanti referat, bonos auctores imitari, huc quemlibet non adhibendum eſſe judico. neque enim qui poetæ nomen profitentur, omnes ſpectati, & probati ſunt, ſed ii tantum quos Romanæ linguæ proprietatem tenuiſſe, atque eam diligentiſſime obſervaſſe, apertum eſt, atque perſpicuum. Nam hæc poetica facultas, quam ſero conſtat a Romanis fuiſſe acceptam, ab Urbe Condita poſt annos quingentos, non eadem ſemper fuit, ſed per ſingula fere temporum momenta, varias, & diverſas mutationes accepit. A principio tenuis fuit, nec*

ſatis

Digitized by Google

ſatis culta, populo adhuc rudi, & armis dedito: mox in dies magis aucta eſt, atque ornata. Prima ætas, quæ a Livio Andronico, qui primus apud Latinos fabulam dedit, initium ſumſit, & ad Q. Novium Atellanarum ſcriptorem progreſſa eſt, exilis fuit, nihil oſtentationis, nihil fuci habens, ſed ſimplex, pura, & incorrupta. Huic proxima, quæ a T. Lucretio Caro uſque ad Lauream Tullium M. Tullii oratoris libertum proceſſit, paullo plus ſe ſe extulit, in ſcribendis verſibus (ut quibuſdam videtur) aſperior, & durior, ſed tamen elegans, & ſuperiore aliquanto concinnior. Porro quæ tertio loco ſucceſſit, & initium a Pub. Virgilio cepit, ſupremum eloquentiæ gradum attigit. Hæc, ut omnibus iis qui præceſſerant poetis, ingenii gloria antecelluit, ita omnem poſteritatem, quæ mox ſubſecuta eſt, longe a ſe reliquit. Hos igitur omnes (ut breviter dicam) quotquot illo Auguſti ſæculo exſtiterunt, eruditorum conſenſu, acerrimoque, & certiſſimo judicio legendos cenſeo. Nec Terentium, aut Catullum ab hoc numero excludi volo. quamvis alter Cæſares longo annorum intervallo anteceſſerit, alter Julii Cæſaris temporibus floruerit. quum hic optimus latinitatis auctor ſit, ille etiam elegantiſſimus, & lepidiſſimus. Nam Macrum, & Lucretium, quorum alter Auguſti ætate, alter ſuperiore fuit, legendos quidem Quintilianus putat, ſed non ut phraſin, hoc eſt eloquentiæ corpus faciant, elegantes in ſua quiſque materia: ſed alter humilis, alter difficilis. Ab hoc Auguſti ſæculo quicumque deinceps fuerunt, utpote qui ſunt alterius, & ſui cujuſdam generis, non ſunt inter claſſicos referendi, qui antiquitatem, nonniſi apto orationis contextu, & congruentibus figuris a ſuperioris ævi poetis decentiſſime ornatam, nimia verborum licentia, & perverſo loquendi uſu depravarunt. &, quod magis miror, quum de feliciſſimo ſæculo illo, quod pæne attigerant, quam optime ſentirent, ab eorum tamen quos probabant, obſervatione deſciverunt. quæ me ratio potiſſimum impulit, ut hos univerſos a noſtro theatro ablegandos ſtatuerem. Quod ſi mihi nunc eligendi optio detur aut unum ex antiquiſſimis illis qui ante Auguſti tempora fuerunt, aut unum ex his qui ſubſecuti ſunt, equidem Ennium potius, aut Plautum, aut Nævium, aut quemvis ex antiquis, quam Lucanum, Papinium, Silium, & cæteros hujuſmodi eligam, & optabo; quod veterrimos illos poetas, Ciceronis teſtimonio ſatis conſtat, incorruptam Latini ſermonis integritatem conſervaſſe, hi vero recentiores aſperam quamdam, & peregrinam inſolentiam introduxerunt. At ſi quis a me petat,

& ro-

& roget, cur harum artium profeſſores qui ante me fuerunt, ab iſtorum quos tantopere refugio, lectione non abhorruerint, dicat ille prius, cur Veſpaſianis imperantibus plerique Lucretium pro Virgilio, Lucilium pro Horatio legerent. Suum unicuique judicium relinquo: mihi doctiſſimorum hominum auctoritatem ſectari, ſtatutum eſt. Quare, ut totam hanc quæſtionem paucis abſolvam, habito illuſtrium poetarum delectu, nullum ex eorum numero conſcribendum eſſe autumo qui a Neronis principatu uſque ad Conſtantios Cæſares fuiſſe memorantur. Quorum poſtremum Sollium Apollinarem accipio, qui quum in hoc ulcere, ideſt fœdo, & putrido ſcribendi genere, tamquam unguis exſtiterit, corruptis, & contaminatis ſcriptis ſuis Latinam linguam ſic inquinavit, ut ne priſci quidem ſplendoris veſtigium appareat. Quo in loco non poſſum non vehementer quorumdam inſcitiam admirari, qui quum eximios, & eloquentes auctores habeant, ex quorum fonte poſſint, quæ pura ſunt, haurire, malunt tamen cum lutulentis, & impuris, in ſordibus verſari. E quorum perditiſſima, & infima fæce, ſi unum aliquem liberis veſtris propoſuiſſem, poſſetis fortaſſe, cives, in me hominis frugi, ac ſobrii ſanitatem deſiderare. Sed quum correctos, & emendatos M. Hieronymi Vidæ, *de facultate poetica libros declarandos ſuſceperim, qua in parte videor vobis redarguendus? Nam quæ* Vida *ſcripſit, quum ſint accurate, cogitateque ſcripta, ea ſic audio probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem pervenire putentur. quod an ita ſit, fortaſſe dubitari poſſet, niſi res ipſa per ſe loqueretur. Cui enim non notum, teſtatumque eſt, qui* Vidæ *libros perlegerit, nullum verbum illic reperiri quod non apte, ornateque poſitum ſit, quod non latine dictum, quod non ab antiquis, & luculentis ſcriptoribus depromtum? Hunc poetam ego inter probatos latinitatis auctores non referam? qui ſi latine non loquitur, ne Virgilius quidem latine loqui exiſtimandus eſt, quum tota fere* Vidæ *poeſis Virgilianis verbis, & figuris exculta ſit, atque expolita. adeo ille, quum Virgilium poetarum principem ad imitandum ſibi ipſi delegerit, alia immutata, alia dimidiatis verſuum partibus leviter deducta, in volumen ſuum transferendo, ex Virgiliani poematis lineamentis pulcherrimum, & elegantiſſimum opus ſibi conſtruxit, ac fabricatus eſt. At hoc vitium eſt. vitium fortaſſe, niſi certa ratione, & optimo exemplo ductus id feciſſet. Nam ſi honeſtus error plerumque eſſe ſolet, in re minus conceſſa magnos duces ſequentibus, quanto honeſtior illorum cauſſa videri debet qui probatiſſimorum hominum virtutes*

imi-

imitantur? nonne prius hoc ipſum Virgilius fecit? Quot, quæſo, loca ex Ennio, Pacuvio, Accio, Lucretio, cæteris; quot item ex illis ipſis poetis pæne integros verſus traxit? Itaque ſi nihil aliud objicitur, VIDA *(ut video) omni culpa vacat; quia quod egit, neque ſine ratione, neque ſine auctore egit. Proinde ſi qui ſunt, (quos hic nullos eſſe ſuſpicor) qui* VIDÆ *negotium faceſſant, tandem deſinant illi moleſtiam exhibere, qui Virgilii, quem auctorem habet, exemplum ſecutus, tantum abeſt ut alicui culpæ obnoxius videri debeat, ut maximo etiam laudum præconio extollendus ſit. Nam ſi Virgilio ſumma laus ex ea re tribuenda eſt, uti etiam ſummi, & eruditi viri attribuendam arbitrantur, quod acri cura, magno ſuo ſtudio antiquitati ſplendorem adjecit, cur non &* VIDÆ *aliqua laus tribui, aut gratia haberi debet, quod antiquitatem, quod Virgilianam elocutionem integram, & incorruptam ſervet? Virgilius aliorum dicta in opus ſuum opportune derivando, ſe poſſe aliquid magnificentius facere alienis verbis credidit, quam illi a quibus accipiebat, feciſſent ſuis. Quid* VIDA? *quum ipſi multo facilius eſſet, quod animo, & mente conceperat, verbis quæ illi in promtu erant, quam aliunde accerſitis, eloqui, Virgiliana verba ſectari maluit, ut, dum curricula in quibus Virgilii expreſſa ſunt veſtigia, inſiſtit, ab his nuſquam aberrat, aut deflectit, Virgilium, ſummum heroici carminis opificem, a Virgilio poetici decoris artem conſummatam eſſe contenderet. Equidem non inficior, quum omnem antiquitatem teneat, quæ exemplis plena eſt, & verborum refertiſſima, ab antiquis tam poetis, quam aliis ſcriptoribus, præcipue bonis, illiuſque ætatis potiſſimum qua maxime lingua Latina floruit, non pauca mutuatum eſſe, ſumſiſſeque ab omnibus promiſcue, ſi qua in eorum libris, quæ carmini ipſius inſita decori eſſe poſſent, & ornamento, nactus eſt. & ut acerrimi judicii ſemper fuit, ceu apis ſedula, & operoſa, flores omnes, optima quæque decerpens, in unum locum collegit, atque in omnibus operibus ſuis, in his præſertim de Poetica libris, quaſi inſignia quædam apte diſpoſita, ubique ſummo cum decoro inſperſit. unum tamen Virgilium, quem ſibi præcipue in omnibus ad imitandum propoſuit, ne ab optimo longe abeſſet, ſequi maluit; quem ſuſpiciens, & in eo jugiter fixus, & inhæreſcens, quoad fieri potuit, maximopere conatus eſt, ſe ſe illi quam ſimillimum fingere, omnes illius virtutes imitari. Quod quam feliciter aſſecutus ſit, peritioribus, qui hujus artificii expertes non ſunt, cogitandum, judicandumque relinquo. Ego ita perſuaſum habeo, ſimilitudine quadam*

inge-

Digitized by Google

ingenii, quæ plerumque ab artifice ſumitur, poetæ omnium excellentiſſimi mirificam eloquentiæ indolem, cuncta fere præclare dicta, tamquam quædam orationis lumina non adumbraſſe modo, ſed penicillo etiam imitatum eſſe, atque egregie expreſſiſſe. Et ut, quod ſentio, ſemel eloquar, illum ipſum quem æmulabatur, effectum fuiſſe; ut qui VIDAM *legerit, Virgilium legere, & ſe perinde ac ſi Virgilium legeret, affici ſentiat. At quoniam non ex uno Virgilii ſeminario meſſem ſibi* VIDA *confecit, quæcumque eximia, & præclara apud antiquos ſcriptores, tum Græcos, tum Latinos late diſperſa leguntur, hæc ſi quis itidem, ut quæ e Virgiliano poemate depromta ſunt, diligenti animadverſione conſideret, apud unum* VIDAM, *quaſi ſub uno quodam aſpectu poſita non tam oculis, quam mente, & animo cernat, & admiretur. Rurſus hic noſter, ubi nulla adminicula foris ſuppetunt, & res illi marte ſuo explenda eſt, iis opibus, & ſubſidiis fultus quæ domi parata habet, de ſuo orationem conflat, tanta rerum, & verborum dignitate, ut quum illum orationis meæ initio dixerim, ad antiquitatem proxime accedere, nunc etiam cum antiquorum præſtantiſſimis certare, nihil prorſus ab illorum laude abeſſe, jurejurando affirmare poſſim. Quæ quum ita ſint, quis hoc meum inſtitutum improbet, qui in poetarum delectu, e quo unus quiſpiam in annuam literarum exercitationem deligendus fuit, quum veteres non deeſſent, ultro nomina daturi, hunc tamen recentem, & e Muſarum ſacrario nuper accitum conſcribere, & centuriare maluerim? Cui nomen electioni tam multos jam ſubſcribere audio, ut me ſæpe ſoleam accuſare, quod tam ſero id muneris obiverim, præſertim quum quæcumque e* VIDÆ *officina emanarunt, perinde haberi cœpta ſint, ac ſi eſſent ab uno ex antiquiſſimis vatibus ſingulari opera, artificioque elaborata.* LEO X. PONT. MAX. *ſumma auctoritate, ſummo judicio, quum ad ſe a Laſcare legato regio (ut accepi) allatum* M. HIERONYMI *carmen quo ludicrum prœlium deſcribitur, accurate lectitaſſet, hominis ingenio, & ſcribendi tum facilitate, tum dignitate allectus, perſancte affirmavit, hunc illum eſſe quem ſummis votis diu expetiviſſet, cujus ſublimi, & eleganti ſtylo* CHRISTI *res geſtæ miræ, & inſignes a nonnullis jam tentatæ, ſed parum luculenter expreſſæ, carmine celebrari poſſent; eaſque ut verſibus attingeret, atque inchoaret, hortatu ſuo perfecit. Taceo, quod ſit eruditorum omnium qui tam Romæ, quam alibi gentium verſantur, de hoc præſtantiſſimo poeta judicium, quæ celebritas nominis, quæ fama ingenii; etenim quum jampridem multa*

ta

Digitized by Google

ta habeant quæ admirentur, nunc etiam quæ laudent, exſpectant. Ex quo conjecturam facere poteſtis, qualis, & quantus hic poeta ſit, quum illius fama ita foris celebretur, ut jam externis, quam ſuis notior factus ſit. quamquam qui tam ſui ſunt, quam externi? quum omnes, tam ii qui illum de facie norunt, quam qui numquam viderunt, tam carum habeant, ſic erga illum affecti ſint, ut non ſicut popularem alius cujuſdam loci, ſed tamquam apud ſe genitum, civem ſuum agnoſcant. Ergo cæteri homines alienum expetunt, nos noſtrum negligemus? abſentem requirunt, nos præſentis voce non movebimur, cujus opera, ſtudio, labore, doctiores facti ſumus, aut fieri poſſemus? Homerum Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnæi, permulti alii & poſt mortem civem ſuum vendicant, nos hunc vivum repudiabimus? qui ſi his temporibus natus non eſſet, vota eſſent nuncupanda, ut naſceretur: aut ſi e vita (quod Deus omen avertat) exceſſiſſet, ut reviviſceret; qui Romanam linguam fractam, laceram, diminutam reſarciret, fœdam, & inquinatam priſtino decori reſtitueret, aut potius pæne collapſam ab interitu vindicaret. Quæ omnia a me de ſummo, & celeberrimo Poeta dicta, nolo in eam partem accipi, me huic tantum attribuere, ut cæteris qui pure, & latine locuti ſunt, detractum eſſe velim: ſed, quum Virgilius in manibus ſit, quem non meo, ſed veteri inſtituto, unus e poetarum numero in theatrum prodeuntem ſubſequi conſuevit, hunc VIDAM, *quum proxime ad Virgilianam majeſtatem accedat, idoneum viſum fuiſſe, qui hoc tam præclaro munere defungi poſſet. Cujus lectio quantum frugis, & rerum copia, & verborum varietate, atque elegantia liberis veſtris afferre poſſit, etſi malo a vobis dijudicari, quam a me verbis contendi, tamen, quia me tam diligenter attenditis, de univerſa re quid ſentiam, breviter dicam. Atque id primum non inficiabor, potuiſſe alios quidem plures graves, nec inelegantes auctores in hac muneris ſortitione ſubſtitui, ſed aptiorem, & qui magis ad noſtræ juventutis rem faceret, neminem potuiſſe. Nam ſi ſapientum inſtituto ſancitum eſt, adoleſcentes iis artibus non tam ad ſermonis, quam ad vitæ, & morum elegantiam informandos eſſe, quid tam ſalubre, & neceſſarium fuit, quam hujus civis ſtudio, atque doctrina præſtantiſſimi, & viri graviſſimi libros noſtris adoleſcentulis evolvendos, & perdiſcendos proponere? ut ex libris, aptas inventiones, diſponendi uſum, & pulcherrimas dicendi figuras: ex auctore, virtutum ornamenta percipiant; quorum utrumque etſi poſſunt e ſolis libris percipere, auctoris tamen ratio ad id*

præ-

præſtandum, plurimum valet. Nam ſi contemplatione ſtatuarum, & imaginum, quæ ſunt tantum corporum ſimulacra, ad amplexandas majorum virtutes, juniores plerumque accendi conſueverunt, quanto magis auctoris in cujus lectione verſantur, mentem, ſenſuſque, & os cernentes, commotum iri, credi par eſt? ut ſi minus ad capeſſendam, colendamque virtutem ſtudio, & voluntate impelluntur, ſaltem ne illam refugiant, & aſpernentur, pudore, & verecundia probibeantur. Quare ſi is auctor propoſitus eſt, qui & præceptis ad eruditionem, & exemplo ad virtutem quam maxime conferre poteſt, quid eſt quod ultra requiratis? alius fortaſſe æque utilis; ſed aptior, & commodior proponi nemo potuit. Sed hoc amplius dico; quod puto vivis, atque præſentibus magno uſui fore, quia multa in his libris neceſſe erit iis qui mox futuri ſunt, non niſi conjectura percipere, & quaſi augurari, quæ vivis, & præſentibus licebit, ſi ſuopte ingenio conſequi non valebunt, ab auctore ſciſcitari. At rerum ſilva non tam ingens eſt, ac abdita, quin evolvi, penetrarive poſſit; permagni tamen refert, ſi quæ recte ſenſeris, ea poſſis cum illo ipſo qui ſcripſit, communicare. Itaque liberorum veſtrorum qui ad hunc humaniſſimum hominem aliquid ſciſcitandi gratia ſe receperint, alii exquiſitam illius doctrinam, alii prudens, & ſyncerum judicium admirati, dum ſecum tacite conſiderabunt, quam pulchrum ſit, rerum intelligentia, atque omni prudentiæ genere præſtare, cogitatione ipſa excellentiſſimi viri permoti, quem ea cauſſa dumtaxat adiverant ut illius ſententiam explorarent, ad poeticam, præclaram vitæ moderatricem, ad ſublimes artes cognoſcendas, percipiendaſque, ducem, & ſigniferum exoptabunt. Videte, cives, quot commoda, quot utilitates ad excolenda ingenia, ad varia virtutum genera capeſſenda hæc una res complexa ſit. Quod ſi jam non tam quid rectum ſit, quam quod cum laude fieri poſſit, requiritis, quid, quæſo, tam laude dignum, tam omnium voce, atque præconio, etiam ab his qui naſcentur, celebrandum, quam, quum hujus noſtræ civitatis præclara, & celebris fama ſit, antiquum, & inveteratum nomen, Cremonenſes diſcipulos in iis artibus quæ ad humanitatem ſpectant, cæteris omnibus anteire, nunc ad eam ingeniorum felicitatem perventum eſſe, ut æterna literarum monimenta, quæ ab aliis civitatibus accipere ſolebamus, iiſdem reddere, non habentibus tradere poſſimus; & quum ſuperioribus annis ab alienigenis diſcipulis præceptores, quorum theatra erudiendi cauſſa frequentarent, Cremonæ quærerentur, liceat modo auctores etiam,

qui

qui ad perdiſcendum copiam, facultatemque ſuppeditent, reperiri. Quæ res quantam laudem, & gloriam huic noſtræ civitati allatura ſit, vobis facilius eſt cogitatione, & mente complecti, quam mihi verbis explicare. Dii immortales! qua frequentia video omnia noſtra gymnaſia celebrari! quem concurſum e finitimis civitatibus in hanc noſtram fieri! qua feſtinatione e disjunctiſſimis regionibus a novis hoſpitibus in noſtras domos curſim irrumpi! non tam ut veteres diſciplinas hauriant, quam ut novis imbuantur. O rem miram, & ante hunc diem inauditam, exteras nationes, & gentes ad diſcendas literas Cremonam ſe conferre, & tamen ob aliud, quam propter literas, Cremonam confluere, ut literarum percipiendarum occaſione liceat hunc divinum hominem contemplari, hoc terreſtre oraculum conſulere! Sed video, HIERONYME, licet præſens non adſis, ſilentium (quæ tua modeſtia eſt, & verecundia) mihi dudum imperas, qui præclara, & ſempiterna ingenii tui monimenta memorando, tibi multum dixiſſe videor, certe his qui audiunt, parum. propterea patere nos, qui de feliciſſimo ingenio tuo maximos fructus percipimus, ex monimentorum celebratione aliquid laudis decerpere. neque enim ſi iſtud acroama non lubens audis, tua modeſtia nobis obeſſe debet; quia hæc tua laus, qua tam clarus, & inſignis es, non tam tua, quam noſtra eſt. Jecerant noſtræ immortalis gloriæ fundamenta duo ſummi viri, M. Furius Bibaculus, his ferme natus temporibus quibus poeta Lucilius, & Sex: Turpilius, Comœdiarum ſcriptores perierunt: Quintilius Varus, Virgilio maxime neceſſarius, poetarum cenſor, ſi Horatio credimus. Sed quæ illi fundamenta jecerant, tu ad ſummum faſtigium perducis. Cujus æterno teſtimonio, nominis noſtri memoria, & celebritas famæ, numquam eſt interitura. Exſtant egregia, & præclara opera tua, POETICA, BOMBYX, SCACCHIA, BUCOLICA: ſed exſpectamus propediem & CHRISTUM, divinum opus, ingenio perfectum, induſtria elaboratum, jampridem editione digniſſimum; ubi is in lucem exierit, non ſat ſcio, qui major cumulus noſtris maximis, & ſempiternis ornamentis accedere poſſit. Sed jam redeo ad vos, cives humaniſſimi, quos exploratiſſimum habeo, propenſa animi voluntate ad hunc poetam eruditum, & excellentem amandum, colendumque ita illici, & attrahi, ut illo nihil carius, nihil antiquius pectoribus veſtris inſideat. quem tanta Italiæ conſenſione, tanto bonorum omnium ſtudio videtis probari, tum dignitate, tum venuſtate, ingenio autem tanto, quantum id convenit exiſtimari quod ab omnibus expetatur. Quare vos non modo

rogo,

Digitized by Google

*rogo, ſed etiam obſecro, ut quod liberorum veſtrorum cauſſa, pro
maximis veſtris beneficiis remunerandis facere inſtitui, id ſingulari
ſtudio veſtro, atque conſenſu comprobetis, ut hujus celeberrimi Poe-
tæ, eruditorum omnium judicio, cum omni antiquitate, tum rerum,
tum verborum elegantia adæquandi, qui liberis veſtris virtutis ex-
emplum, vobis auctoritatem, patriæ dignitatem præſtantiſſima do-
ctrina, ſcriptorum ſubtilitate, famæ perpetuitate ſuppeditat, hos
de Arte Poetica excultos, luculentos, emendatos libros tam grata
animi benevolentia, tanto applauſu excipiatis, ut quum ille labores
ſuos, & vigilias tanti a vobis æſtimari intellexerit, hoc acri ſti-
mulo accenſus, ad ea quæ in manibus habet, edenda, ad alia quæ
meditatur, perficienda, majore animi alacritate, ſtudio, contentio-
ne maturet. Quæ a me ſimpliciter de noſtra, cæterorumque conſue-
tudine, de excellenti, & divino hujus hominis ingenio, de noſtris
ſtudiis communiter dicta ſunt, ea velim a vobis, cives, ſic acci-
pi, non in aliam partem fuiſſe dicta, niſi ut meam in erudien-
dis liberis veſtris diligentiam, in dignitate, auctoritateque veſtra
conſervanda voluntatem, in ornamentis veſtris defendendis fidem,
& conſtantiam agnoſceretis.*

M. HIE-

MARCI HIERONYMI
VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
POETICORUM
LIBRI TRES.



Ex aeneo nomismate, apud Vulpios.

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
POETICORUM
AD FRANCISCUM FRANCISCI REGIS F.
FRANCIÆ DELPHINUM
LIBER PRIMUS.

SIT fas veſtra mihi vulgare arcana per orbem,
Pierides, penituſque ſacros recludere fontes,
Dum vatem egregium teneris educere ab annis,
Heroum qui facta canat, laudeſve deorum,
Mente agito, veſtrique in vertice ſiſtere montis.
Ecquis erit juvenum, ſegni qui plebe relicta
Sub pedibus, pulchræ laudis ſuccenſus amore,
Auſit inacceſſæ mecum ſe credere rupi,
Lætæ ubi Pierides, cithara dum pulcher Apollo
Perſonat, indulgent choreis, & carmina dicunt?
Primus ades, FRANCISCE. ſacras ne deſpice Muſas,
Regia progenies, cui regum debita ſceptra
Gallorum, quum firma annis acceſſerit ætas.
Hæc tibi parva ferunt jam nunc ſolatia dulces,
Dum procul a patria raptum, amplexuque tuorum,

Digitized by Google

Ah dolor! Hiſpanis ſors impia detinet oris
Henrico cum fratre. patris ſic fata tulerunt
Magnanimi, dum Fortuna luctatur iniqua.
Parce tamen, puer o, lacrimis. fata aſpera forſan
Miteſcent, aderitque dies lætiſſima tandem,
Poſt triſte exſilium patriis quum redditus oris
Lætitiam ingentem populorum, omneſque per urbes
Accipies plauſus, & lætas undique voces:
Votaque pro reditu perſolvent debita matres.
Interea te Pierides comitentur. in altos
Jam te Parnaſſi mecum aude attollere lucos.
Jamque adeo in primis ne te non carminis unum
Prætereat genus eſſe, licet celebranda reperti
Ad ſacra ſint tantum verſus, laudeſve deorum
Dicendas, ne relligio ſine honore jaceret.
Nam traxere etiam paullatim ad cætera Muſas,
Verſibus & variis cecinerunt omnia vates.
Sed nullum e numero carmen præſtantius omni,
Quam quo poſt divos heroum facta recenſent,
Verſibus unde etiam nomen fecere minores,
Munere conceſſum Phœbi venerabile donum
Phemonoes, quæ prima dedit (ſi vera vetuſtas)
Ex adyto haud aliis numeris reſponſa per orbem.
Tu vero ipſe humeros explorans conſule primum,
Atque tuis prudens genus elige viribus aptum.
Nam licet hic divos, ac dîs genitos heroas
In primis doceam canere, & res dicere geſtas,
Hæc tamen interdum mea te præcepta juvabunt.
Seu ſcenam ingrediens populo ſpectacula præbes,
Sive elegis juvenum lacrimas, quibus igne medullas

Urit

Urit amor, ſeu paſtorum de more querelas,
Et lites Siculi vatis modularis avena,
Sive aliud quodcumque canis, quo carmine cumque,
Numquam hinc (ne dubita) prorſum inconſultus abibis.
Atque ideo quodcumque audes, quodcumque paratus
Aggrederis, tibi ſit placitum, atque arriſerit ultro
Ante animo. nec juſſa canas, niſi forte coactus
Magnorum imperio regum; ſiquis tamen uſquam eſt
Primores inter noſtros qui talia curet.
Omnia ſponte ſua, quæ nos elegimus ipſi,
Proveniunt: duro aſſequimur vix juſſa labore.
Sed neque quum primum tibi mentem inopina cupido,
Atque repens calor attigerit, ſubito aggrediendum eſt
Magnum opus. adde moram, tecumque impenſius ante
Conſule, quicquid id eſt, parteſque expende per omnes
Mente diu verſans, donec nova cura ſeneſcat.
Ante etiam pelago quam pandas vela patenti,
Incumbaſque operi incipiens, tibi digna ſupellex
Verborum, rerumque paranda eſt: proque videnda
Inſtant multa prius, quorum vatum indiget uſus.
Illis tempus erit mox quum lætabere partis.
Sponte ſua, dum forte etiam nil tale putamus,
In mentem quædam veniunt, quæ forſitan ultro,
Si ſemel exciderint, numquam revocata redibunt,
Atque eadem ſtudio fruſtra exſpectabis inani.
Nec mihi non placeant qui, fundamenta laborum
Quum jaciunt, veterum explorant opera inclyta vatum
Noctes atque dies, paſſimque accommoda cogunt
Auxilia, intentique aciem per cuncta volutant.
Quin etiam prius effigiem formare ſolutis,

Totiuſque operis ſimulacrum fingere verbis
Proderit, atque omnes ex ordine nectere partes,
Et ſeriem rerum, & certos tibi ponere fines,
Per quos tuta regens veſtigia tendere pergas.
Jamque hic tempus erat dare vela vocantibus Euris,
Condendique operis primas præſcribere leges.
At prius, ætati teneræ quæ cura colendæ,
Dicendum, quantus puero labor impendendus.
Nulli etenim inſignem dabitur geſtare coronam,
Pieridum choreas teneris niſi norit ab annis.
Poſtquam igitur primas fandi puer hauſerit artes,
Jam tunc incipiat riguos accedere fontes,
Et Phœbum, & dulces Muſas aſſueſcat amare.
Ille autem parvum qui primis artibus ante
Imbuit, atque modos docuit, legeſque loquendi,
Syncerus vocis cuperem, ac puriſſimus oris
Contigerit; fandi ne fors puer, atque nefandi
Neſcius, imbiberit male gratæ ſemina linguæ,
Quæ poſt infecto ex animo radicitus ulla
Non valeas meliora docens evellere cura.
Iccirco mihi ne quiſquam perſuadeat oro,
Ut placeant qui, dum cupiunt ſe numine lævo
Tollere humo, & penitus jactant ſe ignota docere,
Conventu in medio, ſeptique impube corona
Inſolito penitus fandi de more magiſtri
Obſcuras gaudent in vulgum ſpargere voces
Irriſi, fœdam illuviem, atque immania monſtra.
Non minus a recta mentis ratione feruntur
Decepti, quam qui, liquidi quum pocula fontes
Sufficiant, malunt grave olentem haurire paludem.

Ne mihi ne teneræ talis ſe admoverit auri;
Sed procul o procul iſta ferat, natoſque Getarum
Imbuat, aut ſiqua eſt gens toto obtuſior orbe.
Jamque igitur mea cura puer penetralia vatum
Ingrediatur, & Aonia ſe proluat unda.
Jamque ſacrum teneris vatem veneretur ab annis,
Quem Muſæ, Mincî herboſis aluere ſub antris,
Atque olim ſimilem poſcat ſibi numina verſum,
Admirans artem, admirans præclara reperta.
Nec mora. jam favet Aſcanio, tactuſque dolore
Impubes legit æquales, quos impius hauſit
Ante diem Mavors, & acerbo funere merſit.
Multa ſuper Lauſo, ſuper & Pallante peremto
Multa rogat, lacrimas inter quoque ſingula fundit
Carmina, crudeli quum raptum morte parenti
Ah miſeræ legit Euryalum, pulchroſque per artus
Purpureum, leto dum volvitur, ire cruorem.
Necnon interea Grajos accedere vates
Audeat, & linguam teneris aſſueſcat utramque
Auribus, exercens nunc hanc, nunc impiger illam.
Nulla mora eſt. noſtro Æneæ jam conferet igneis
Æaciden flagrantem animis, Ithacumque vagantem:
Atque ambos ſæpe impellet concurrere vates.
Nunc geminas puer huc aures, huc dirige mentem.
Nam, quia non paucos parte ex utraque poetas
Noſtroſque, Grajoſque tibi ſe offerre videbis,
Quos hic evites, quibus idem fidere tutus
Evaleas, dicam, ne quis te fallere poſſit.
Haud multus labor auctores tibi prodere Grajos,
Quos inter potitur ſceptris inſignis Homerus.

Hunc

Digitized by Google

Hunc omnes alii obſervant. hinc pectore numen
Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.
Felices quos illa ætas, quos protulit illi
Proxima! divino quanto quiſque ortus Homero
Vicinus magis, eſt tanto præſtantior omnis.
Degenerant adeo magis, ac magis uſque minores
Obliti veterum præclara inventa parentum.
Jamque fere Inachiæ reſtincta eſt gloria linguæ
Omnis, & Argolici juſſi concedere avitis
Sunt pulſi reges ſoliis, civeſque coacti
Diverſa exſilia, atque alienas quærere terras.
Huc illuc inopes errant. habet omnia victor
Barbarus, & verſis nunc luget Græcia fatis.
Noſtri autem ut ſanctum divas Helicona colentes
Cœperunt primum in Latium transferre, fluebant
Verſu incompoſito informes, artiſque Pelaſgæ
Indociles Muſa fundebant carmina agreſti
Silvicolas inter Faunos. tunc omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſilvai frondoſai.
Nondum acies, nondum arma rudi pater Ennius ore
Tentarat, qui mox Grajo de vertice primus
Eſt auſus viridem in Latio ſperare coronam.
Tum rerum cauſſas naturæ arcana latentis
Explorare auſi cecinerunt carmine dulci,
Omnia Pierio ſpargentes nectare, vates.
Atque ita deinde rudes paullatim ſumere verſus
Cœperunt formam inſignem, penituſque Latini
Agreſtem exuerunt morem, liquidiſſima donec
Tempeſtas veluti cæli poſt nubila, & imbres
Extulit os ſacrum ſoboles certiſſima Phœbi

Vir-

Digitized by Google

Virgilius, qui mox, veterum ſqualore, ſituque
Deterſo, in melius mira omnia rettulit arte,
Vocem, animumque deo ſimilis. date lilia plenis,
Pierides, calathis, tantoque aſſurgite alumno.
Unus hic ingenio præſtanti, gentis Achivæ
Divinos vates longe ſuperavit, & arte,
Aureus, immortale ſonans. ſtupet ipſa, pavetque,
Quamvis ingentem miretur Græcia Homerum.
Haud alio Latium tantum ſe tempore jactat.
Tunc linguæ Auſoniæ potuit quæ maxima virtus
Eſſe, fuit, cæloque ingens ſe gloria vexit
Italiæ. ſperare nefas ſit vatibus ultra.
Nulla mora, ex illo in pejus ruere omnia viſa,
Degenerare animi, atque retro res lapſa referri.
Hic namque ingenio confiſus poſthabet artem:
Ille furit ſtrepitu, tenditque æquare tubarum
Voce ſonos, verſuſque tonat ſine more per omnes.
Dant alii cantus vacuos, & inania verba
Incaſſum, ſola capti dulcedine vocis,
Pierides donec Romam, & Tiberina fluenta
Deſeruere Italis expulſæ protinus oris.
Tanti cauſſa mali Latio gens aſpera aperto
Sæpius irrumpens. ſunt juſſi vertere morem
Auſonidæ victi, victoris vocibus uſi.
Ceſſit amor Muſarum. artes ſubiere repente
Indignæ, atque opibus cuncti incubuere parandis.
Jampridem tamen Auſonios inviſere rurſus
Cœperunt, Medycum revocatæ munere, Muſæ,
Tuſcorum Medycum, quos tandem protulit ætas
Europæ in tantis ſolamen dulce ruinis.

Illi etiam Grajæ miſerati incommoda gentis,
Ne Danaûm penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque magiſtros,
Argolicas artes quibus eſſet cura tueri,
Securos Muſas juſſere, atque otia amare.
Illi etiam captas late miſere per urbes,
Qui doctas tabulas veterum monimenta virorum
Mercati pretio adveherent, quæ barbarus igni
Tradebat, Danaûm regnis, opibuſque potitus.
Et tentamus adhuc ſceptris imponere noſtris
Externum, nec dum civiles condimus enſes.
Hæc ætas omnis, vatum hæc fortuna priorum.
Ergo ipſum ante alios animo venerare Maronem,
Atque unum ſequere, utque potes, veſtigia ſerva;
Qui ſi forte tibi non omnia ſufficit unus,
Adde illi natos eodem quoque tempore vates.
Parce dehinc, puer, atque alios ne quære doceri,
Nec te diſcendi capiat tam dira cupido.
Tempus erit, tibi mox quum firma advenerit ætas,
Spectatum ut cunctos impune accedere detur.
Interea, moniti, vos hic audite, parentes.
Quærendus rector de millibus, e que legendus,
Sicubi Muſarum ſtudiis inſignis, & arte,
Qui curas dulces, carique parentis amorem
Induat, atque velit blandum perferre laborem.
Illa ſuis niti nondum auſit viribus ætas,
Externæ ſed opis, alienæque indiga curæ eſt.
Nam puerum, ni præſentis vis fida regentis
Adſit, & hunc dulcem ſtudiorum infundat amorem,
Illecebræ ſacris avertant mille Camœnis

Dece-

Deceptum falſa melioris imagine curæ.
Sic quoque ubi cultis plantas defodit in hortis
Agricola, & teneras telluri credidit almæ,
Fraxineos contos ſubito erigit, & ſua cuique
Robora, ut innixæ ventos, cælique ruinam
Contemnant, ſurgantque leves impune per auras.
Ille autem pueri cui credita cura colendi
Artibus egregiis, in primis optet amari,
Atque odium cari ſuper omnia vitet alumni:
Ne forte & ſacras ſimul oderit ille Camœnas
Imprudens, & adhuc tantæ dulcedinis expers,
Deficiantque animi ſtudiorum in limine primo.
Ponite crudeles iras, & flagra, magiſtri,
Fœda miniſteria, atque minis abſiſtite acerbis.
Ne mihi ne quæſo puerum quis verbera cogat
Dura pati; neque enim lacrimas, aut dulcis alumni
Ferre queunt Muſæ gemitus, ægræque recedunt;
Illiuſque cadunt animi, nec jam amplius audet
Sponte ſua quicquam egregium: ingratumque laborem
Invitus trahit ægre, animoque ad verbera durat.
Vidi ego qui ſemper levia ob commiſſa vocabat
Ad pœnam pueros, furiis inſurgere, & ira
Terribilem, inviſos veluti ſæviret in hoſtes.
Hinc ſemper gemitus, hinc verbera dira ſonabant.
Atque equidem memini quum formidatus iniquis
Urgeret pœnis, ſolitoque immanior ille
Terreret turbam invalidam, miſerabile viſu,
Forte puer prima ſignans nondum ora juventa
Inſignis facie ante alios exegerat omnem
Cum ſociis ludens lucem, oblituſque timoris

Digitized by Google

Poſthabuit ludo juſſos ediſcere verſus.
Ecce furens animis multa increpat ille, miniſque
Inſurgens, ſævo pavitantem territat ore
Horrendum, & loris dextram crudelibus armat.
Quo ſubito terrore puer miſerabilis acri
Corripitur morbo. parvo is poſt tempore vitam
Creſcentem blanda cæli ſub luce reliquit.
Illum populifer Padus, illum Serius imis
Seriadeſque diu Nymphæ flevere ſub undis.
Tempore jam ex illo vatem quum dura jubentem
Phœbigenam Alcides animo indignante peremit
Vocali inviſam feriens teſtudine frontem,
Debuerat ſævos factum monuiſſe magiſtros.
Vos tamen, o juſſi juvenes, parete regentum
Imperiis, ultroque animos ſummittite veſtros.
Siquem igitur clari formandi gloria vatis
Digna manet, verbis puerum compellat amicis
Sæpe rogans, laudiſque animum pertentat amore.
Quandoquidem, hunc imis poſtquam ſemel oſſibus ignem
Implicuit, labor inde levis: ſe ſe excitat ardens
Sponte ſua, duroſque volens fert ille labores;
Et tacito vivens creſcit ſub pectore flamma.
Quid memorem (ſocium nam mos æqualibus annis
Jungere, cui paribus ſtudiis contendat alumnus)
Æmula quum virtus ſtimulis agitarit honeſtis?
Præſertim ſi victori ſua præmia rector
Pollicitus celeremve canem, pictamve pharetram.
Continuo videas ſtudio geſtire legendi
Ardentem, ac ſera ſub nocte urgere laborem,
Dum timet alterius capiti ſpectare coronam.

Aſt ubi ſponte ſua ſtudia hæc aſſuerit amare,
Jam non laudis amor, non illum gloria tantum
Sollicitat, ſed mira operum dulcedine captus,
Muſarum nequit avelli complexibus arctis.
Nonne vides, duri natos ubi ſæpe parentes
Dulcibus amôrunt ſtudiis, & diſcere avaras
Juſſerunt artes, mentem ſiquando libido
Nota ſubit, ſolitaque animum dulcedine movit,
Ut læti rurſum irriguos accedere fontes
Ardeſcant ſtudiis, & nota reviſere Tempe?
Exſultant animis cupidi, pugnantque parentum
Imperiis: nequit ardentes vis ulla morari.
Sic aſſuetus equus jam duris ora lupatis,
Forte procul notis ſi armenta aſpexit in arvis,
Huc veterum ferri cupit haud oblitus amorum,
Atque hic atque illic hæret, freniſque repugnat:
Quove magis ſtimulis inſtas, hoc acrius ille
Perfurit. it tandem multo vix verbere victus
Cœptum iter. ipſa tamen reſpectans crebra moratur
Paſcua, & hinnitu late loca complet acuto.
Ah quoties aliquis ſacros reminiſcitur æger
Fontes incaſſum, & lucos ſuſpirat amatos
Dulcibus ereptus Muſis puer, atria ut alta
Incoleret regum, rebus præfectus agendis!
Tibure quam mallet, gelido aut ſub Tuſculo iniquam
Pauperiemque pati, & ventos perferre nivales!
Contra autem, vanum multi effudere laborem,
Quos fruſtra excoluiſſe ſolum male pinguis arenæ
Pœnituit, ventiſque viam tentaſſe negatis.
Quod ne cui ſero contingat forte docenti,

Con-

Continuo poterit certis præſciſcere ſignis.
Namque puer nullis rectorum hortatibus ipſe
Sponte ſua exercetur, amatque, rogatque docentes
Primus, inardeſcitque ingenti laudis amore.
Provocat hinc ſocios pulchra ad certamina primus,
Exſultatque animo victor, ſuperatus amaris
Mordetur curis, latebraſque, & ſola requirit
Infelix loca. ad æquales pudet ire, graveſque
Vultus ferre nequit cari rectoris inultus.
Nec lacrimis penitus caruerunt ora decoris.
Hic mihi ſe divis, fatiſque volentibus affert:
Huic Muſæ indulgent omnes, hunc poſcit Apollo.
At nullam prorſus tibi ſpem fruſtra excitet ille
Quem non ulla movet prædulcis gloria famæ,
Et præcepta negat duras dimittere in aures
Immemor auditi: cui turpis inertia mentem
Dejicit, atque hebetes torpent in corpore ſenſus.
Huic curam moneo ne quiſquam impendat inanem.
Nec placet ante annos vates puer. omnia juſto
Tempore proveniant. ah ne mihi olentia poma
Miteſcant prius, autumnus bicoloribus uvis
Quam redeat, ſpumetque cadis vindemia plenis.
Ante diem nam lapſa cadent, ramoſque relinquent
Maternos: calcabit humi projecta viator.
Nec ludos puero abnuimus. ſubducere mentem
Interdum ſtudiis liceat. defeſſus amœna
Rura petat, ſæpe & mores obſervet agreſtum,
Et venator agat de vertice Tiburtino
Veloces capreas, aut tendat retia cervis.
Non ille interea penitus patietur inanem

Digitized by Google

Ire diem. comitum cœtu ſe ſubtrahet ultro
Interdum, & ſola ſecum meditabitur umbra
Agreſtem Faunis laudem; Muſaſque ſub alta
Conſulet Albunea vitreas Anienis ad undas.
Nempe etiam alternis requieſcere fœtibus arva
Permittunt ſponte agricolæ, & ceſſare novales.
Interea vires tellus inarata reſumit,
Quique ſubit, largis reſpondet frugibus annus.
Verum non eadem tamen omnibus eſſe memento
Ingenia. inventus ſæpe eſt cui carmina curæ,
Cui placeant Muſæ, cui ſit non læva voluntas,
Nititur ille tamen fruſtra, & contendit inani
Deluſus ſtudio, vetitiſque accingitur auſis.
Numina læva obſtant, precibuſque vocatus Apollo.
Orabit melius cauſſas fors ille, animoque
Naturam, & cæcos rerum ſcrutabitur ortus.
Sæpe tamen cultuſque frequens, & cura docentum
Imperat ingeniis, naturaque flectitur arte.
Nec labor ille quidem rectoribus ultimus, acres
Incauto juveni ſtimulos avertere amoris,
Donec creſcentem doceat maturior ætas
Ferre jugum, atque faces, ſævique Cupidinis iras.
Sæpe etenim tectos immitis in oſſibus ignes
Verſat amor, molleſque eſt intus cura medullas,
Nec miſerum patitur vatum meminiſſe, nec undæ
Caſtaliæ. tantum ſuſpirat vulnere cæco.
Ante oculos ſimulacra volant noctesque, dieſque
Nuntia virginei vultus, quem perditus ardet.
Nec potis eſt alio fixam traducere mentem
Saucius. ignari fruſtra miſcere parentes

Pæo-

Pæonios ſuccos; medicaſque Machaonis artes
Conſulere. interea penitus calor ille reliquit
Pierius. torquent alii cor molle calores.
Quum vero jam pubeſcens mente altius hauſit
Muſarum dulcem, ſanctique Heliconis amorem,
Et ſe ſe Phœbo addixit, propriumque ſacravit,
Haud tantum exploret vatum monimenta, ſed idem
Conſulat, atque alios auctores diſcat, ut acri
Nulla ſit ingenio quam non libaverit artem.
Proderit in primis linguam Ciceronis ad unguem
Fingere, & eloquii per campos ire patentes.
Ille decus Latii, magnæ lux altera Romæ
Ore effundit opes, fandi certiſſimus auctor,
Tantum omnes ſuperans præclaræ munere linguæ,
Quantum iit ante alias Romana potentia gentes.
Profuit & varios mores hominumque, locorumque
Exploraſſe ſitus, multas terraque, marique
Aut vidiſſe ipſum urbes, aut narrantibus illas
Ex aliis noviſſe, & pictum in pariete mundum.
Quid referam qui, ut ſæva queant æquare canendo
Prœlia, non horrent certamina Martis adire,
Per mediaſque acies vadunt, & bella laceſſunt?
At quia dura vetant longum nos fata morari
In cunctis, revocatque anguſti terminus ævi,
Vos ſat erit, pueri, tantum omnes iſſe per artes,
Quarum ſumma ſequi ſaltem faſtigia oportet.
Nec refert, rate qui varias legit æquoris oras,
Mercis ut in patriam referat ſe dives opimæ,
Si non cuncta oculis luſtraverit oppida paſſim,
Et circumfuſis longum terat otia terris.

Sat

Sat fuerit portus, extremaque litora tantum
Exploraſſe: ſecus toto vagus exſulet ævo,
Et ferus natos dulces, patriamque reviſet.
Nulla dies tamen interea, tibi nulla abeat nox,
Quin aliquid vatum ſacrorum e fontibus almis
Hauſeris, ac dulcem labris admoveris amnem.
Sed tibi præſertim princeps tunc hæreat illa
Cura animo, noctem atque diem te te excitet una,
Omnem quam propter libuit perferre laborem.
Non hic te quibus aut pedibus, ſpatiiſve monebo
Tendantur ducti verſus. labor iſte regentum
Poſtulat haud multum curæ, qui ſæpe morando
Ipſa minutatim metiri carmina ſectis
In partes membris, & tempora certa docebunt.
Continuo, edico jam tunc animoſus alumnus
In numerum incipiat ſub leges cogere verba.
Jam tunc ſummiſſa meditetur carmina voce
Sermonum memor antiquis quos vatibus hauſit.
Tum votis ſibi centum aures, tum lumina centum
Exoptat dubius rerum, metuenſque pericli:
Dividit huc illuc animum, cunctamque pererrat
Naturam rerum, verſatque per omnia mentem,
Quis rebus dexter modus, aut quæ mollia fandi
Tempora. vertuntur ſpecies in pectore mille.
Nec mora nec requies, dubio ſententia ſurgit
Multa animo, variatque. omnes convertitur anceps
In facies, neſcitque etiam notiſſima, & hæret
Attonitus. nunc multa animum, nunc conſulit aures
Secum mente agitans ſi qua olim audita recurſent
Sponte ſua, & memorem mentem excitat, atque repoſtas

Theſauris depromit opes, lætuſque laboris
Ipſe ſui parto fruitur. multa ecce repente
Fors inopina aperit cunctanti, aliudque putanti.
Jamque hæc jamque illa attentat, texitque, retexitque,
Et variis indefeſſus conatibus inſtat.
Sæpe etenim occurrunt haud dictu mollia, ubi hæret
Cura diu, multoque exercita corda labore.
Nunc hos nunc illos aditus veſtigat, & omnia
Attentans ſcopulo longum luctatur iniquo,
Dum ſe qua oſtendat facilis via. denique multa
Aut vi, aut cæli, & fortunæ munere victor
Exſultat, domitoque animis it ad æthera monſtro.
Aſt ubi nulla viam nec vis, nec dextra aperit fors,
Nec prodeſt vires feſſas renovare, nec aptum
Nunc hic, nunc illic captare ad carmina tempus,
Invitus cura abſiſtit, triſtiſque relinquit
Cœpta infecta, pedem referens; ceu forte viator
Siquis tendat iter campis, cui ſe amnis abundans
Ecce viæ in medio objiciat, ſpumiſque fragoſos
Poſt imbrem volvens montis de vertice fluctus,
Horreſcit, ripaque moratus obambulat anceps:
Tum demum metuens retro redit æger, iterque
Aut alia tenet, aut, cedant dum flumina, differt.
Sed neque inexpertus rerum jam texere longas
Audeat Iliadas. paullatim aſſueſcat, & ante
Incipiat graciles paſtorum inflare cicutas.
Jam poterit culicis numeris fera dicere fata,
Aut quanta ediderit certamine fulmineus mus
Funera in argutas, & amantes humida turmas,
Ordirive dolos, & retia tenuis aranei.

Con-

Conſiliis etiam hic noſtris, vobiſque, docentes,
Eſt monitis opus; ingeniis nam parcere multa
Fas teneris, donec paullatim attollere ſe ſe
Incipiant animi, videantque in carmine labem
Per ſe *ipſi*, & tacito rubeant ultro ora pudore.
Nam maculas ſi forte omnes per carmina monſtret
Quæſitor ferus, abjiciant ſpem protinus omnem,
Atque alias animo potius vertantur ad artes.
Noſtrum igitur ſi forte adeat puer indole limen
Egregia, ut conſulta petat parere paratus,
Quique velit ſe ſe arbitrio ſupponere noſtro,
Excipiam placidus. nec me juvenile pigebit
Ad cælum vultu ſimulato extollere carmen
Laudibus, & ſtimulos acres ſub pectore figam.
Poſt tamen ut multa ſpe mentem arrexerit ardens,
Siquis forte inter veluti de vulnere claudus
Tardus eat verſus, quem non videt inſcius ipſe,
Deluſuſque ſonis teneras fallacibus aures,
Haud medicas afferre manus, ægroque mederi
Addubitem, & ſemper meliora oſtendere pergam.
Quod ſupereſt, etiam moneo, creberque monebo,
Ne quiſquam niſi curarum, liberque laborum
Inchoet egregium quicquam: verum procul urbis
Attonitæ fugiat ſtrepitus, & amœna ſilentis
Accedat loca ruris, ubi Dryadeſque puellæ,
Paneſque, Faunique, & montivagi Silvani.
Hic læti haud magnis opibus, non divite cultu
Vitam agitant vates. procul eſt ſceleratus habendi
Hinc amor, inſanæ ſpes longe, atque impia vota:
Et numquam diræ ſubeunt ea limina curæ.

Dulcis, & alma quies, ac paucis nota voluptas!
At nimium trux ille, feriſque e cautibus ortus,
Qui ſanctos, genus innocuum, populumque deorum
Aut armis audet vates, aut lædere dictis.
Vidi ego qui ad ſummos Muſarum munere honores
Evecti, mox ingratos contemnere Muſas,
Nec vates ſaltem alloquio dignarier ipſos.
Parcite, mortales, ſacros vexare poetas.
Ultores ſperate deos, ſub numine quorum
Semper vita fuit vatum defenſa piorum.
Illi omnes ſibi fortunas poſuere volentes
Sub pedibus; regumque & opes, & ſceptra ſuperba
Ingenti vincunt animo, ac mortalia rident.
Non illis uſquam ſcelerum mens conſcia cæcos
Horreſcit cæli crepitus, ignemve coruſcum,
Quum pater omnipotens præruptas fulmine turres
Ingeminans quatit, ac montes diverberat altos.
Securi terrorum hilares ad ſidera mentes
Arrexere, deûmque agitant ſine crimine vitam.
Dona deûm Muſæ. vulgus, procul eſte, profanum.
Has magni natas Jovis olim duxit ab aſtris
Callidus in terras inſigni fraude Prometheus,
Quum liquidos etiam mortalibus attulit ignes.
Quippe rudes hominum mentes, & pectora dura
Ipſe ſagax animo miſeratus, ubi aſtra per aurea
Ire datum, ac ſuperûm lætis accumbere menſis,
Miratus ſonitum circumvolventis olympi
Ingentem, magnique argutos ætheris orbes,
Quos, ſua quemque, cient vario diſcrimine Muſæ;
Continuo utilius ratus eſt mortalibus addi

Poſt

Poſt ignem nil poſſe, animumque ad callida movit
Furta vigil. dii mox cæleſtia dona volentes
Conceſſere, doli licet audentiſſimus ipſe
Auctor Caucaſeo ſævas det vertice pœnas.
Quo terrore niſi multo poſt tempore inertes
Non auſi dias homines accerſere Muſas.
Sed ventura prius pandebant carmine ſoli
Cælicolæ, dubiiſque dabant oracula rebus.
Ipſe pater divûm Dodonæ carmina primus,
Et Libycis cecinit lucis: mox Phocidis antro
Inſonuit Themis alma: ſuos quoque pulcher Apollo
Reſponſis monuit Delphos: nec defuit olim
Antiquis Faunus caneret qui fata Latinis.
Tum Solymûm priſci vates, tum ſacra Sibyllæ
Nomina divinas cæli in penetralia mentes
Arripuere, deumque animis hauſere furentes.
Nec mora, quæ primum Fauni, vateſque canebant,
Carmina mortales paſſim didicere per urbes,
Poſt epulas laudes heroum, & facta canentes.
Quid mirandum homini cælo divinitus æque
Conceſſum? mortale genus tua numina ſentit,
Quiſquis es ille, deus certe, qui pectora vatum
Incolis, afflataſque rapis ſuper æthera mentes.
Te ſine nil nobis lætum, nec amabile quicquam.
Ipſæ etiam volucres vario tua numina cantu
Teſtantur, pecudeſque feræ, mutæque natantes
Ad tua juſſa citæ properant. tua munera ſaxa
Dura movent, ſilvaſque trahunt hinc inde ſequentes.
Te quoque ſenſerunt olim impia Tartara, & umbræ
Pallentes ſtupuere. minas tibi janitor Orci

Obli-

Oblitus, ſævas poſuere & Erinnyes iras.
Tu Jovis ambroſiis das nos accumbere menſis,
Tu nos diis æquas ſuperis. tu blanda laborum
Sufficis, & duræ præſens ſolatia vitæ.
Salve, hominum dulcis requies, divûmque voluptas.
Ipſe tuæ egregios audax nunc laudis honores
Ingredior, vates idem, ſuperûmque ſacerdos,
Sacraque dona fero teneris comitatus alumnis.

M. HIE-

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
POETICORUM
AD FRANCISCUM FRANCISCI REGIS F. FRANCIÆ DELPHINUM
LIBER SECUNDUS.

PErgite, Pierides natæ Jovis. en mihi totum
Nunc fas venturis Helicona recludere ſeclis.
Inſpirate animum. templa ipſe in veſtra ſacerdos
Sacra ferens juvenes florentes mollibus annis
Duco audens durum per iter. vos mollia, divæ,
Siqua latent, vobis tantum divortia nota,
Præſentes monſtrate, novoſque oſtendite calles,
Quos teneam. Vos en omnis, vos Itala pubes,
Quæ juga ſub noſtris nunc tendit ad ardua ſignis,
Supplicibus poſcit votis, facileſque precatur.
Nam mihi nunc reperire apta, atque reperta docendum
Digerere, atque ſuo quæque ordine rite locare.
Durus uterque labor. ſed quos deus aſpicit æquus,
Sæpe ſuis ſubito invenient accommoda votis.
Altera nempe arti tantum eſt obnoxia cura,

Unde

Digitized by Google

Unde ſolent laudem in primis optare poetæ.
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine ſemper
Prudentes leviter rerum faſtigia ſumma
Libant, & parcis attingunt omnia dictis,
Quæ canere ſtatuere. ſimul cæleſtia divûm
Auxilia implorant, propriis nil viribus auſi.
Quos ores autem non magni denique refert,
Dum memor auſpiciis cujuſquam cuncta deorum
Aggrediare. Jovis neque enim niſi rite vocato
Numine fas quicquam ordiri mortalibus altum.
Nec ſat opem implorare ſemel, Muſaſque ciere:
Sed quoties, veluti ſcopuli, duriſſima dictu
Objicient ſe ſe tibi non ſuperanda labore
Mortali, divos toties orare licebit.
Incipiens odium fugito, facileſque legentum
Nil tumidus demulce animos, nec grandia jam tum
Convenit, aut nimium cultum oſtentantia fari.
Omnia ſed nudis prope erit fas promere verbis.
Ne ſi magna ſones, quum nondum ad prœlia ventum,
Deficias medio irriſus certamine, quum res
Poſtulat ingentes animos, vireſque valentes.
Principiis potius ſemper majora ſequantur.
Protinus illectas ſuccende cupidine mentes,
Et ſtudium lectorum animis innecte legendi.
Jam vero quum rem propones, nomine numquam
Prodere conveniet manifeſto. ſemper opertis
Indiciis, longe & verborum ambage petita
Significant, umbraque obducunt. inde tamen, ceu
Subluſtri e nebula, rerum tralucet imago,
Clarius & certis datur omnia cernere ſignis.

Hinc

Hinc ſi dura mihi paſſus dicendus Ulyſſes,
Non illum vero memorabo nomine, ſed qui
Et mores hominum multorum vidit, & urbes
Naufragus everſæ poſt ſæva incendia Trojæ.
Addam alia, anguſtis complectens omnia dictis.
Ergo age quæ vates ſervandi cura fatiget
Ordinis intentos operi, quum carmine aperto
Rem tempus narrare, loco ut diſpoſta decenti
Omnia ſint opere in toto, nec meta laborum
Uſquam diſſideat ingreſſibus ultima primis.
Principio invigilant non exſpectata legenti
Promere, ſuſpenſoſque animos novitate tenere,
Atque per ambages ſeriem deducere rerum.
Nec, quacumque viam ſuadet res geſta, ſequuntur.
Plerumque a mediis arrepto tempore fari
Incipiunt, ubi facta vident jam carmine digna.
Inde minutatim geſtarum ad limina rerum
Tendentes, prima repetunt ab origine factum.
Hoc faciunt, operum primo ne in limine lector
Hæreat ignaruſque viæ, incertuſque laborum.
Namque ubi eum metam jam tum ſtatuere ſub ipſam,
Lætior ingreditur, ſpe mentem arrectus inani,
Dum putat exigui finem prope adeſſe laboris.
Sed portus, quos ante oculos habet uſque propinquos
Approperans, jam jamque tenet, ſimiliſque tenenti eſt,
Longa procul longo via dividit invia tractu.
Flectendi retro curſus: via plurima eunti
Reſtat adhuc, multumque illi maris æquor arandum.
Haud ſapiens quiſquam, annales ceu congerat, Ilii
Inchoet excidium veteri paſtoris ab uſque

Judicio, memorans ex ordine ſingula, quicquid
Ad Trojam Argolicis ceſſatum eſt Hectore duro.
Conveniet potius prope finem prœlia tanta
Ordiri, atque graves iras de virgine rapta
Averſi Æacidæ præmittere: tum fera bella
Conſurgunt, tum pleni amnes Danaûmque, Phrygumque
Xanthuſque, Simoiſque, & inundant ſanguine foſſæ.
Haud tamen interea quæ præceſſere ſilendum,
Aulide jurantes Danaos, vectaſque per æquor
Mille rates, raptuſque Helenes, & conjugis iras,
Quæque novem Troja eſt annos perpeſſa priores.
Atque etiam in patriam ſiquis deducere adortus
Errantem Laertiaden poſt Pergama capta,
Non illum Idæo ſolventem e litore claſſem
Cum ſociis primum memoret, Ciconeſque ſubactos,
Sed jam tum Ogygiam delatum ſiſtat ad alta
Virginis, amiſſis ſociis, Atlantidos antra.
Exin poſt varios Phæacum in regna labores
Inſerat. hic poſitis demum ipſe miſerrima menſis
Erroreſque ſuos narret, caſuſque ſuorum.
Ante tamen ſi geſta canunt, ab origine cauſſas,
Expediunt quis dehinc ſtatus, aut quæ tempora rerum.
Primus at ille labor verſu tenuiſſe legentem
Suſpenſum, incertumque diu, qui denique rerum
Eventus maneant, quo tandem durus Achilles
Munere placatus regi rurſum induat arma
In Teucros, cujuſve dei Laertius heros
Auxilio, Polypheme, tuis evadat ab antris.
Lectores cupidi exſpectant, durantque volentes,
Nec perferre negant ſupereſt quodcumque laborum,

Inde licet feſſos ſomnus gravis avocet artus,
Aut epulis placanda fames, Cererîſque libido.
Hoc ſtudium, hanc operam ſero dimittimus ægri.
Nonne vides ut ſæpe aliquis nimis arte ſuperbit
Improbus, & captis animis illudere gaudet,
Et nunc huc, deinde huc mentes deducit hiantes,
Suſpenditque diu miſeros, torquetque legentes?
Ille quidem ſi te magnum certamen Atridæ
Et Paridis, multo promiſſum carmine nuper,
Exſpectare avidum, ſævaque cupidine captum
Senſerit, uſque moras trahet ultro, & differet arma,
Dum celſa Priamo, patribuſque e turre Lacæna
Nomine quemque ſuo reges oſtendit Achivos.
Ipſa procos etiam ut juſſit certare ſagittis
Penelope, optatas promittens callida tedas
Victori, per quanta moræ diſpendia mentes
Suſpenſas trahet ante, viri quam proferet arcum
Theſauris clauſum antiquis, penituſque repoſtum!
Haud tamen omnino incertum metam uſque ſub ipſam
Exactorum operum lectorem in nube relinquunt.
Sed rerum eventus nonnullis ſæpe canendo
Indiciis porro oſtendunt in luce maligna,
Subluſtrique aliquid dant cernere noctis in umbra.
Hinc pater Æneam, multique inſtantia vates
Fata docent Latio bella, horrida bella manere,
Atque alium partum Trojanis rebus Achillem.
Spem tamen incendunt animo, firmantque labantem
Spondentes meliora, & res in fine quietas.
Ipſe quoque agnovit per ſe, quum in limine belli
Navibus egreſſus turmas invaſit agreſtes,

Atque (omen pugnæ) proſtravit marte Latinos
Occiſo, ante alios qui ſe ſe objecerat, hoſte.
Fata Menœtiades etiam prædixerat olim
Victori moriens majori inſtare ſub hoſte ,
Quamvis haud fuerit res credita. tu quoque, Turne,
Prævidiſſe tuos poteras heu, perdite, caſus
Longe ante exitium, quum crebro obſcœna volucris
Per clypeum, perque ora volans ſtridentibus alis
Omine turbavit mentem, admonuitque futuri.
Hinc tibi tempus erit, magno quum optaveris emtum
Intactum Pallanta, & quum ſpolia aurea baltei
Oderis, atque tibi haud ſtabit victoria parvo.
Nam juvat hæc ipſos inter præſciſſe legentes,
Quamvis ſint & adhuc confuſa, & nubila porro.
Haud aliter longinqua petit qui forte viator
Mœnia, ſi poſitas altis in collibus arces
Nunc etiam dubias oculis videt, incipit ultro
Lætior ire viam, placidumque urgere laborem;
Quam quum nuſquam ullæ cernuntur quas adit arces,
Obſcurum ſed iter tendit convallibus imis.
Tuque ideo niſi mente prius, niſi pectore toto
Crebra agites quodcumque canis, tecumque premendo
Totum opus ædifices, iterumque, iterumque retractes,
Laudatum alterius fruſtra mirabere carmen.
Nec te fors inopina regat, caſuſque labantem.
Omnia conſiliis proviſa, animoque volenti
Certus age, ac ſemper nutu rationis eant res.
Quandoquidem ſæpe incerti huc, illucque vagamur,
Inque alia ex aliis inviti illabimur orſa,
Dum multa ac varians animis ſententia ſurgit.

Sæpe

Digitized by Google

Sæpe vides, primis ut quidam longius orſis
Digrediuntur, & obliti quaſi cœpta priora
Longe aliis hærent nulla ſermonibus arte,
Et longos peragrant tractus, aliena canentes.
Ac velut in patriam peregrina ſiquis ab ora
Ire cupit poſt exſilium, duroſque labores,
Ille tamen recto non qua via tramite ducit,
Carpit iter, ſed nunc vagus hac, nunc errat & illac,
Undique dum ſtudio fontes inviſit inani,
Ronteſque, fluvioſque, & amœnos frigore lucos.
Nam quid opus gemmis armatos pingere currus,
Multa ſuperque rotas, ſuper axes multa morari
Tunc quum bella manus poſcunt, atque arma fremit Mars?
Nec ſiquem indecoremque animi, pugnaſque peroſum
Egregios inter memoras heroas in armis
Caſtra ſequi, cupidi exſpectant audire legentes,
Qua facie, quibus ille humeris, qualive capillo
Incedat, captus ne oculo, an pes claudicet alter,
Aut longo vertex ductu conſurgat acutus,
Ordine cuncta, aliud quaſi nil tibi reſtet agendum.
Aptior Auſonius Drances, cui frigida bello
Dextra quidem, ſed conſiliis non futilis auctor,
Dives opum, pollens lingua, & popularibus auris.
Multa tamen Grajæ fert indulgentia linguæ,
Quæ noſtros minus addeceant graviora ſequentes.
Quid tibi nonnullas artes, ſtudiumque minorum
Indignum referam? ſunt qui, ut ſe plurima noſſe
Oſtentent, pateatque ſuarum opulentia rerum,
Quicquid opum congeſſerunt, ſine more, ſine arte
Irriſi effundunt, & verſibus omnia acervant,

Præcipue ſiquid ſummotum, ſiquid opertum,
Atque parum vulgi notum auribus, aut radiantis
De cæli arcana ratione, deûmve remota
Natura, aut animæ obſcuro impenetrabilis ortu.
Sæpe etiam accumulant antiqua exempla virorum
(Carminis ingratum genus) hinc atque inde petita,
Quamvis ſæpe illis tempuſque, locuſque repugnet.
Ne, pueri, ne talem animis inducite morem,
Nec vos decipiat laudis tam dira cupido.
Haud ſum animi dubius, magnos memorare poetas
Interdum Soliſque vias, Lunæque labores,
Aſtrorumque ortus: qua vi tumida æquora ſurgant,
Unde tremor terris, quamvis illi orſa ſequantur
Longe alia, aut duri cantantes prœlia Martis,
Aut terræ mores varios, cultuſque docentes.
At prius invenere locum, dein tempore capto
Talia ſubjiciunt parci, nec ſponte videntur
Fari ea. rem credas hoc ipſam poſcere; ita aſtum
Diſſimulant, adituſque petunt ſuper omnia molles.
Cur pater Anchiſes natum opportuna rogantem
Non doceat, rurſus ne animæ ſemel æthere caſſæ
Ad cælum redeant, blandique ad luminis auras?
Igneus an ne ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant?
Quandoquidem ut varium ſit opus (namque inde voluptas
Grata venit) rebus non uſque hærebis in iiſdem.
Verum ubi vis animis varius ſuccurrere feſſis,
Ingrederiſque novas facies, rerumque figuras,
Paullatim capto primis delabere cœptis
Tempore, nec poſitis inſit violentia rebus.

Omnia

Omnia ſponte ſua veniant, lateatque vagandi
Dulcis amor, cunctamque potens labor occulat artem.
Sic olim Æneæ, venturi haud inſcius ævi,
Res Italûm in clypeo, Romanorumque triumphos
Fecerat ignipotens, pugnataque in ordine bella,
Stirpis ab Aſcanio quondam genus omne futurum.
Tum ſi quis Latio cretus de ſanguine vates
Proſequitur varias oras, moreſque locorum
Medoſque, Æthiopaſque, & dites arboris Indos,
Immemor ille nimis patriæ, oblituſve ſuorum,
Si non Italiæ laudes æquaverit aſtris,
Cui neque Medorum ſilvæ, neque Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaïa certet arenis.
Quare etiam, egregii vates, ego carmina veſtra
Haud equidem arguerim, qui pectora feſſa legentum
Interdum, atque aures recreatis carmine dulci.
Non ego poſt Celei crates, poſt tribula dicta,
Raſtraque, plauſtraque, & inflexo cum vomere aratra
Addubitem flere exſtincti miſerabile funus
Romani ducis, aut ruris laudare quietem
Poſt vites dictas Bacchi, & ſilveſtria dona.
Vidi etiam qui jam perfecto munere longam
Subjecere moram, extremo ſub fine vagantes
Exactorum operum, vacua dum carmina Muſa
In longum traherent, cujus dulcedine mira
Feſſi animi cuperent iterumque iterumque redire.
Me nulla iccirco quiret vis ſiſtere, quin poſt
Naturas & apum dictas, & liquida mella,
Triſtis Ariſtæi queſtus, monituſque parentis
Proſequerer dulci ſermone, & Protea vinctum.

Addam

Addam Threicii carmen miſerabile vatis,
Qualis populea queritur philomela ſub umbra,
Ut Rhodope, ut Pangæa fleant, Rheſi ut domus alta,
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyia.
Non aliam ob cauſſam, reges qui in prœlia euntes
Dinumerant, populoſque, moram traxere canentes
Aut Ligurum regi, ob caſum Phaetontis amati
Dum gemit, & mœſtum Muſa ſolatur amorem,
In ſilvis cano natas in corpore plumas,
Aut rurſum Hippolytum ſuperas veniſſe ſub auras
Pœoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Nec vero interea, quæ cuique inſignia, quæ arma,
Prætereunt: pingunt clypeos, atque Hercule pulchro
Pulcher Aventinus ſatus olim inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus Hydram.
Sæpe etiam loca amœna canunt, & frigida Tempe.
Nunc variis pingunt cum floribus auricomum ver,
Nunc virides liquidis inducunt fontibus umbras,
Crebraque fluviorum in ripis ſpatiantur opacis
Aut Veneti Eridani, aut Ætoli Acheloi.
Addunt & Panas, Faunos, Dryadaſque puellas,
Et centum æquoreas Nereo genitore ſorores.
Sæpe tamen memorandum inter ludicra memento
Permiſcere aliquid, breviter mortalia corda
Quod moveat, tangens humanæ commoda vitæ,
Quodque olim jubeant natos meminiſſe parentes.
At non exiguis etiam te inſiſtere rebus
Abnuerim, ſi magna voles componere parvis,
Aut apibus Tyrios, aut Troja ex urbe profectos
Formicis, Libycum properant dum linquere litus.

Sed non Auſonii recte fœdiſſima muſca
Militis æquarit numerum, quum plurima mulctram
Pervolitat; neque enim in Latio magno ore ſonantem
Arma, duceſque decet tam viles decidere in res.
Nec dictis erit ullus honos, ſi quum actus ab urbe
Daunius hoſtili Teucris urgentibus heros
Vix pugna abſiſtit, ſimilis dicetur aſello,
Quem pueri læto paſcentem pinguia in agro
Hordea ſtipitibus duris detrudere tendunt
Inſtantes, quatiuntque ſudes per terga, per armos:
Ille autem campo vix cedere, & inter eundum
Sæpe hic atque illic avidis inſiſtere malis.
Omnia conveniunt, rerumque ſimillima imago eſt,
Credo equidem; ſed turpe pecus, nec Turnus aſellum
Turnus avis, ataviſque potens dignabitur heros.
Aptius hanc ſpeciem referet leo, quem neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, neque ſufficit unus
Tendere tot contra, teliſque obſtare ſequentum.
Hoc quoque non ſtudiis nobis levioribus inſtat
Curandum, ut, quando non ſemper vera profamur
Fingentes, ſaltem ſint illa ſimillima veris.
Vidi aliquos, qui, quum Glauco medio æquore belli
Tydides ferus occurrit, vix credere poſſunt
Tot traxiſſe moras longis ſermonibus uſos
Inter ſe ſe ambos, dum fervent omnia cæde.
Alter enim diri narrat fera fata Lycurgi;
Crimine damnati falſo alter Bellerophontis
Facta refert, magna domitam virtute Chimæram,
Et victos pariter Solymos, & Amazonas armis.
Nam quæ multa canunt ficta, & non credita vates,

Digitized by Google

Dulcia quo vacuas teneant mendacia mentes,
Illis nulla fides, quam nec ſibi denique aperti
Expoſcunt, nec diſſimulant, licet omnia obumbrent
Relligione deûm, quæ non credenda profantur.
Iccirco Solis perhibent armenta locuta
Mortua, & in verubus Vulcano toſta colurnis,
Ut minus acris equos itidem miremur Achillis,
Verbaque veliferas roſtris fudiſſe carinas:
Omnia quæ porta veniunt inſomnia eburna.
Diſce etiam, pulchri tibi ſi cura ordinis ulla eſt,
Res tantum ſemel effari. repetita bis aures
Ferre negant, ſubeunt feſſas faſtidia mentes.
Quamquam etiam hic noſtris cernes differre Pelaſgos;
Nam tibi non referent ſemel illi ſomnia Atridæ,
Nec ſat erit ſi rettulerint, quid fortis Achilles
Mente dolens Danaûm ſe ſe ſubduxerit armis,
Ipſe iterum Æacides niſi ſolo in litore ponti
Flens eadem æquoreæ narraverit omnia matri.
Quin etiam reges quum dant mandata ferenda,
Cuncta canunt prius ipſi, eadem mox carmine eodem
Miſſi oratores repetunt nihil ordine verſo.
Non ſic Auſonius Venulus, legatus ab Arpis
Quum redit Ætoli referens reſponſa tyranni.
Altum aliis aſſurgat opus: tu nocte, dieque
Exiguum meditator, ubi ſint omnia culta,
Et viſenda novis iterumque, iterumque figuris.
Quod ſi longarum cordi magis ampla viarum
Sunt ſpatia, anguſtis quum res tibi finibus arcta,
In longum trahito arte. viæ tibi mille trahendi,
Mille modi. nam ficta potes multa addere veris,

Et petere hinc illinc variarum ſemina rerum.
Nonne vides, ut noſtra deos in prœlia ducant,
Hos Teucris, alios Danais ſocia arma ferentes,
Certanteſque inter ſe odiis, donec pater ipſe
Concilium vocet, atque ingentes molliat iras?
Quum ſecura tamen penitus natura deorum
Degat, & aſpectu noſtro ſummota quieſcat.
Addunt infernaſque domos regna invia vivis,
Tartareoſque lacus, Ditemque, & Erinnyas atras.
Tum volucrum captant cantus, atque omina pennæ.
Sæpe etiam hoſpitibus convivia læta receptis,
Regaleſque canunt epulas, ubi multa repoſtis
Narrantur dapibus vario ſermone viciſſim.
Nunc ludos celebrant magnorum ad buſta virorum,
Annua nunc patriis peragunt diis ſacra periclo
Servati quondam: laudeſque ad ſidera tollunt
Aut Phœbi, monſtro ingenti Pythone peremto,
Aut magni Alcidæ, Cacum ut videre jacentem.
Rege ſub Euryſtheo tulerit quos ille labores,
Alterni repetunt cantu. ſuper omnia Caci
Speluncam adjiciunt, ſpirantemque ignibus ipſum.
An memorem, quandoque omnes intendere nervos
Quum libuit, verbiſque ipſam rem æquare canendo,
Seu dicenda feri tempeſtas horrida ponti,
Ventorum & rabies, fractæque ad ſaxa carinæ
Aut Siculo anguſto, aut impacato Euxino?
Sive coorta repente lues, quum multa ferarum,
Corpora multa hominum leto data, ſive Sicana
Dicendum quantis terra tonet Ætna ruinis
Prorumpens atram cæli uſque ad ſidera nubem

Turbine fumantem piceo, & candente favilla.
Vidiſti quum bella canunt horrentia, & arma
Arma fremunt, miſcentque equitum, peditumque ruinas.
Ante oculos, Martis ſe ſe offert triſtis imago,
Non tantum ut dici videantur, ſed fieri res;
Unde ipſis nomen Graji fecere poetis.
Armorum fragor audiri, gemituſque cadentum,
Cædentumque ictus, & inania vota precantum.
Quis quoque, quum captas evolvunt hoſtibus urbes,
Temperet a lacrimis? tectorum ad culmina ſævas
Ire faces, paſſimque domos involvere flammas
Cernere erit, trepidoſque ſenes, pueroſque parentes
Amplexos, flenteſque ipſas ad ſidera matres
Tollentes clamorem hoſtes interque, ſuoſque;
Abſtractaſque nurus adytis, ariſque deorum
Et crinem laniare, & pectora tundere palmis;
Hos fugere, aſt illos ingentem abducere prædam.
Perque domos, perque alta ruunt delubra deorum,
Atque huc, atque illuc tota diſcurritur urbe.
Quid quum animis ſacer eſt furor additus, atque potens vis?
Nam variant ſpecies animorum, & pectora noſtra
Nunc hos, nunc illos multo diſcrimine motus
Concipiunt, ſeu quod cæli mutatur in horas
Tempeſtas, hominumque ſimul quoque pectora mutant:
Seu quia non iidem reſpondent ſæpe labore
Senſus effœti, atque animus cum corpore languet:
Seu quia curarum interdum, vacuique doloris,
Interdum triſtes cæco intus tundimur æſtu.
Dii potius noſtris ardorem hunc mentibus addunt
Dii potius, felixque ideo qui tempora quivit,

Digitized by Google

Adventumque dei, & ſacrum exſpectare calorem,
Paulliſperque operi poſito ſubducere mentem,
Mutati donec redeat clementia cæli.
Sponte ſua veniet juſtum (ne accerſite) tempus.
Interdum & ſilvis frondes, & fontibus humor
Deſunt, nec victis ſemper cava flumina ripis
Plena fluunt, nec ſemper agros ver pingit apricos.
Sors eadem incertis contingit ſæpe poetis.
Interdum exhauſtæ languent ad carmina vires,
Abſumtuſque vigor, ſtudiorumque immemor eſt mens.
Torpeſcunt ſenſus, circum præcordia ſanguis
Stat gelidus. credas penitus migraſſe Camœnas;
Notaque numquam ipſum rediturum in pectora Phœbum.
Nil adeo Muſæ, nil ſubvenit auctor Apollo.
Ah quoties aliquis fruſtra conſueta retentat
Munera, nec cernit cælum ſe tendere contra,
Adverſoſque deos, atque implacabile numen!
Quidam autem inventus qui ſæpe reduceret auras
Optatas veterum cantando carmina vatum,
Paullatimque animo blandum invitaret amorem,
Donec collectæ vires, animique refecti,
Et rediit vigor ille, velut poſt nubila, & imbres
Sol micat æthereus. unde hæc tam clara repente
Tempeſtas? deus ecce deus jam corda fatigat,
Altius inſinuat venis, penituſque per artus
Diditur, atque faces ſævas ſub pectore verſat.
Nec ſe jam capit acer agens calor, igneaque intus
Vis ſævit, totoque agitat ſe corpore numen.
Ille autem exſultans jactat jam non ſua verba,
Oblituſque hominem, mirum ſonat. haud potis ignem
Excu-

Excutere. invitum miratur ſe ire, rapique
Præcipitèm te, Phœbe, vocans, te, Phœbe, prementem
Vociferans, plenuſque deo, ſtimuliſque ſubactus
Haud placidis. non ille dapum, non ille quietis,
Aut ſomni memor hanc potis eſt deponere curam.
Sæpe etiam in ſomnis memores Phœbeïa verſant
Munera, & inventi quidam qui ſæpe ſopore
In medio Muſis cecinere, & Apolline digna.
Tantus amor famæ, præſentis tanta dei vis.
Ne tamen ah nimium, puer o, ne fide calori.
Non te fortuna ſemper permittimus uti,
Præſentique aura, ſævum dum pectore numen
Inſidet: at potius ratioque, & cura reſiſtat;
Freno ſiſte furentem animum, & ſub ſigna vocato,
Et premere, & laxas ſcito dare cautus habenas.
Atque ideo ſemper tunc exſpectare jubemus,
Dum fuerint placati animi, compreſſus, & omnis
Impetus. hic recolens ſedato corde reviſe
Omnia, quæ cæcus menti ſubjecerint ardor.
Præterea haud lateat te nil conarier artem,
Naturam niſi ut aſſimulet, propiuſque ſequatur.
Hanc unam vates ſibi propoſuere magiſtram:
Quicquid agunt, hujus ſemper veſtigia ſervant.
Hinc varios moreſque hominum, moreſque animantum,
Aut ſtudia imparibus diviſa ætatibus apta
Effingunt facie verborum; & imagine reddunt
Quæ tardoſque ſenes deceant, juveneſque virentes,
Femineumque genus; quantum quoque rura colenti,
Aut famulo diſtet regum alto e ſanguine cretus.
Nam mihi non placeat, teneros ſi ſit gravis annos

Digitized by Google

Telemachus ſupra, ſenior ſi Neſtor inani
Gaudeat & ludo, & canibus, pictiſve pharetris.
Et quoniam in noſtro multi perſæpe loquuntur
Carmine, verba illis pro conditione virorum,
Aut rerum damus, & proprii tribuuntur honores,
Cuique ſuus, ſeu mas, ſeu femina, ſive deus ſit.
Semper enim ſummus divûm pater, atque hominum rex
Ipſe in concilio fatur, ſi forte coorta
Seditio, paucis. at non Venus aurea contra
Pauca refert, Teucrûm indignos miſerata labores.
Ingreditur furiis, atque alta ſilentia rumpit
Acta furore gravi Juno, ac fœta uſque querelis.
Quumque etiam juveni gliſcat violentia major,
Ardens cui virtus, animuſque in pectore præſens,
Nulla mora in Turno, nec dicta animoſa retractat.
Stat conferre manum, & certamine provocat hoſtem
Deſertorem Aſiæ. verum quantum ille feroci
Virtute exſuperat, tanto eſt impenſius æquum
Et pietate gravem, & ſedato corde Latinum
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Multum etiam intererit, Dido ne irata loquatur,
An pacato animo. Libycas ſi linquere terras
Trojanus paret, & deſertum fallere amorem,
Sæviet, ac tota paſſim bacchabitur urbe.
Mentis inops, immanis, atrox verba aſpera rumpet,
Confuſaſque dabit voces incertaque, & anceps
Quæ quibus anteferat. quantum ab diſtabit ab illa
Didone, excepit Teucros quæ nuper egentes
Solvere corde metum, atque jubens ſecludere curas,
Invitanſque ſuis vellent confidere regnis!

Nec

Nec te oratores pigeat, artiſque magiſtros
Conſuluiſſe, Sinon Phrygios quo fallere poſſit
Arte dolis, quocumque animos impellere doctus;
Quove tenere queat Grajos fandi auctor Ulyſſes
Stante domum Troja tandem diſcedere certos.
Quid tibi nunc dulcem præ cunctis Neſtora dicam,
Qui toties inter primores Argivorum
Ingentes potuit verbis componere lites,
Et mulcere animos, & mollia fingere corda?
Artibus his certe Cytherea inſtructa, doliſque
Arma rogat nato genitrix, & adultera læſum
Vulcanum alloquitur, dictiſque aſpirat amorem.
Nam cauſſas petit ex alto indeprenſa, virique
Circuit occulta verborum indagine mentem.
Diſcitur hinc etenim ſenſus, menteſque legentum
Flectere, diverſoſque animis motus dare, ut illis
Imperet arte potens (dictu mirabile!) vates.
Nam ſemper, ſeu læta canat, ſeu triſtia mœrens,
Affectas implet tacita dulcedine mentes.
Quem non Threicii quondam ſors aſpera vatis
Molliat, amiſſam dum ſolo in litore ſecum,
Eurydice, ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te veniente die, te decedente vocaret?
Quid, puer Euryalus quum pulchros volvitur artus,
Ah dolor! inque humeros lapſa cervice recumbens
Langueſcit moriens, ceu flos ſucciſus aratro?
Ardet adire animus lectori, & currere in ipſum
Volſcentem, puerique manum ſupponere mento
Labenti, ac largum fruſtra prohibere cruorem
Purpureo niveum ſignantem flumine pectus.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremo, tibi ſiqua inſtant dicenda, ruborem
Quæ tenerum incuterent Muſis adaperta, choriſque
Virgineis, molli vel præterlabere tactu
Diſſimulans, vel verte alio, & rem ſuffice fictam.
Si pater omnipotens tonitru cælum omne ciebit,
Speluncam Dido, dux & Trojanus eamdem
Deveniant, pudor ulterius nihil addere curet.
Nam ſat erit, tellus ſi prima, & conſcius æther
Connubii dent ſignum, ululentque in vertice Nymphæ.
Neve aliis impar nimium ne Troilus armis
Ah puer infelix facito concurrat Achilli,
Quam quibus in Libyco conſpexit litore pictum
Illum Anchiſiades heros, dum victus anhelis
Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani:
Nec pueri veros congreſſus dicere cures.
Quid deceat, quid non, tibi noſtri oſtendere poſſunt.
Inventa ex aliis diſce: & te plurima Achivos
Conſulere hortamur veteres, Argivaque regna
Explorare oculis, & opimam avertere gazam
In Latium, atque domum lætum ſpolia ampla referre.
Haud minor eſt adeo virtus, ſi te audit Apollo,
Inventa Argivûm in patriam convertere vocem,
Quam ſi tute aliquid intactum inveneris ante.
Aſpice ut inſignis peregrino incedat in auro
Fatidicæ Mantus, & Mincî filius amnis,
Fulgeat ut magni exuvias indutus Homeri,
Nec pudet. egregias artes oſtenderit eſto
Græcia, tradiderit Latio præclara reperta,
Dum poſt in melius aliunde accepta Latini
Omnia rettulerint, dum longe maxima Roma

Ut belli ſtudiis, ita doctis artibus omnes,
Quod Sol cumque videt terrarum, anteiverit urbes.
Dii Romæ indigetes, Trojæ tuque auctor Apollo,
Unde genus noſtrum cæli ſe tollit ad aſtra,
Hanc ſaltem auferri laudem prohibete Latinis.
Artibus emineat ſemper, ſtudiiſque Minervæ
Italia, & gentes doceat pulcherrima Roma,
Quandoquidem armorum penitus fortuna receſſit;
Tanta Italos inter crevit diſcordia reges.
Ipſi nos inter ſævos diſtringimus enſes,
Nec patriam pudet externis aperire tyrannis.
Spes tamen Italiæ proſtratæ affulſerat ingens
Nuper, & egregiis animos erexerat auſis
Heu fruſtra. invidit laudi fors læva Latinæ,
Nec dum fata malis Italûm exſaturata quierunt.
Jam gentes longe poſitæ trepidare, duceſque
Externi. jam dives Arabs, jam Nilus, & Indus
Audierant longe Tuſci decora alta Leonis,
Audierant Medycumque genus, ſtirpemque deorum.
Jam tum ille egregias curas accinxerat ardens
Pro patriæ decore, pro libertate ſepulta
Antiquæ Auſoniæ germano fretus Iulo,
Quicum partitus curarum ingentia ſemper
Pondera, commiſſas rerum tractabat habenas
Idem regnatorque hominum, divûmque ſacerdos.
Jamque illum Europæ reges, genſque omnis in unum
Converſique oculos, converſique ora tenebant.
Jamque duces animis illum concordibus omnes
Velle ſequi trepidos in Turcas arma parantem.
Illum quadrijugo invectum per mœnia curru,

Roma,

Digitized by Google

Roma, triumphato vidiſſes protinus orbe.
Illum, Tybri pater, lætanti ſpumeus alveo
Exciperes Tuſcus Tuſcum, veheresque per undas
Miratus habituſque novos, hominumque figuras.
Iſſent poſt currus capti longo ordine reges,
Oblituſque minas minor iret barbarus hoſtis,
Qui victis Solymis nunc, atque Oriente ſubacto
Exſultat fidens, orbiſque affectat habenas
Efferus, atque Italæ jam jam (ſcelus!) imminet oræ.
Viſendi ſtudio paſſim Romana juventus
Per fora, perque vias feſta diſcurreret urbe.
Ipſe ſuos ſolio fulgens pater aureus alto
Aſpiceret cives longo poſt tempore viſos,
Barbaricumque aurum, prædæque juberet acervos
Sacratis adytis, penituſque alta arce reponi.
Verum heu (dii, veſtrum crimen) ſpes tanta repente
Italiæ abſumta, ac penitus fiducia ceſſit.
Egregius moriens heros ſecum omnia vertit.

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
POETICORUM
AD FRANCISCUM FRANCISCI REGIS F. FRANCIÆ DELPHINUM
LIBER TERTIUS.

NUnc autem linguæ ſtudium, moremque loquendi,
Quem vates, Muſæque probēt, atq; auctor Apollo,
Expediam, curam extremam, finemque laborum.
Diſcendum, indicia, & verborum lumina quæ ſint
Munere Pieridum luſtrandis addita rebus.
Ne te opere incœpto deterreat ardua meta,
Audendum, puer, atque invicto pectore agendum.
Jam te Pierides ſumma en de rupe propinquum
Voce vocant, viridique oſtentant fronde coronam
Victori, atque animo ſtimulos hortatibus addunt.
Jamque roſas calathis ſpargunt per nubila plenis
Deſuper, & florum placido te plurima nimbo
Tempeſtas operit, gratumque effuſus odorem
Ambroſiæ liquor aſpirat divina voluptas.
Verborum in primis tenebras fuge, nubilaque atra.

Nam

Nam neque (ſi tantum fas credere) defuit olim
Qui lumen jucundum ultro, lucemque peroſus
Obſcuro nebulæ ſe circumfudit amictu;
Tantus amor noctis, latebræ tam dira cupido.
Ille ego ſim cui Pierides dent carmina Muſæ
Lumine clara ſuo, externæ nihil indiga lucis.
Nec tamen id votis optandum denique magnis.
Ipſe volens per te poteris; vis dædala fandi
Tot ſe adeo in facies, tot ſe convertit in ora,
Mille trahens varia ſecum ratione colores.
Mille modis aperire datur mentiſque latebras,
Quique latent tacito arcani ſub pectore motus.
Si tibi, dum trepidas, non hac ſucceſſerit, & lux
Non datur hinc, te verte alio, lumenque require
Nunc hac, nunc illac, donec diffulſerit ultro,
Claraque tempeſtas cælo radiarit aperto.
Quin, etiam anguſtis ſi non urgebere rebus,
Quum fandi tibi mille viæ, tibi mille figuræ
Occurrent, tu mille vias, tu mille figuras
Nunc hanc, nunc aliam ingredere, & mutare memento,
Jamque hos, jamque alios haud ſegnis ſumere vultus.
Nempe inde illectas aures immenſa voluptas
Detinet, & dulci pertentat pectora motu.
Ergo omnem curam impendunt, ut cernere nuſquam
Sit formas ſimiles, naturæ exempla ſequuti,
Diſſimili quod ſint facie quæcumque ſub aſtris
Vitales carpunt auras, genus omne ferarum,
Atque hominum, pictæ volucres, mutæque natantes.
Nonne vides, verbis ut veris ſæpe relictis
Accerſant ſimulata, aliundeque nomina porro

Tranſ-

Tranſportent, aptentque aliis ea rebus, ut ipſæ
Exuviaſque novas, res, inſolitoſque colores
Indutæ, ſæpe externi mirentur amictus
Unde illi, lætæque aliena luce fruantur,
Mutatoque habitu; nec jam ſua nomina mallent?
Sæpe ideo quum bella canunt, incendia credas
Cernere, diluviumque ingens ſurgentibus undis.
Contra etiam Martis pugnas imitabitur ignis,
Quum furit accenſis acies Vulcania campis.
Nec turbato oritur quondam minor æquore pugna.
Confligunt animoſi Euri certamine vaſto
Inter ſe, pugnantque adverſis molibus undæ.
Uſque adeo paſſim ſua res inſignia lætæ
Permutantque, juvantque viciſſim, & mutua ſe ſe
Altera in alterius transformat protinus ora.
Tum ſpecie capti gaudent ſpectare legentes.
Nam diverſa ſimul datur e re cernere eadem
Multarum ſimulacra animo ſubeuntia rerum.
Ceu quum forte olim placidi liquidiſſima ponti
Æquora vicina ſpectat de rupe viator,
Tantum illi ſubjecta oculis eſt mobilis unda:
Ille tamen ſilvas, interque virentia prata
Inſpiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captoſque eludit imagine viſus.
Non aliter vates nunc huc traducere mentes
Nunc illuc, animiſque legentum apponere gaudet
Diverſas rerum ſpecies, dum tædia vitat.
Res humiles ille interea non ſecius effert
Splendore illuſtrans alieno, & lumine veſtit:
Verborumque ſimul vitat diſpendia parcus.

Hunc

Hunc fandi morem (ſi vera audivimus) ipſi
Cælicolæ exercent cæli in penetralibus altis,
Pieridum chorus in terras quem detulit olim,
Atque homines docuere, deûm præclara reperta.
Illæ etenim Jovis ætherea dicuntur in aula
Immixtæ ſuperis feſtas agitare choreas,
Et ſemper canere alternæ, Phœbique fruuntur
Colloquio, vatumque inſpirant pectora ab alto.
Nec tamen haud ſolis fugit hæc me nota poetis,
Verum etiam auctores alii experiuntur, & audent,
Præcipue orantes cauſſas, fandique magiſtri,
Seu ſontes tendant legum compeſcere habenis,
Seu caros cupiant atris e mortis amicos
Faucibus eripere, & defletos reddere luci.
Quin etiam agricolas ea fandi nota voluptas
Exercet, dum læta ſeges, dum trudere gemmas
Incipiunt vites, ſitientiaque ætheris imbrem
Prata bibunt, ridentque ſatis ſurgentibus agri.
Hanc vulgo ſpeciem propriæ pænuria vocis
Intulit, indictiſque urgens in rebus egeſtas.
Quippe ubi ſe vera oſtendebant nomina nuſquam,
Fas erat hinc, atque hinc transferre ſimillima veris.
Paullatim accrevere artes, hominumque libido;
Quodque olim uſus inops reperit, nunc ipſa voluptas
Poſtulat, hunc addens verborum rebus honorem.
Sic homines primum venti vis aſpera adegit,
Vitandique imbres ſtipulis horrentia tecta
Ponere, & informi ſedem arctam claudere limo:
Nunc altæ æratis trabibus, Pariiſque columnis
Regifico ſurgunt ædes ad ſidera luxu.

Parcius iſta tamen delibant, & minus audent
Artifices alii, nec tanta licentia fandi
Cuique datur, ſolis vulgo conceſſa poetis.
Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, & ſe
Sponte ſua ſpatiis anguſti temporis arctant.
Liberius fas campum aliis decurrere apertum.
Sacri igitur vates facta, atque infecta canentes
Libertate palam gaudent majore loquendi,
Quæſitique decent cultus magis, atque colores
Inſoliti, nec erit tanto ars deprenſa pudori.
Crebrius hi fando gaudent ſuper æthera miris
Tollere res (nec ſit fas tantum credere) dictis.
It cælo clamor, tremit omnis murmure olympus.
Nec mora, bis vocem ingeminant, urbiſque ruinas,
Fataque, prœliaque, & fortem exſecrantur iniquam,
O pater, o patria, o Priami domus inclyta quondam,
Clamantes, cecidit proh Juppiter! Ilion ingens.
Quid quum Neptunum dicunt mare, vina Lyæum,
Et Cererem frumenta, patrumque e nomine natos
Significant, memorantque urbes pro civibus ipſis?
Atque ideo timor attonitos quum invaſerit Afros,
Africa terribili tremet horrida terra tumultu.
Nec deerit, tibi pro fluviis, proque omnibus undis,
Pocula qui preſſis Acheloïa miſceat uvis.
Ecce autem ſubitis converſi vocibus ultro
Sæpe aliquem longe abſentem, deſertaque, & antra,
Et ſolos montes affantur. ſæpe ſalutant
Silvaſque, fluvioſque, & agros, ſenſuque carentes
Speluncas, velut hæc ſint reſponſura vocata:
Et vos, o vacui, compellant nomine, ſaltus.

Digitized by Google

Præterea verbis inimicos addere ſenſus
Oppoſitis, dum diſſimulant, aliudque videbis
Sæpe loqui, atque aliud ſimulata condere mente.
Egregia interea conjux ita nocte ſuprema
Deiphobo fidum capiti ſubduxerat enſem.
Nec minus inſignis Drances, quum ſtragis acervos
Tot dedit, & claris inſigniit arva trophæis.
Quid ſequar ulterius, quanta dulcedine captas
Detineant aures, vocem quum rurſus eamdem
Ingeminant, modo non verborum cogat egeſtas?
Pan etiam Arcadia neget hoc ſi judice præſens,
Pan, etiam Arcadia dicam te judice vanum.
Hæc adeo quum ſint, quum fas audere poetis
Multa modis multis, tamen obſervare memento
Siquando haud propriis rem mavis dicere verbis,
Translatiſque aliunde notis, longeque petitis,
Ne nimiam oſtendas, quærendo talia, curam.
Namque aliqui exercent vim duram, & rebus iniqui
Nativam eripiunt formam indignantibus ipſis,
Invitaſque jubent alienos ſumere vultus.
Haud magis imprudens mihi erit, & luminis expers
Qui puero ingentes habitus det ferre gigantis,
Quam ſiquis ſtabula alta, lares appellet equinos,
Aut crines magnæ genitricis gramina dicat.
Præſtiterit vero faciem, ſpolia & ſua cuique
Linquere, & interdum propriis rem prodere verbis,
Indiciiſque ſuis, ea ſint modo digna Camœnis.
Res etiam poteris rebus conferre viciſſim,
Nominibuſque ambas veriſque, ſuiſque vocare.
Quod faciens, fuge verborum diſpendia, pauciſque

Includas numeris, unde illa ſimillima imago
Ducitur, & breviter confer. ne forte priorum
Oblitus ſermonum alio traducere mentem,
Inque alia ex aliis videare exordia labi.
Jamque age verborum qui ſit delectus habendus,
Quæ ratio; nam nec ſunt omnia verſibus apta,
Omnia nec pariter tibi ſunt uno ordine habenda.
Verſibus ipſa etiam diviſa, & carmina quantum
Carminibus diſtant, tantum diſtantia verba
Sunt etiam inter ſe, quamvis communia multa
Interdum invenies verſus diffuſa per omnes.
Multa decent ſcenam quæ ſunt fugienda canenti
Aut divûm laudes, aut heroum inclyta facta.
Ergo alte veſtiga oculis, aciemque voluta
Verborum ſilva in magna, tum accommoda Muſis
Selige, & inſignes vocum depaſcere honores,
Ut nitidus puro verſus tibi fulgeat auro.
Rejice degenerem turbam nil lucis habentem,
Indecoreſque notas, ne ſit non digna ſupellex.
Quo fieri id poſſit, veterum te ſemita vatum
Obſervata docebit. adi monimenta priorum
Crebra oculis, animoque legens, & multa voluta.
Tum quamvis, longe ſi quis ſupereminet omnes,
Virtutem ex illo, ac rationem diſcere fandi
Te jubeam, cui contendas te reddere ſemper
Aſſimilem, atque habitus greſſuſque effingere euntis,
Quantum fata ſinunt, & non averſus Apollo;
Haud tamen interea reliquûm explorare labores
Abſtiteris vatum moneo, ſuſpectaque dicta
Sublegere, & variam ex cunctis abducere gazam.

Nec

Nec dubitem verſus hirſuti ſæpe poetæ
Suſpenſus luſtrare, & veſtigare legendo,
Sicubi ſe quædam forte inter commoda verſu
Dicta meo oſtendant, quæ mox melioribus ipſe
Auſpiciis proprios poſſim mihi vertere in uſus
Deterſa prorſus priſca rubigine ſcabra.
Flumina ſæpe vides immundo turbida limo:
Haurit aquam tamen inde frequens concurſus, & altis
Important puteis ad pocula. deſuper illa
Occultis diffuſa canalibus influit, omnemque
Illabens bibulas labem exuit inter arenas.
Nil adeo incultum quod non ſplendeſcere poſſit,
Præcipue ſi cura vigil non deſit, & uſque
Mente premas, multumque animo tecum ipſe volutes.
Atque ideo ex priſcis ſemper quo more loquamur
Diſcendum, quorum depaſcimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.
Aſpice ut exuvias, veterumque inſignia nobis
Aptemus. rerum accipimus nunc clara reperta,
Nunc feriem, atque animum verborum, verba quoque ipſa:
Nec pudet interdum alterius nos ore loquutos.
Quum vero cultis moliris furta poetis,
Cautius ingredere, & raptus memor occule verſis
Verborum indiciis, atque ordine falle legentes
Mutato. nova ſit facies, nova prorſus imago.
Munere (nec longum tempus) vix ipſe peracto
Dicta recognoſces veteris mutata poetæ.
Sæpe palam quidam rapiunt, cupiuntque videri
Omnibus intrepidi, ac furto lætantur in ipſo
Deprenſi, ſeu quum dictis nihil ordine verſo

Longe alios iiſdem ſenſus mira arte dedere,
Exueruntque animos verborum impune priores.
Seu quum certandi priſcis ſuccenſa libido,
Et poſſeſſa diu ſed enim male condita victis
Extorquere manu juvat, in meliuſque referre:
Ceu fata, mutatoque ſolo felicius olim
Cernimus ad cælum translatas ſurgere plantas.
Poma quoque utilius ſuccos oblita priores
Proveniunt. ſic regna Aſiæ, Trojæque penates
Tranſtulit, auſpiciis Phrygius melioribus heros
In Latium, quamvis (nam divûm fata vocabant)
Invitus, Phœniſſa, tuo de litore ceſſit;
Nec connubia læta, nec incœpti hymenæi
Flexerunt immitem animum. tu victa dolore
Occidis, & curæ vix ipſa in morte relinquunt.
Numquam o Dardaniæ tetigiſſent veſtra carinæ
Litora, fors nulli poteras ſuccumbere culpæ.
Ergo agite o mecum ſecuri accingite furtis
Una omnes, pueri, paſſimque avertite prædam.
Infelix autem (quidam nam ſæpe reperti)
Viribus ipſe ſuis temere qui ſiſus, & arti,
Externæ quaſi opis nihil indigus, abnegat audax
Fida ſequi veterum veſtigia, dum ſibi præda
Temperat heu nimium, atque alienis parcere crevit;
Vana ſuperſtitio, Phœbi ſine numine cura.
Haud longum tales ideo lætantur, & ipſi
Sæpe ſuis ſuperant monimentis, illaudatique
Extremum ante diem fœtus flevere caducos,
Viventeſque ſuæ viderunt funera famæ.
Quam cuperent vano potius caruiſſe labore,

Digitized by Google

Eque ſuis alias didiciſſe parentibus artes!
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longe verbis proferre ſub iiſdem.
Nec mea tam ſapiens per ſe ſe prodita quiſquam
Furta redarguerit, quæ mox manifeſta probabunt
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Tantum abſit, pœnæ metuens infamis ut ipſe
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.
Non tamen omnia te priſcis fas fidere, qui non
Omnia ſufficient. quærenti pauca labore
Attentanda tuo, nondum ulli audita, ſuperſunt.
Nos etiam quædam iccirco nova condere nulla
Relligio vetat, indictaſque effundere voces.
Ne vero hæc penitus fuerint ignota, ſuumque
Agnoſcant genus, & cognatam oſtendere gentem
Poſſint, ac ſtirpis nitantur origine certæ.
Uſque adeo patriæ tibi ſi pænuria vocis
Obſtabit, fas Grajugenûm felicibus oris
Devehere informem maſſam, quam incude Latina
Informans patrium jubeas dediſcere morem.
Sic quondam Auſoniæ ſuccrevit copia linguæ:
Sic auctum Latium, quo plurima tranſtulit Argis
Uſus; & exhauſtis Itali potiuntur Athenis.
Nonne vides, mediis ut multa erepta Mycenis
Graja genus fulgent noſtris immixta, nec ullum
Apparet diſcrimen? eunt inſignibus æquis
Undique per Latios & civis, & advena tractus.
Jamdudum noſtri ceſſit ſermonis egeſtas.
Raro uber patriæ, tibi raro opulentia deerit.
Ipſe ſuis Cicero theſauris omnia promet,

Auctoreſque alii nati felicibus annis
Omnia ſufficient, nec ſolis crede poetis.
Sæpe etiam vidi veterum inter carmina vatum
Barbarico verſus cultu, gazaque ſuperbos:
Belgicaque immiſit trans alpes eſſeda Gallus
In Latium, & longæ Macedûm venere ſariſſæ.
Et metuam, ne deficiat me larga ſupellex
Verborum, anguſtique premat ſermonis egeſtas?
Quin & victa ſitu, ſi me pænuria adaxit,
Verba licet renovare: licet tua, ſancta vetuſtas,
Vatibus indugredi ſacraria. ſæpius olli
Ætatis gaudent inſignibus antiquai,
Et veterum ornatus induti incedere avorum.
Non tamen ille veter ſqualor fuat undique, & ater
Verborum ſitus. his modus adſit denique, quando
Copia non deſit quorum nunc pervius uſus.
Tum quoque ſi deerunt rebus ſua nomina certa,
Fas illas apta verborum ambire corona,
Et late circumfuſis comprendere dictis.
Verba etiam tum bina juvat conjungere in unum
Molliter inter ſe vinclo ſociata jugali.
Verum plura nefas vulgo congeſta coire,
Ipſaque quadrifidis ſubniti carmina membris.
Itala nec paſſim fert monſtra tricorpora tellus.
Horreſco diros ſonitus, ac levia fundo
Invitus perterricrepas per carmina voces.
Argolici, quos iſta decet conceſſa libido,
Talia connubia, & tales celebrent hymenæos,
Tergeminas immane ſtruant ad ſidera moles
Pelion addentes Oſſæ, & Pelio Olympum.

At verbis etiam partes ingentia in ambas
Verba interpoſitis proſcindere, ſeque parare;
Deterere interdum licet, atque abſtraxe ſecando
Exiguam partem, & ſtrinxiſſe fluentia membra.
Iccirco ſiquando ducum referenda, virûmque
Nomina dura nimis dictu, atque aſperrima cultu,
Illa aliqui, nunc addentes, nunc inde putantes
Pauca minutatim, levant, ac mollia reddunt,
Sichæumque vocant mutata parte Sicarbam.
Hinc mihi Titanum pugnas, & ſæva gigantum
Bella magis libeat canere, Enceladique tumultus,
Quam populos Itala quondam virtute ſubactos,
Atque triumphatas diverſo a litore gentes.
Sed neque verborum cauſſa vis ulla canentem,
Conſilium præter, cogat res addere inanes,
Nomina ſed rebus ſemper ſervire jubeto,
Omnia perpendens verſus reſonantia membra.
Verba etenim quædam ignarum te fallere poſſunt,
Ni vigiles, mandatum & munus obire recuſent,
Furenturque operi clam ſe ſe, & inertia ceſſent,
Cætera dum labor exercet concordia juſſus
Quæque ſuus. tantum illa dabunt numerumque, ſonumque.
Atque ideo quid ferre queant, quid quæque récuſent,
Explorare prius labor eſto, & munera juſta
Mandato, ac proprium cunctis partire laborem.
Obſcuros aliter crepitus, & murmura vana
Miſcebis, ludeſque ſonis fallacibus aures.
Nec tamen interdum vacuas, animoque carentes
Addubitem ipſe volens incaſſum fundere voces,
Verbaque, quæ nullo fungantur munere ſenſus,

Digitized by Google

Dives ut egregio tantum, & conſpectus amictu
Verſus eat, dulcique ſono demulceat aures.
Atque adeo quæ ſint ne vero quære profecto
Illa: tibi ſe ſponte dabunt per ſe obvia paſſim.
Sæpe autem ruptis vinclis exemta volutes
Membra, & compactum quæſitor disjice verſum,
Poſt iterum refice, & partes in priſtina redde
Partibus avulſas. numquam te libera vinclis
Incautum fallent reſoluto carmine verba.
Huc ades. hic penitus tibi totum Helicona recludam.
Te Muſæ, puer, hic faciles penetralibus imis
Admittunt, ſacriſque adytis invitat Apollo.
Principio quoniam magni commercia cæli
Numina conceſſere homini, cui carmina curæ,
Ipſe deûm genitor divinam noluit artem
Omnibus expoſitam vulgo, immeritiſque patere.
Atque ideo, turbam quo longe arceret inertem,
Anguſtam eſſe viam voluit, pauciſque licere.
Multa adeo incumbunt doctis vigilanda poetis.
Haud ſatis eſt illis utcumque claudere verſum,
Et res verborum propria vi reddere claras:
Omnia ſed numeris vocum concordibus aptant,
Atque ſono quæcumque canunt imitantur, & apta
Verborum facie, & quæſito carminis ore.
Nam diverſa opus eſt veluti dare verſibus ora,
Diverſoſque habitus, ne qualis primus, & alter,
Talis & inde alter, vultuque incedat eodem.
Hic melior motuque pedum, & pernicibus alis
Molle viam tacito lapſu per levia radit:
Ille autem membris, ac mole ignavius ingens

Incedit

Incedit tardo molimine ſubſidendo.
Ecce aliquis ſubit egregio pulcherrimus ore,
Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorem:
Contra alius rudis informes oſtendit & artus,
Hirſutumque ſupercilium, ac caudam ſinuoſam
Ingratus viſu, ſonitu illætabilis ipſo.
Nec vero hæ ſine lege datæ, ſine mente figuræ,
Sed facies ſua pro meritis, habituſque, ſonuſque
Cunctis, cuique ſuus, vocum diſcrimine certo.
Ergo ubi jam nautæ ſpumas ſalis ære ruentes
Incubuere mari, videas ſpumare reductis
Convulſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.
Tunc longe ſale ſaxa ſonant, tunc & freta ventis
Incipiunt agitata tumeſcere: litore fluctus
Illidunt rauco, atque refracta remurmurat unda
Ad ſcopulos, cumulo inſequitur præruptus aquæ mons.
Nec mora, Trinacriam cernas procul intremere omnem
Funditus, & montes concurrere montibus altos.
Quum vero ex alto ſpeculatus cærula Nereus
Leniit in morem ſtagni, placidæque paludis,
Labitur uncta vadis abies, natat uncta carina.
Hinc etiam ſolers mirabere ſæpe legendo,
Sicubi Vulcanus ſilvis incendia miſit,
Aut agro, ſtipulas flamma crepitante cremari.
Nec minus exſultant latices quum teda ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni.
Carmine nec levi dicenda eſt ſcabra crepido.
Tum, ſi læta canunt, hilari quoque carmina vultu
Incedunt, lætumque ſonant haud ſegnia verba,
Seu quum vere novo rident prata humida: ſeu quum

Panditur interea domus omnipotentis olympi.
Contra autem ſe ſe triſtes inamabile carmen
Induit in vultus, ſi forte inviſa volucris
Nocte ſedens ſerum canit importuna per umbras,
Ut quondam in buſtis, aut culminibus deſertis.
Verba etiam res exiguas anguſta ſequuntur,
Ingenteſque juvant ingentia. cuncta gigantem
Vaſta decent, vultus immanes, pectora lata,
Et magni membrorum artus, magna oſſa, lacertique.
Atque ideo, ſi quid geritur molimine magno,
Adde moram, & pariter tecum quoque verba laborent
Segnia; ſeu quando vi multa gleba coactis
Æternum frangenda bidentibus, æquore ſeu quum
Cornua velatarum obvertimus antemnarum.
At mora ſi fuerit damno, properare jubebo.
Si ſe forte cava extulerit mala vipera terra,
Tolle moras, cape ſaxa manu, cape robora, paſtor.
Ferte citi flammas, date tela, repellite peſtem.
Ipſe etiam verſus ruat, in præcepſque feratur,
Immenſo quum præcipitans ruit Oceano nox,
Aut quum percuſſus graviter procumbit humi bos.
Quumque etiam requies rebus datur, ipſa quoque ultro
Carmina paulliſper curſu ceſſare videbis
In medio interrupta. quierunt quum freta ponti,
Poſtquam auræ poſuere, quieſcere protinus ipſum
Cernere erit, mediiſque incœptis ſiſtere verſum.
Quid dicam, ſenior quum telum imbelle ſine ictu
Invalidus jacit, & defectis viribus æger?
Nam quoque tum verſus ſegni pariter pede languet.
Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires.

For-

Fortem autem juvenem deceat prorumpere in arces,
Evertiſſe domos, præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus perrumpere, ſternere turres
Ingentes, totoque ferum dare funera campo.
Nulla adeo vatum major prudentia, quam ſe
Aut premere, aut rerum pro majeſtate canendo
Tollere. nunc illos animum ſummittere cernas
Verborum parcos, humilique obrepere greſſu,
Textaque vix gracili deducere carmina filo:
Nunc illos verbis opulentos, divite vena
Cernere erit fluere, ac laxis decurrere habenis
Fluxoſque, ingenteſque. redundat copia læta
Ubere felici, verborumque ingruit agmen
Hibernarum inſtar nivium, quum Juppiter alpes
Frigidus aereas, atque alta cacumina veſtit.
Interdum vero cohibent undantia lora.
Non humiles, non ſublimes media inter utrumque
Litus arant veluti ſpatia, & confinia radunt.
Sic demum portu læti conduntur in alto.
Quod ſupereſt, quæ poſtremo peragenda poetæ
Expediam. poſtquam caſus evaſerit omnes,
Signaque perpetuum deduxit ad ultima carmen,
Exſultans animo victor, lætuſque laborum
Non totam ſubito præceps ſecura per urbem
Carmina vulgabit. ah ne ſit gloria tanti,
Et dulcis famæ quondam maleſuada cupido.
At patiens operum ſemper, metuenſque pericli
Exſpectet, donec ſedata mente calorem
Paullatim exuerit, fœtuſque abolerit amorem
Ipſe ſui, curamque alio traduxerit omnem.

Interea fidos adit haud ſecurus amicos,
Utque velint inimicum animum, frontiſque ſeveræ
Dura ſupercilia induere, & non parcere culpæ
Hos iterum atque iterum rogat, admonituſque latentis
Grates lætus agit vitii, & peccata fatetur
Sponte ſua, quamvis etiam damnetur iniquo
Judicio, & falſum queat ore refellere crimen.
Tum demum redit, & poſt longa oblivia per ſe
Incipit hic illic veterem explorare laborem.
Ecce autem ante oculos nova ſe fert undique imago,
Longe alia heu facies rerum, mutataque ab illis
Carmina, quæ tantum ante recens confecta placebant.
Miratur tacitus, nec ſe cognoſcit in illis
Immemor, atque operum piget, ac ſe ſe increpat ultro.
Tum retractat opus, commiſſa piacula doctæ
Palladis arte luens. nunc hæc, nunc rejicit illa,
Omnia tuta timens, melioraque ſufficit illis,
Attondetque comas ſtringens, ſilvamque fluentem,
Luxuriemque minutatim depaſcit inanem
Exercens durum imperium, dum funditus omnem
Nocturnis inſtans operis, operiſque diurnis
Verſibus eluerit labem, & commiſſa piarit.
Arduus hic labor. hic autem durate, poetæ,
Gloria quos movet æternæ pulcherrima famæ.
Tum ſiqua eſt etiam pars imperfecta relicta,
Olim dum properat furor, ingeniique morari
Tempeſtas renuit, ſuppletque, & verſibus affert
Invalidis miſeratus opem, claudiſque medetur.
Nec ſemel attrectare ſatis: verum omne quotannis
Terque quaterque opus evolvendum, verbaque verſis

Æter-

Digitized by Google

Æternum immutanda coloribus. omne frequenti
Sæpe reviſendum ſtudio per ſingula carmen.
Quod non una dies, fors afferet altera, & ultro
Nullo olim ſtudio, nulla olim in carmine cura
Deprenſæ per ſe prodentur tempore culpæ,
Quæque latent variæ denſa inter nubila peſtes.
Quin etiam doctum multum juvet ille laborem,
Qui varias cæli creber mutaverit oras.
Namque etiam mutant animi, genioque locorum
Diverſas ſpecies, diverſos pectora motus
Concipiunt, noſtriſque novæ ſe mentibus offert
Ultro aliquid ſemper lucis, tenebræque recedunt:
Atque novos operi ſemper fas addere flores.
Verum eſto hic etiam modus. huic imponere curæ
Neſcivere aliqui finem, medicaſque ſecandis
Morbis abſtinuiſſe manus, & parcere tandem
Immites, donec macie confectus, & æger
Aruit exhauſto velut omnis ſanguine fœtus,
Nativumque decus poſuit, dum plurima ubique
Deformat ſectos artus inhoneſta cicatrix.
Tuque ideo vitæ uſque memor brevioris, ubi annos
Poſt aliquot (neque enim numerum, neque tempora pono
Certa tibi) addideris decoris ſatis, atque nitoris,
Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem;
Perque manus, perque ora virûm permitte vagari.
Continuo læto te dulces undique amici
Gratantes plauſu excipient. tua gloria cælo
Succedet, nomenque tuum ſinus ultimus orbis
Audiet, ac nullo diffuſum abolebitur ævo.
Et dubitamus opes animo contemnere avari,

Nec

Nec potius ſequimur dulces ante omnia Muſas.
O fortunati, quibus olim hæc numina dextra
Annuerint præcepta ſequi, quæve ipſe canendo
Juſſa dedi plenus Phœbo, attonituſque furore!
Quando non artes ſatis ullæ, hominumque labores,
Et mea dicta parum proſint, ni deſuper adſit
Auxilium, ac præſens favor omnipotentis olympi.
Ipſe viam tantum potui docuiſſe repertam
Aonas ad montes, longeque oſtendere Muſas
Plaudentes celſæ choreas in vertice rupis,
Quo me haud ire ſinunt umquam fata invida, & uſque
Abſterrentque, arcentque procul, nec ſumma jugi umquam
Fas prenſare manu faſtigia. ſat mihi, ſiquem
Siquem olim longe aſpiciam, mea fida ſequutum
Indicia, exſuperaſſe viam, ſummoque receptum
Vertice, & hærentes ſocios juga ad alta vocantem.
Sed nonnulla tamen noſtri quoque gratia facti
Forſan erit. me fida olim præcepta canentem
Stipabunt juvenes denſo circum agmine fuſi,
Et vocem excipient intenti ſenſibus omnes.
Tum vitæ ſi juſta meæ procedere luſtra
Fata ſinent, nec me viridi ſucciderit ævo
Impia mors, olli gelida tardante ſenecta
Languentem, & ſera defeſſum ætate magiſtrum
Certatim prenſa ſuper alta cacumina dextra
Sæpe trahent, ultroque ferent per amœna locorum,
Et ſummi invalidum ſiſtent ad limina Phœbi
Cantantem Muſas, vatumque inventa piorum.
Virgilii ante omnes læti hic ſuper aſtra feremus
Carminibus patriis laudes. decus unde Latinum,

Unde

Unde mihi vires, animus mihi ducitur unde.
Primus ut Aoniis Muſas deduxerit oris
Argolicum reſonans Romana per oppida carmen:
Ut juvenis Siculas ſilvis inflarit avenas,
Utque idem, Auſonios animi miſeratus agreſtes,
Extulerit ſacros ruris ſuper æthera honores
Triptolemi invectus volucri per ſidera curru:
Res demum ingreſſus Romanæ laudis, ad arma
Excierit Latium omne, Phrygumque inſtruxerit alas
Verba deo ſimilis. Decus a te principe noſtrum
Omne, pater. tibi Grajugenûm de gente trophæa
Suſpendunt Itali vates tua ſigna ſequuti.
Omnis in Elyſiis unum te Græcia campis
Miraturque, auditque ultro, aſſurgitque canenti.
Te ſine nil nobis pulchrum. omnes ora Latini
In te, oculoſque ferunt verſi. tua maxima virtus
Omnibus auxilio eſt. tua libant carmina paſſim
Aſſidui, primis & te venerantur ab annis.
Ne tibi quis vatum certaverit. omnia cedant
Secla, nec invideant primos tibi laudis honores.
Fortunate operum! tua præſtans gloria fama,
Quo quemquam aſpirare nefas, ſe ſe extulit alis.
Nil adeo mortale ſonas. tibi captus amore
Ipſe ſuos animos, ſua munera lætus Apollo
Addidit, ac multa præſtantem inſigniit arte.
Quodcumque hoc opis, atque artis, noſtrique reperti
Uni grata tibi debet præclara juventus,
Quam docui, & rupis ſacræ ſuper ardua duxi,
Dum tua fida lego veſtigia, te ſequor unum,
O decus Italiæ, lux o clariſſima vatum.

Te colimus: tibi ſerta damus, tibi tura, tibi aras,
Et tibi rite ſacrum ſemper dicemus honorem
Carminibus memores. ſalve, ſanctiſſime vates.
Laudibus augeri tua gloria nil potis ultra,
Et noſtræ nil vocis eget. nos aſpice præſens,
Pectoribuſque tuos caſtis infunde calores
Adveniens, pater, atque animis te te inſere noſtris.

F I N I S.

M. HIE-

Digitized by Google

MARCI HIERONYMI
VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
BOMBYCUM
LIBRI DUO.

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ
C R E M O N E N S I S
A L B Æ E P I S C O P I
B O M B Y C U M
AD ISABELLAM ESTENSEM
MARCHIONISSAM MANTUÆ,
L I B E R P R I M U S.

QUos mores, quas aut parvis reptantibus artes
Juppiter addiderit, quæ fila tenacia Serum
Ore vomũt ſaturæ, vos mecũ evolvite, Nymphæ
Seriades. vos lanifici gregis aurea noſtis
Munera, quæ pater Italiæ prior intulit olim
Serius huc patriis Serum devectus ab oris.
Tuque ades, & noſtro ſuccurre, Isabella, labori,
Nympha Padi in ripa magnis e regibus orta,
Quæ gentem pulchra auxiſti pulcherrima prole
Gonſagam. exiguis ades huc non aſpera cœptis.
Et vos, o placidæ, properate, ubi quæque, puellæ.
Veſtrum opus hoc, veſtros faciles hic diſcite cultus.
Id tineæ in ſilvis multis volventibus annis
Gentibus ignotum vixit genus. aurea fruſtra
Edebant opera umbriferis pendentia ramis.

Nam pluviæ, lateque immites omnia venti
Vaſtabant, tenui nec honos, nec gloria filo
Ulla erat; in ſilvis ceu quondam more ferarum
Degebant homines antiquo robore nati.
Nondum urbes, nondum certos gens dura penates
Noverat, aut ullas vitam excoluiſſe per artes.
Verum poſtquam homini divini eſt muneris uſus
Traditus, in tectis, atque intra ſepta domorum
Silveſtres tineas alere, atque impendere curam
Cœpit: opes multi hinc ad ſummas emerſere.
Quamvis eſſe aliquas etiam nunc fertur in oris
Longe aliis gentes, quæ nondum in tecta relatas
Per lucos errare ſinunt, nulloque labore
Fila ſuo carpunt oneratis mollia ramis.
Namque malo aſſuetæ arboribus frondentibus illæ
Pubentes ſilvas, & quæque tenerrima carpunt,
Injuſſæque inſtant operi. non horrida multum
Flabra nocent, neque proviſi prudentibus imbres.
Quippe, ubi ſenſerunt in nubes aera cogi,
Diffugiunt trepidæ, foliiſque ſub omnibus hærent,
Securæque hiemis velut alta ex arce ſonantes
Accipiunt Auſtros, pulſataque robora nimbis.
Sed tu ne, moneo, in ſilvis permitte vagari
Incuſtoditas, nec curam adhibere recuſa
In tectis. hujus non gratia parva laboris.
Haud longum tempus fluet, & jam ſtamine multo
Dives eris, filoque ibis ſpectabilis aureo.
Principio ne te lateat quæ tradita agendæ
Sint illis vitæ ſpatia. brevis omnibus ætas;
Vix ulli Lunæ completur tertius orbis,

Et

Digitized by Google

Et numquam ex ſe ſe prolem videre creatam.
Intereunt omnes, pecus occidit omne quotannis,
Et cunctam evertunt fera fata ab origine gentem.
Immortale tamen reſtat genus his, neque morti
Eſt penitus locus, æternum nam ſemina durant.
Ceu quondam ſilvæ ſi forte aut frigore diro,
Aut æſtu areſcant ſummæ, tamen abdita quædam
Vitalis ſuperat vis in radicibus imis,
Et trunco exciſo nova vere repullulat arbos.
Non ſecus exſtinctis bombycibus annuus ortus.
Uſque nova in regnis proles ſuccedit avitis.
Ne vero ante diem, ſed tempeſtiva creata
Sit ſoboles. veto ne revoces in luminis oras
Progeniem exſtinctam, attonſis quum gramina campis
Nondum ulla, aut frondes apparent arbore nullæ.
Ante nova incipiat morus revireſcere ſilva,
Neve fames teneris, neve obſint frigora alumnis.
Ipſi etiam morum agricolæ, ne tempora fallant,
Obſervare ſolent; nam cum ſe ſe illa virentem
Induit in frondem, noſtris tum protinus oris
Exceſſiſſe hiemem, & manes abiiſſe ſub imos
Nil dubitant, nec ſæva ultra pecorive, ſatiſve
Frigorave, glaciemve timent, canamve pruinam.
Præterea tibi Lunai gelidæ incrementa
Sunt ſervanda. ſeneſcentis fuge tempora læva.
Nec tum etiam liquidis quum ſe ſe nuper ab undis
Extulit Oceani, pallenteſque humida vultus
Oſtendit gracili incedens per inania cornu,
Utile erit teneros ovis excludere fœtus.
Exſpecta quum plena animis, quum lumine largo

Solis

Solis ab igne tumens, altumque per æthera vecta
Carpit iter, fratremque audet ſe attollere contra.
Tum fas fœturæ, tum juſtum incumbere tempus,
Quandoquidem validas creſcenti a lumine vires
Semina concipiunt genitalia. tum favet æther,
Majoremque trahunt naſcentia membra vigorem.
Quo foveas autem pacto. mos ipſe fovendi
Haud ſimplex. ſunt quæ calido ſub Sole relinquunt
Ova, recens donec fœtus in luminis auras
Prodierit. tu conde ſinu velamine tecta,
Nec pudeat roſeas inter foviſſe papillas,
Si te tangit honos, & flavi gloria fili.
Quumque dies, alterque dies proceſſerit, ecce
Cernere erit formis animantia fervere miris.
Ante opus omne tamen pete matutina deorum
Limina, ferque preces ſupplex, diviſque litato
Auſpicibus cunctorum operum, quum mane ſacerdos
Synceram cererem, & lenæum libat honorem.
Nec non lanicii florem velamina prima
Suſpendes templis. avertunt omnia fœtu
Munere placati ſuperi mala, frigora, & æſtus,
Et quæ multa ſolent bombyci inſtare pericla.
Interea populis ſedes, & tecta futuris
Ipſa novare jube, tabulataque victa ſenecta.
Non aptæ ſine Sole domus, ſine luce penates.
Sed duplices recta lumen regione feneſtræ
Admittant, quarum ſurgentes altera Phœbi
Spectet equos, feſſos contra altera, jamque cadentes.
Tum vitri pellucentes opponere quadras
Hinc atque hinc jubeo, lini aut firmiſſima texta,

Ut

Ut neque concutiant venti, neque nubila nimbis
Conſpergant, obſitque intus penetrabile frigus.
Nec poſtrema fuit cautis prætendere cura
Retia rara. avium inſidias, & callida furta
Averte. illudit paſſer cuſtodibus olim
Improbus, illudit cortis criſtata volucris.
Dant ſtragem paſſim roſtris immitibus, implentque
Ingluviem, ac vivò viva abdunt corpora buſto.
Nec, quibus eſt tineæ felicis copia multa,
Parietibus ſedem affigunt: ſed quattuor æquis
Tectorum in medio erectis hinc inde columnis
Plurima ſuſpendunt tabulata, aulæque per altos
Surgunt mille gradus, digeſtæque ordine ſedes.
Tuque etiam, variæ ut nequeant irrepere peſtes,
Parietis antiqui vitium ne neglige ſegnis:
Sed calce, aut creta linito, atque anguſta viarum
Quæque time. mus ſæpe cavis ſe ſe abdidit imis
Luce latens, at quum in tenebris cinis occulit ignem
Sopitum, indulgetque gravi cuſtodia ſomno,
Improbus egreditur tutis ad furta latebris,
Et citus irreptat tabulis, ſævitque per omnes
Cæde madens aulas, prædamque avertit ab altis
Porticibus ſatur, atque cavis epulatur in antris.
Molire inſidias, deceptum carcere claude,
Ignaruſque doli ipſe ſibimet vincula nectat,
Dum petit oſtenſam confidentiſſimus eſcam.
Quædam etiam trabibus, quibus omnis machina rectis
Nititur, auxiliantur, & imas ſentibus armant
Sentibus, & tribulis, ac juniperi hirſutæ
Vulnificos addunt gladios, circum undique ut hoſtis

Digitized by Google

Indeprenſus eat ſaltem per vulnera mille,
Nec referat captam multo niſi ſanguine prædam.
Verum age, vix tenebras pepulit lux tertia rebus,
Ecce ſinu incipiunt tepido calefacta moveri
Semina, jam viſenda novis animalia formis
Irrepunt, paſſimque albis mantilibus errant.
Ne vero jam tum hæc thalamis ſublimibus infer.
Exiguus primum capiet ſobolem locus omnem.
Corpora deinde auctæ cunabula prima relinquent.
Tum cunctam in populos, in vicos divide gentem,
Diviſaſque dabis ſedes, ſecretaque regna.
Nec ſatis hoc ſemel. at quoties his arcta videbis
Eſſe domus ſpatia, augentur dum corpora cuique,
Has toties legere, inque novas diducere ſedes
Ne dubita, donec tabulas impleveris omnes.
Nec tamen interea parvas non paſcere oportet.
Ut primum hauſerunt cæli auras, pabula poſcunt,
Aſſueſcunt jam tum dapibus, menſaſque requirunt.
Sed prodeſt, nondum thalamos experta puella
Prima manu tenera teneras ſi paſcat alumnas.
Primam autem mori pubem, atque tenerrima ſemper
Quæque legunt, dum grex tener eſt, atque inſcius ævi.
Continuo veterum veluti memor ille parentum
Agnoſcit veſcas frondes, ipſaſque recentes
Depoſcit. nam ſi plenis ſerventur in horreis
Heſternæ, dulcis ſucci corrumpitur aura,
Et ſapor ingratus ſubit, atque inamabilis hauſtu.
Mane petunt igitur ſilvas, & quaque reportant
Pabula lecta die famulæ, gratumque laborem
Sortitæ inter ſe folia illibata caniſtris

Expe-

Expediunt: legit illa, domum fert altera lecta,
Inſtaurant aliæ menſas, epulaſque miniſtrant.
Pabula larga ſuperjaciunt, pecus omne tegentes.
Protinus emergunt tineæ, folioque jacenti
Victrices ſuper aſſiſtunt, omniſque juventus
Veſcitur, atque avidæ dapibus implentur opimis.
Fit ſtrepitus, longe qualem olim ſæpe ſolemus
Quum pluit, in tecto clauſis audire feneſtris.
Nec mora nec requies, properant, & grandia morſa
Attondent folia emenſæ, redeuntque, iterumque
Incumbunt. longam nequeunt explerier alvum,
Dum ſuperant frondes, & plenæ pabula menſæ.
Tuque ideo parcis epulas moderare caniſtris,
Terque die tantum paſces; nam prodiga cunctam
Si frondem ſimul effundas, ſine more, dapeſque
Accumules, menſaſque oneres, avertitur ultro
Ingratam ſaturum morum pecus, atque repente
Ipſa parit largi faſtidia copia victus.
Paullatim invita: metuant ſibi pabula ſemper
Deficere, exſpectentque dapes. prius injice ludens
Frondem unam, ac certare ſine. illæ protinus omnes
Arrexere animos cupidæ, prædamque capeſſunt
Certatim, pariterque ingens ſubit ardor edendi.
Tum demum ſolitas epulas effunde caniſtris,
Dum dapis optatæ fuerit compreſſa libido.
Sed ne longa fames noceat tamen aſpice prudens,
Dum nimium differs epulas, & gaudia menſæ.
Nam ſoliti impaſtis ſi deſit copia victus,
Nulla mora eſt, miſeras macies deformat iniqua:
Pabula deinde parum exhauſtis duplicare juvabit,

Et vix longa dies lapſas in priſtina reddet.
Dira fames adeo nocet, ac pænuria edendi.
Quin etiam haud parvi mutari pabula refert.
Eſt bicolor morus: bombyx veſcetur utraque,
Utraque grata illi: cui vero aſſuerit, eamdem,
Nigra, albenſve fuat, nullo diſcrimine amabit,
Quamvis Auſoniis laudetur nigra puellis.
Forte etiam ſi deficiant folia omnia mori,
Et ſubito ſilvæ (dii, talem avertite caſum)
Thisbææ areſcant nimio æſtu, aut frigore, quæris
Quaſnam tum, pereant ne res tibi funditus omnes,
Bombyci jubeam legere, & ſummittere frondes.
Orandi ſuperi, eveniant ne talia nobis,
Si tamen urgeris, conſcendat robora paſtor
Ulmea per ſilvas, & ſumma cacumina carpat.
His etenim arboribus multum eſt affinis origo;
Jamque ideo agricolæ morum didicere per agros
Inſerere umbroſæ ramis ingentibus ulmi,
Et ſteriles ſilvæ nunc dant bicoloria mora.
Sunt aliæ, quæ, ſi fœtus ſibi naſcitur ante
Quam Thisbæa novis adoleſcat frondibus arbos,
Urticamque, ruboſque legunt, dum plurimus humor
Vere ſubeſt. at tu teneris tunc parce puellis;
Crura, manuſque arment facito, nec robora dura
Aſcendat permitte in ſilvis innuba virgo.
Verum operum patiens anus, & cui durior annis
Sit cutis (ingratæ facilis jactura ſenectæ)
Munere fungatur tali, ne forte quis altis
Egreſſus ſilvis Satyrorum e gente procaci
Suſpiciat, teneræque pudor notet ora puellæ.

Illa

Illa quoque in primis cura eſt ut pabula ſemper
Sicca legant, nullaque fluant aſpergine ſilvæ
Aut pluviæ, aut roris nocturni. quippe venenum
Sæpe fuit, quamvis tenuis, bombycibus humor.
Numquam igitur, quum nox horis ſilet intempeſtis,
Accedant ſilvam. exſpectent, dum gurgite Eoæ
Tethyos exierit, ſurſumque eduxerit omnem
Collectum noctis humorem purpureus Sol,
Et jam tres ſcandens ſupera alta peregerit horas.
Quod ſi forte etiam fuerit tunc humida ſilva,
Ut potes, e foliis ſtillantem decute rorem.
Profuit &, ſiquando matutina pruina
Perſtrinxit teneras frondes, oſtendere Soli
Cratibus impoſitas, & frigora vincere flammis.
Quumque tibi fuerint ſuſpecti denique nimbi,
Appropera, calathos cape, moros ſcande, miniſtras
Voce voca, mitte in ſilvas: ſine lege legunto
Obvia quæque: penum foliis, atque horrea comple,
Ne, dum ſævit hiems, perdant jejunia pubem
Lanivomam, at parta ſecuræ fronde fruantur.
Quod ſi adeo ſubitum cita non prævideris imbrem,
Ne turpi rigeat, macieque, fameque ſeneſcat
Omne pecus, validos in ſilvas mitte colonos,
Qui tibi utraque manu nunc huc, nunc robora & illuc
Crebra agitent: frondem patulis tu impone caniſtris
Rorantem, quando fatis urgemur acerbis.
At labor interea famulas exerceat alter.
Cura ſit heſternæ ſemeſas tollere menſæ
Relliquias, tabuliſque immundam avertere ventris
Proluviem. mane ante, pecus quam pabula guſtet,

Digitized by Google

Tergendæ ſedes, & gramine perverrendæ.
Tum Bacchi irrorant gratum bene olentis odorem,
Purgatiſque abigunt tabulis triſtem omnibus auram.
Hinc leviter digito medicatis ſedibus omnes
Traducunt cœtus lætos melioribus auris,
Nec ſuper extremas errare licentius oras
Permittunt. ſemper media ad penetralia cogunt,
Præcipiteſque timent lapſus, altaſque ruinas.
Huic generi facilis leti via. protinus ægras
Delapſæ effundunt animas, lucemque relinquunt.
Siqua tamen ſupereſt, & cæli veſcitur aura
Poſt caſum, inſpicito. nam ſi pars corporis ulla eſt
Læſa tibi deprenſa, aliarum ſedibus ultro
Projice, nec fruſtra libeat tibi paſcere inertem.
Nullam operam omnino, nullum exſpectabis ab illa
Certa opus. ignavum deducet inutilis ævum,
Et comitum egregias tantum mirabitur artes.
Sæpe etiam impaſtas averti pabula cernes,
Sopitaſque gravi veluti torpere veterno
In tabulis. hic parce metu, ne corpora morbus
Forte aliquis, gentemque lues invaſerit ægram.
Hunc illis morem, natura hunc ipſa ſoporem
Addidit: indulgent ſomno, ſtratiſque quieſcunt,
Sopitiſque dies alter tranſibit, & alter.
Quum vero expulerit noctem lux tertia rebus,
Conſurgent, lætæque ad pabula nota redibunt.
Ergo illas tumidas jubeo obſervare. nec ingens
Noſſe labor, ne improviſus ſopor occupet. ultro
Signa dabunt ipſæ. cælo capita ardua tollent
Arrectæ, ſpernentque dapes. tum pigra notabis

Digitized by Google

Corda, animos reſides, inſueta ſilentia menſis.
Non tamen adveniet ſomnus ſimul omnibus idem.
Inſomnes aliquæ vigilant, dum turba quieſcit
Cætera, nondum aptæ teneros quibus alliget artus
Irrepens ſopor. advenient ſua tempora & illis,
Atque omnes tandem demittent lumina ſomno.
Cura ſit interea inſomnes legere, atque vagantes,
Secretaſque aliis aliam cita transfer in aulam.
Sopitæ ſtabulent ſimul. his par omnibus ætas.
Una operi incumbent, & eodem tempore ſe ſe
Artubus exſolvent ſupera ad convexa volantes.
Dumque deus ſtratis, thalamiſve ſilentibus ales
Regnat Lethæo perfundens corpora rore,
Pabula ſubtrahito ſolita, frondemque negato.
Nam tumidæ interea renovant torpentia alumnæ
Corpora, & exuvias veteres, ac tegmina ponunt,
Et nitidam induitur pubes renovata juventam.
Ceu, fodere domos ſerpentum ubi lubrica turba
Sub terram veniente hieme, ſtant frigore inertes,
Dum redeat terris tepidi clementia veris:
Tum demum egreſſi, ad Solem ſqualentia terga
Convolvunt poſita turpi cum pelle ſenecta.
Annuus hic illis mos: at bombycibus ipſis
Ter pigra, dum vivent, renovabit corpora ſomnus.
Jamque age, jam grandes fœtus, jam ducitur ætas
Ultima, turgenti filum traluçet in alvo
Omnibus, accingunt alacres, operique parant ſe.
Pabula jam ſaturæ fugiunt. nova quærere regna
Ardor agit. tollunt oculos, arrectaque terga.
Omnia veſtigant late loca, ſicubi rami

Arbu-

Arbutei, per quos ſua poſſint tendere fila,
Atque novis priſcos cupiant mutare penates,
Et tabulæ extremis pendentes ſedibus hærent.
Tum famulæ properare, omnes proviſa parare
Sarmenta, & ſteriles tectis inferre geniſtas.
Jamque illæ antiquas ſedes, ſupera ardua linquant,
Atque nova hoſpitia invadant per vimina lenta
Demiſſæ, niſi ſuccurrat nuruum ocius omnis
Hinc atque inde manus, durum miſerata laborem.
Ipſæ nam manibus ſecernunt grandia natu
Corpora jam matura operi, jamque apta labori,
Per ramoſque locant arentes agmina denſa.
Summotas alias arcent, dum funditus omnes
Corporeæ excedant labes, ac temporis orbe
Perfecto ſua cuique dies exemerit omnem
Alvi inſynceræ illuviem, purumque relinquat
Lanicium, & fili tralucens ſimplicis aurum.
Sic ubi miteſcunt pendentes vitibus uvæ,
Paullatim liquor ille intus rareſcit, & aureus
Accedit color, elucent puriſſima muſta.
Tum demum tabulis paſſim ſarmenta relictis
Complerunt omnes, perque atria virgea lætæ
Exercentur, & effundunt quæſita per ævum
Stamina ditis opes uteri, ſuſpenſaque denſos
Fila regunt inter ramos, atque ordine ducunt.
Mille legunt, releguntque vias, atque orbibus orbes
Agglomerant, cæco donec ſe carcere claudant
Sponte ſua. tanta eſt edendi gloria fili.
Mox autem clauſæ interius circum undique lecta
Stamina condenſant, teretiſque ovi inſtar opus fit.

Nullæ

Digitized by Google

Nullæ operum immunes. eſt omnes cernere paſſim
Noctes atque dies niti præſtante labore,
Et quaſi de palma ſummas contendere vires.
Aſpicias quaſdam incipere, primumque laborem
Tendere adhuc, quaſdam obſcuro jam carcere clauſas.
Aſt aliæ velut in nebula, fumoque nigranti
Nunc etiam apparent properantes intus, & omnes
Fas oculis ſpectare vias, variumque laborem.
Quin & nonnullæ paribus communia curis
Aſſociant opera, & nebula clauduntur eadem.
Quædam adeo (viſu miſerabile!) ſæpe repertæ,
Dum tendunt ſuperare alias, inſtantque labori,
Vitam opere in medio clauſæ ſub nocte dediſſe
Ante diem ah miſeræ. jacuit labor interruptus.
Parva mora eſt tamen. ut ſe aliæ incluſere latebris,
Extremoque manum ſummam impoſuere labori,
Exhauſtæ intereunt omnes, terraſque relinquunt.
Ite, animæ egregiæ, fortunatæque laborum
Ultro in fata alacres; vobis nempe altera fato
Corpora debentur, vobis miſerata priorem
Eripiet formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina, & aereas rurſum revocabit in auras.
Prima Venus docuit bombycem in tecta referre
Eductam ſilvis, atque hanc impendere curam.
Ante homines nati durum genus ilice rupta
In ſilvis nudi degebant more ferarum.
Nec dum ullus lini, nec dum ullus velleris uſus.
Verum dura hiemis pellebant frigora, noctiſque
Humorem, fruticum ſe frondibus involventes:
Et liquidos imbres vitabant arbore tecti,

Per

Digitized by Google

Per noctemque cavis latitabant rupibus hirti.
Hic illic mixti latos impune per agros
Cum nudis nudi juvenes errare puellis.
Aſt ubi creſcenti paullatim cognitus orbi
Irrepſit pudor, exuviis cœpere ferarum
Aut tergo bovis, aut villoſi pelle leonis
Se tegere, & coriis involvere mollibus artus.
Ipſi etiam nudi degebant æthere in alto
Cælicolæ, cælique nurus diſcrimine nullo.
Prima deûm Pallas docuit committere campo
Enodis lini ſegetem, & tondere bidentem
Lanigeram, ac tenui telas intendere filo.
Illa quidem primum vario ſe ornavit amictu,
Egregiam picto pallam circumdata limbo.
Mox alias etiam texit ditiſſima divas.
Nec mora, deinde novam oſtendit mortalibus artem.
Tantum nuda Venus mœrebat muneris expers
Egregii, ob formam textrici inviſa Minervæ,
Atque irriſa diu ſuper Idalium frondoſum
Se, natoſque ſuos in ſilvis condidit atris,
Cui poſt optanti Fors & deus attulit olim
Auxilium. nam Peliacis te in montibus altis,
Phyllira, Nympharum pulcherrima montanarum,
Saturnus captus forma, & florentibus annis
Viderat errantemque, & gramina certa legentem.
Ah quoties precibus Nympham deus aſpernantem
Tentavit ſupplex, ingrataque munera verbis
Addidit! ah quoties nimboſis montibus errans
Matutinus iter tulit, & monſtravit in agris
Præſentes morbis herbas, uſumque medendi!

Illa averſa deum ſemper fugiebat amantem.
Quid faceret? Venerem ſupplex adit ipſe, rogatque
Auxilium, & meriti promittit præmia tanti.
Diva monet, duræ fruſtra præcordia Nymphæ
Tentari: nulli pectus penetrabile amori,
Nec precibus, nec muneribus mutarier ullis:
Fallendamque dolis tantum, furtiſque domandam.
Ergo ſe in faciem ſubito transformet equinam
Imperat, & paſcat qua gramina ſueverat illa
Quærere, ut ignaram furto aggrediatur opertus.
Nec mora præceptis. hinnitu Pelion altum
Clauſus equo deus implevit, votoque potitus
Vi tenuit fruſtra pugnantem, & multa recuſantem.
Exin promeritæ Veneri pro munere magno
Semina clauſa dedit niveo tenuiſſima linteo,
Et meriti memor, his, inquit, pulcherrima, texes,
Diva, tibi inſignes tunicas nihil indiga lanæ,
Aut lini, quæ dona negat tibi iniqua Minerva.
Hinc præcepta dedit, divinam & prodidit artem,
Quam primus, nati fugeret quum protinus iras,
Deprendit ſolis meditando in montibus olim.
Inſuper admonuit venturi præſcius ævi,
Quondam aliquos, ſed enim multo poſt, affore vates,
Qui totum canerent præclara inventa per orbem
Gratum opus Auſoniis, dum volvent fila, puellis.

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS.
ALBÆ EPISCOPI
BOMBYCUM
AD ISABELLAM ESTENSEM MARCH. MANTUÆ.
LIBER SECUNDUS.

Rurſus ades,Nympha. inceptum jã perfice munus,
O decus Italidum, fortunatiſſima matrum,
Quæ vaſtas feſſæ Italiæ miſerata ruinas
Haud dubias pulchra ſpes nobis prole tuliſti.
Tu jam læta tuos natos præſtantibus auſis
Cælicolas ipſos ſupra ſe ferre videbis.
Aſpice jam, quantas oſtentet corpore vires
Federicus puer, ut vultu decora alta parentum
Spondeat, ut veniant ſcintillæ ardentis ab ore,
Flagranteſque micent oculi, utque horrentia ſemper
Bella ſonet; puerique agitet ſe pectore Mavors.
Jamque adeo nunc arma placent. jam fervidus acri
Gaudet equo, indomituſque animi, cupiduſque pericli.
Hunc jam regna Aſiæ metuunt, Orienſque ſubactus,
Gangeſque, Tigriſque tremunt, atque Indus Hydaſpes.
Sæpe hunc Euphratæ propter vaga flumina Eoæ
Bellantem aſpicient multa inter millia matres,
Horreſcentque animis hoſtem, pariterque timebunt
Egregio juveni, cæcoque urentur amore,

Præ-

Digitized by Google

Præſtanti captæ forma, & juvenilibus annis.
Gaudia mox trepidæ referet tibi quanta revertens
Ultus avos Grajûm, Solymorumque eruta templa!
Tunc illum Mincî in ripis facta ampla canentes
Carminibus tollent ſublimem ad ſidera vates.
Lanificas nos interea revocamur ad artes.
Frondoſæ invitant rurſus ſub tegmine mori
Seriades, grataque legunt e fronde coronam;
Quando nondum auſim laurum ſperare ſuperbam,
Aut caput intonſis hederarum innectere ramis.
Ergo age, ſarmentis dum ſe ſuper aurea bombyx
Exercet, nitidumque edit de pectore filum,
Nempe tuæ interea prorſus nihil indiga curæ eſt.
Dum novies roſeus ſe laverit æquore Titan,
Diſce laboranti pecori non pigra mederi,
Triſtibus & morbis occurrere. vos quoque noſtri,
Parvæ animæ, exercent per tot diſcrimina caſus,
Veſtraque pallentes infeſtant corpora morbi.
Corrupta ſive illa lues cæli influit aura,
Seu vitio infectæ frondis, gens labitur ægra,
Et cœtus ſubito ſerpunt contagia in omnes.
Invadit mors. intereunt data corpora leto,
Et thalamis paſſim tetro manantia tabo
Fùſa jacent. perit omne pecus, ſpes irrita fili.
Dii, teneros, dii, vos fœtus arcete periclis,
Quum nondum morbis præſentes omnibus herbas
Monſtrarit natura, hominumve induſtria ſolers
Nondum morborum cauſſas deprenderit omnes.
Multa tamen, longo quæ nos invenimus uſu,
Quæque alii docuere, tibi nunc dicere pergam.

Nil adeo tineis fuerit præſentius ægris,
Quam ſubito e medio jucundo lumine caſſas
Tollere, ne totam perfuſa cadavera tabo
Latius inceſtent miſerando funere gentèm.
Nec minus inde tibi triſtis contagia cæli
Sit ſtudium vitare. juvat quum lucidus æther,
Quum noctis gelidum Sol rorem ſuſtulit, & quum
Inter ſe alpinus Boreas, atque humidus Auſter
Pacem agitant, vitro detracto aperire feneſtras,
Quove almam lucem aſpiciant, quove æthera purum,
Aurarumque leves animas, & frigora captent.
Nempe intro veniens Zephyris variantibus aer
Aera diſpellit pigrum novus, & grave olentes
Luſtrat, agens ſe ſe, thalamos, variatque ſaluber;
Qui niſi mutetur crebro, corrumpitur, hauſtuſque,
Inducit varios reptantum in corpora morbos.
Ceu puteis pigros latices niſi ſæpius urna
Hauſeris, ut ſubito inde locum novus occupet humor,
Continuo ſapor immotæ vitiatur aquai,
Oraque potantum triſtis perturbat amaror.
Tum vero ad Solem, blandique ad luminis auras
Exſultare pecus videas, & corpora luci
Pandere. non tamen immiſſo ſub Sole jacere
Securum fuit. aſpiciant ſed lumina longe.
Si vero fuerit gelidis Aquilonibus aer
Frigidus, aut nimbos ſpirantibus humidus Auſtris,
Protinus in thalamos inferri profuit ignes.
Ne tamen infeſtet lacrimoſus lumina fumus,
Ipſos occuluere cavis fornacibus ignes,
Unde aditus fumo ſit nuſquam in tecta, ſed extra

Reſpi-

Digitized by Google

Reſpirans Vulcanus in aera fumet apertum.
At calor interea placidus diffunditur intus
Paullatim, & tepidi calida e fornace vapores.
Sunt etiam quæ, quum nigreſcit fœtibus arbos,
Incipiunt quum mora rubeſcere, pabula lecta
Retibus imponunt raris, in perque foratis
Pellibus, in gyrumque agitant, jactantque per auras.
Namque cadunt veluti per lata foramina grando
Nigrantes baccæ, vel quicquid inutile menſis,
Et tantum folia ipſa manent; quod ſolvere mollem
Alvum mora ferunt, triſteſque inducere morbos.
Præterea liquido reſpergi corpora olivo
Mors erit extemplo ah miſeris, lucemque relinquent.
Ergo ubi nocte gregem famulæ, & ſtabula alta reviſent,
Edico procul ardentem deponere teſtam,
In tenebris ubi pingue oleum depaſcitur ignis,
Ne ſuper incautis gutta ſtillantis olivi
Decidat, ac totos deformet peſte penates.
Uſque adeo in Venerem longas exercuit iras
Infenſam inventrix ſemper frondentis olivæ.
Exin quum liquor officiat bombycibus omnis,
Præcipue ſale qui fuerit vitiatus amaro,
Quum ſemel attigerit, miſeris erit acre venenum.
Protinus elucet languentibus aurea pellis,
Deinde tument, turpiſque animis ignavia venit
Deſidibus: tandem rumpuntur, & omnia tetro
Inficiunt tabo. ſanies fluit undique membris:
Nec quicquam ſalſo Venerem æquore profuit ortam.
Quædam ideo ſilvas ſervant nocteſque, dieſque.
Quandoquidem inventæ ſalſo quæ pabula rore

Invi-

Invidia infecere (ſcelus prohibete nefandum,
Diique, deæque omnes) cæcum & liquere venenum
In ſilvis, quod mox foliis bibit inſcia bombyx.
Arce etiam ſtrepitus. cantu cava cornua rauco,
Fiſtulaque horribili procul abſit ahenea bombo,
Tympanaque; & voces ludentis comprime pubis.
Invalidas ſæpe exanimat leve murmur alumnas.
Sed neque tum pueri vaſtantes irrequieta
Cuncta manu hic illic, ſtragemque impune ferentes,
Jamque has, jamque illas digitis dum tangere gaudent,
Intro ducantur; quos longe arcebis, & ultro
Abſiſtent, ætas ſi improvida ludificetur.
Verbis falle illos. tineas finge acre venenum
Inſpirare anima, vel ſpicula linquere caudis,
Atque angues, colubroſque voca, diroſve chelydros.
Obſervabis item, ne qui guſtaverit allii,
Aut cepæ, aut acris porri illætabile virus,
Introeat, ne res pereat tibi funditus omnis.
Bombycem exanimem vidi ſæpe ipſe jacere
Afflatam famulæ graviter ſpirantis odore.
Continuo vis illa ſubit, nareſque laceſſit,
Intimaque infeſtum venit ad præcordia virus.
Non igitur cunctis aditus permiſeris, illas
Spectatum quicumque adeunt. quis ſpiritus ollis,
Quis vultus, vociſque ſonus, quis euntibus ultro
Sit greſſus, qui oculive, notes. diſcrimine nullo
Limine anus omnes monſtra infelicia longe
Pelle. nocent cantu triſtes, oculiſque malignis.
Intro autem tantum juvenes, pulchræque puellæ
Ducendæ, queis forma, ætaſque ignara nocendi eſt.

Hic

Digitized by Google

Hic impune choros agitent, alternaque læti
Idaliæ Veneri, ac Saturno carmina dicant.
Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira rigebant
Ora, graveſque oculi ſuffecti ſanguine circum,
Fronſque obſcœna ſitu, hirtique in vertice cani.
Ille truci (ſcelus!) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvaſque volantes.
Quin etiam ſiquando hortos ingreſſus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe ſenectam,
Floribus & paſſim per agros incanuit arbor,
Ille hortis ſtragem dedit, arboribuſque ruinam:
Spemque anni agricolæ mœſti flevere caducam.
Nam quocumque aciem horribilem intendiſſet, ibi omnes
Cernere erat ſubito afflatos langueſcere flores,
Mox album late nimbum volitare per auras:
Nec tantum noceat raptor ferus Orithyiæ,
Si quando iratus male tutis incubet hortis.
Noſtram igitur ſi forte domum prætermeet olim
Peſtis, & ira deûm talis, quum plurima reptans
Complevit ſedes omnes, atque atria circum,
Non illum affari libeat, longumque morari.
Sed properate fores, famulæ, properate feneſtras
Claudite, peſtiferamque avertite limine cladem.
Jam promiſſa dies terris lucem intulit almam.
Jam, licet, ingredere, artificum mirare laborem
Egregium, mirare artes, ut pendula ramis
Omnibus hæſerunt varii glomeramina fili;
Qualiter autumni primo quum frigore in hortis
Arboribus pendent haud uno poma colore.

Sic

Sic hærent nitidi vario diſcrimine ramis
Folliculi. ſunt quæ viridem traxere colorem
E foliis, quæ depaſta eſt Saturnia bombyx,
Fila: auri quædam, electrique ſimillima puri:
Omnibus eſt reliquis color albi velleris inſtar.
Ergo ubi per ramos jam perfeciſſe laborem
Clauſas, quamque ſuum, vigili exploraveris aure,
Atque ubi nec ſtrepitus, nec vim datur amplius ullam
Audiri, ſed jam motus requieverit omnis,
Pelle moram, exonera ramos, impone caniſtris.
Carpe utraque manu, & famulas properare jubeto.
Primus deinde labos extrema, & inutile quicquid
Lanicii detraxe, & luxuriantia circum
Vellera, quæ ſtuppæ veluti nodoſa puellæ
Ruris penſa trahunt torquentes pollice fila,
Unde ſibi intexant feſtis geſtanda diebus
Tegmina, quum lætas agitant per prata choreas.
Hinc triplex delectus erit. meliora deorum
Imponunt aris. aliqua in ſpem gentis, & anni
Venturi ad ſobolem ſervant de more creandam.
Cætera dein varios devolvunt veſtis in uſus.
Quæ vero in generis ſpem vis ſervare caduci,
Deligito ex omni numero. neglecta quotannis
Degenerat proles magis ac magis, atque propago
Deterior tibi ſemper erit labentibus annis.
Sed non ob ſobolem multos ſervare neceſſe eſt
Folliculos. capitum multorum ſemina partu
Una dabit mater, centum quæque ova relinquet.
Quos igitur fœturæ habiles provideris, omnes
Connectes ducto per acus veſtigia filo.

Sed

Sed parcens leviter terebrato, extremaque tantum
Tangito acu tenui, ne incluſa cadavera ferro
Ah violes, & res evertas funditus omnes.
Poſt hinc confertos ita frigida ſub loca conde
Aut Bacchi in cella ſub terram, aut ſicubi montis
Exeſi ſpecus ardenti impenetrabile Phœbo,
Ne calor abſumat defuncta cadavera vita,
Fata dabunt quibus ad jucundum ſurgere lumen
Rurſus, & in parvas volucrum ſe vertere formas,
Quum primum cælo ſtellas Aurora fugarit,
Et decies roſeos Sol laverit æquore currus.
Nam quondam (ut perhibent) quum primos aurea fœtus
Nutriret Venus umbroſis in vallibus Idæ,
Nuda cohors tenerûm circum ludebat Amorum:
Et nunc hic manibus temere dare pabula blandis,
Nunc illic tractare levi reptantia tactu
Corpora, Acidalioſque toris diffundere flores.
Dum vero incauti nunc huc, nunc protinus illuc
(Forte parens aberat) ſtudiis puerilibus errant,
Impliciti inter ſe ſe altis in cratibus urgent.
Fit ſtrepitus. pontes vaſtam traxere ruinam
Lanifici ſtabula alta gregis. jacet undique bombyx
Fuſa ſolo, exanimûm ingentes (miſerabile!) acervi.
Quam cladem accepit rediens ubi mater, & omnem
Cæde madere locum vidit procul. & genus omne
Funditus exſtinctum, totamque ab origine gentem,
Et famulas nuſquam ſibi, nuſquam occurrere natos,
Qui ſe ſe abdiderant ſilvis, tacitique latebant,
Infelix ſtetit ingenti perculſa dolore.
Tum furiis acta huc illuc, clamore ſupremum

Idalium implevit, natos, famulaſque requirens.
Nulla quies animo. noctesque, dieſque vagatur,
Incaſſumque gemens, ſolos interrogat agros.
Infernas etiam ſedes, atque atria Ditis
Ægra adiit, quo mœſtæ animæ poſt fata feruntur
Squamigerûm,pecudum,atque hominum,vitæque volantum,
Si forte ipſe ſibi patruus rex maximus Orci
Annueret paucas animas in tarda reverti
Corpora, ut inde novam ſobolem revocaret in auras.
Jamque ibant umbræ tenues Styga circumfuſæ
Obſcuram, nigroſque lacus, & rauca fluenta.
Tum dominæ adventu lætæ circum ora volantes
Nondum oblitæ alis plauſere, & ſigna dederunt
Lætitiæ, nondum trans livida flumina vectæ.
Agnovit Venus, & ſecum eſt lætata repertis.
Quam Saturnius horrentis regnator Averni
Ut procul aſpexit, multo eſt dignatus honore,
Permiſitque animas in corpora tarda reverti
Rurſus, ut exſtinctam ſobolem revocaret in auras,
Seminaque his generis penitus repararet ademti.
Utque ſequi poſſent dominam ſupera alta petentem,
Corporibus geminas renovatis addidit alas.
Hanc legem poſuit tamen, ut genus omne quotannis
Alitis in faciem ſe poſt opera, atque labores
Verteret, & nigros Orci bis viſeret amnes.
Ut quoſdam populos in Hyperborea Pallene
Eſſe ferunt, qui, ſe ut novies Tritonide in unda
Merſerunt, natis tollantur in aera pennis.
Nonne vides, quum carceribus exire recluſis
Inſtant ardentes, quanta nitantur opum vi?

Digitized by Google

Clauſa obſtat domus, & fili denſiſſimus ordo.
Nec mora, nec requies, veſtigant omnia circum,
Explorantque aditus omnes, ſiqua potis extra
Rumpere, & optatæ rurſum ſe reddere luci.
Ecce autem ut roſtro follem terebravit acuto,
Protinus erumpit (viſu mirabile monſtrum!)
Alitis in parvæ bombyx collecta figuram,
Et nova ſe rerum facies mirantibus offert.
Nam quæ longa fuit tinea olim, fit levis alis
Papilio tineæ pallentes concolor artus.
Ergo carceribus quum rupit multa viam vis,
Et ſe ſe cæcis populi eripuere tenebris
Aligeri, atque iterum lucis venere ſub auras,
Hærent attoniti rerum novitate, neque audent
Remigio alarum ſe aperto credere cælo,
Diſſimileſque ſui tacite nova corpora ſecum
Mirari, forma nec ſe ſe agnoſcere in illa.
Cornua mirantur fronti, mirantur & alas,
Et vires nil ſupra audent tentare priores
Diffiſi, memoreſque ſui. ſed tum neque guſtant
Pabula, nec vitæ quærunt alimenta prioris:
Tantus adhuc memores timor atri detinet Orci.
Nunc etiam ante oculos *Styx* livida, nigraque regna,
Tartareique canis tria guttura, monſtraque Ditis
Impacata, brevis ne vitæ gaudia quærant.
Iccirco aligeræ neque frondem ſuffice genti
Incaſſum, neque potandos admoveris amnes.
Carpe manu reſides, & funibus inſidentes,
In tabulamque refer ſtratam velamine molli.
Quippe ubi ſubtracto ſe rurſum ad fata vocari

Digitized by Google

Senſerunt victu, turbantur. tum ſimul omnes,
Excidium veluti cælo, terriſque propinquum
Immineat, quum ſupremo mortalia cuncta
Una dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet perituri machina mundi,
Attoniti dubiis properant ſuccurrere rebus.
Concubitu indulgent omnes, ut ſemina gentis
Munere defuncti vitæ poſt fata relinquant,
Et ſervare genus valeant, ſtirpemque tueri.
Nec vero, velut in ſilvis genus omne ferarum,
Alituumque, vagos paſſim furantur amores:
Sed connubia certa, ſed electi hymenæi.
Ille ſuam tenet, illa ſuum, dulcique fruuntur
Amplexu, caudis ambo per mutua nexis.
Inſtant, & validis juncti compagibus hærent.
Nec Veneris brevis uſus erit: videre revincti
Quartam ſæpe diem. nec quas legére, relinquent,
Donec uterque cadat. neque enim, ſi viribus hauſtus
Mas prior occiderit, longum tamen ipſa ſuperſtes
Femina erit: ſed ubi concepta effuderit ova,
Nulla mora, amplexu nondum divulſa ſequetur.
Idem omni interitus generi, fata omnibus æqua.
Aſpicies miſerans confuſa cadavera paſſim
Procubuiſſe toris genialibus. omnia primum
Sedibus exportato, & triſtia funera ducito.
Illis namque operum eſt cunctorum finis & ævi.
At vero quæ infuſa vides mantilibus albis
Semina, ceu milii exigui, tenuiſſima coge.
Hæc tibi poſt annum ſobolis ſpes certa creandæ.
His etenim ſe ſe reparat moribunda quotannis

Seminibus, ſoboleſque venit nova ſemper ad auras.
Abde domo. his aptam ſuper omnia delige ſedem,
Quo neque ſint aditus torrenti æſtate calori,
Nec Boreæ bruma in media. contraria vis eſt
Utraque ſeminibus ſervandis. frigora dira
Vim genitalem omnem perimunt, fruſtraque fovebis
Semen inane. calor vero ſi admiſſus in ova
Paullatim ſe ſe inſinuet, parva eſt mora, proles
Ante diem ſuperas incaſſum rumpet in auras,
Quum frondes jam conſumtæ, quum pabula ſilvæ
Deficiunt, & tonſa comam Thisbeïa nudos
Oſtentat ramos populatis frondibus arbor.
Quod ſi ſpès generis defecerit omnis ubique,
Seminaque aruerint Jovis implacabilis ira,
Sicut apes, teneri reparantur cæde juvenci.
Hic ſuper accedit tantum labor. ante juvencus
Bis denoſque dies, bis denaſque ordine noctes
Graminis arcendus paſtu, prohibendus ab undis.
Interea in ſtabulis tantum illi pinguia mori
Sufficiunt folia, & lactenti cortice ramos.
Viſcera ubi cæſi fuerint liquefacta, videbis
Bombycem fractis condenſam erumpere coſtis,
Atque globos toto tinearum efférvere tergo,
Et veluti putres paſſim concreſcere fungos.
Quod ſupereſt, moneo, generis tibi ſemina ſunto
Annua. degenerant ſupra annum condita, & inde
Omnis abit vigor, atque intus vitalis hebet vis.
Tum vero lætas exercent fila puellas.
Haud brevis hic labor, exhauſti cui nil ſatis umquam,
Dum redeat moro attonſæ nova vere juventus.

Folli-

Folliculos primum domitant ferventibus undis,
Filaque devolvunt nigris fumantia ahenis,
Tum currente rota torquent, eademque retorquent;
Stamineque implicito cura eſt diſſolvere nodos.
Hinc vocat extremum tandem textura laborem,
Intenduntque nurus diſcretas pectine telas
Multifido, radiiſque ſonantibus intertexunt
Jactantes dextra, lævaque ſequentia fila:
Alterniſque ſuus pedibus labor additus, atque
Deſuper acta gemit tereti rota garrula nervo.
Nec mora, certantes properant, falluntque laborem
Aut cantu, aut Veneris curæ narrantur inanes.
Nec modus eſt ſimplex texendi, nec genus unum
Telarum. nunc raſa vides, & levia texta,
Nunc pexis, leviterque attonſis mollia villis.
Quin etiam varios tenui ſubtegmine pingunt
Nexilibus flores hederis, ſilvaſque virentes,
Pomaque, graminaque, & cervos, capreaſque fugaces.
Adde, velut nebulas tenues, velamina textu
Rara, quibus matres crines, & tempora velant,
In templiſque deûm prohibent a pulvere vultus.
Vidi etiam, varium quæ mutant texta colorem,
Eluduntque oculos, ut diſcolor aura refulſit.
Quid ſequar ulterius? nil vis humana reliquit
Intactum. filum tunicis includitur aureis,
Indutæque rigent fulvo ſubtegmine veſtes.
Ut quondam Phryxi de finibus Æetæis
Vecta ovis aurato fulgebat pectora villo
Pectoraque, & pexo pallentia terga metallo.
Et dubitant matres pinguem ſerere undique morum,

Aut inter teneras bombycem ferre papillas!
Quid mirum? ſi jam totum diffuſa per orbem,
Saturni, & Veneris paſcunt pecora aurea gentes.
Mollia nec ſoli noverunt ſtamina Seres:
Lanivomum ipſa genus Saturni munere magno
Jamdudum ſuper Idalium, ſuper alta Cythera
Tranſtulit & Venus, & noſtras penetravit ad oras.
Quippe olim (ſed fama annis obſcura) regebat
Felices Seras læti ditiſſimus agri
Serius, antiquo patriæ de nomine dictus.
Mox acri infelix Phaetuſæ incenſus amore
Italiam petiit. poſtquam illam ad flumina magni
Audiit Eridani correptum fulmine fratrem
Flere diem, noctemque, Jovis fera tela querentem.
Sed vix Auſonios fines, Œnotriaque arva
Attigerat, novus ecce illi quum perculit aures
Rumor, virgineam formam amiſiſſe puellam,
Protinus & longos ad cælum tendere ramos
Pro manibus, duroque includi pectora libro.
Ah miſeram! ſubito ſtetit acri corda dolore
Saucius, inſignemque a pectore rupit amictum,
Pictus acu molles tunicas opera aurea Serum.
Tum viridi in ripa, caræ ſub virginis umbra
Implevit cælum queſtu, dilectaque fruſtra
Robora complexus tereti dabat oſcula ligno,
Et tenero ereptos in cortice flebat amores
Infelix. non ſceptra animum, non regna parentum
Alta movere queunt, nec opimæ copia gazæ.
In patriam negat ire: placet tantum Itala tellus.
Nec procul Eridani ripis abſiſtit, & omnem

Vi-

Digitized by Google

Vitam agit in lacrimis. biſſenos ordine menſes
Illum adeo perhibent ſolos fleviſſe per agros,
Et tandem ſuperos extrema voce precatum,
Neve oculis lacrimæ, neu deeſſet luctibus humor
Perpetuus; ſuperis quæ vota audita repente.
Perſtat in incœpto. gemitu nemora omnia complet.
Non oculis lacrimæ, non deſit luctibus humor.
Solvunt ſe in lacrimas artus, & corpore toto
Liquitur humor, abitque omnis converſus in undas.
Fit fluvius, curſuque breviſſimus exit in alveum,
Addua magne, tuum, & tecum in vada ſolvitur alti
Eridani, atque pedes Phaetuſæ humectat amatæ,
Flumine turrigeræ radens ſata culta Cremonæ.
Manſit amor, veteres amni manſere calores.
Sæpe illum fama eſt clauſam ſub cortice Nympham
Tentaſſe, optatum mox aſcendiſſe cubile.
Tandem juncta Dryas fluvio eſt, licitiſque hymenæis
Egreſſam rupta divam deus arbore duxit:
Cui picturatas vario ſubtegmine veſtes,
Illuſaſque auro tunicas, & tenuïa lætæ
Texta dedit miſſa a patriis ſibi munera terris.
Paucaque præterea bombycis ſemina donis
Addidit, oſtendens hujus quis muneris uſus.
Ipſa eadem egregias longo poſt tempore natas
Seriadas docuit patris de nomine dictas.
Mox illæ Auſonias paſſim ſparſere per urbes,
Et morum umbroſam latos ſevere per agros,
Unde ſacri viridem vates petiere coronam,
Et meritis gratas ſibi devinxere puellas.

F I N I S.

M. HIE-

MARCI HIERONYMI
V I D Æ
C R E M O N E N S I S
A L B Æ E P I S C O P I
S C A C C H I A
L U D U S.

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ

CREMONENSIS

ALBÆ EPISCOPI

SCACCHIA

LUDUS.

LUDIMUS effigiem belli, ſimulataque veris
Prœlia, buxo acies fictas, & ludicra regna.
Ut gemini inter ſe reges albuſque, nigerque
Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.
Dicite, Seriades Nymphæ, certamina tanta
Carminibus prorſus vatum illibata priorum.
Nulla via eſt. tamen ire juvat, quo me rapit ardor,
Inviaque audaci propero tentare juventa.
Vos per inacceſſas rupes, & inhoſpita euntem
Saxa, deæ, regite, ac ſecretum oſtendite callem.
Vos hujus ludi in primis meminiſſe neceſſe eſt.
Vos primæ ſtudia hæc Italis monſtraſtis in oris
Scacchidis egregiæ monimentum inſigne ſororis.
Juppiter Æthiopum ſedes, & Memnonis arva
Iverat, Oceani menſas dignatus amici,

Digitized by Google

Qui ſibi tum optatis junxit Tellurem hymenæis.
Affuit una omnis ſuperûm chorus. omnia feſto
Æquoris immenſi reſonabant litora plauſu.
Ut dapibus compreſſa fames, menſæque remotæ,
Quo ſuperûm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam afferri jubet interpictam.
Sexaginta inſunt & quatuor ordine ſedes
Octono. parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, necnon forma omnibus una
Sedibus, æquale & ſpatium, ſed non color unus.
Alternant ſemper variæ, ſubeuntque viciſſim
Albentes nigris, teſtudo picta ſuperne
Qualia devexo geſtat diſcrimina tergo.
Tum ſuperis tacite ſecum mirantibus, inquit:
Marti aptam ſedem, ludicraque caſtra videtis.
Hoc campo adverſas acies ſpectare licebit
Oppoſitis ſignis belli ſimulacra ciere,
Quæ quondam ſub aquis gaudent ſpectacla tueri
Nereides, vaſtique omnis gens accola ponti,
Siquando placidum mare, & humida regna quierunt.
En vero ſimulata adſunt qui prœlia ludant.
Sic ait, & verſa in tabulam depromſit ab urna
Arte laboratam buxum, ſimulataque noſtris
Corpora, torno acies fictas albaſque, nigraſque,
Agmina bina pari numeroque, & viribus æquis,
Bis nivea cum veſte octo, totidemque nigranti.
Ut variæ facies, pariter ſunt & ſua cuique
Nomina. diverſum munus, non æqua poteſtas.
Illic & reges paribus capita alta coronis,
Et regum pariter nuptas in bella paratas

Cernere erat. ſunt qui pedibus certamina inire
Sueti, ſunt & equis qui malint, quique ſagittis:
Nec deeſt quæ ferat armatas in prœlia turres
Bellua. utrimque Indos credas ſpectare elephantes.
Jamque aciem in verſum ſtatuunt, ſtructæque cohortes
Procedunt campo, caſtriſque locantur utriſque.
Linea principio ſublimes ultima reges
Parte utraque capit quartis in ſedibus ambos
Tractu eodem adverſos inter ſe. ſex tamen æquis
In medio ſedes ſpatiis hinc inde relictæ.
Sede albus ſe ſe nigra tenet, ater in alba.
Proxima reginas capit orbita. regibus ambæ
Hærent quæque ſuo. dextrum latus altera, lævum
Altera lege datis tangunt ſtationibus, atrumque
Atra tenet campum, ſpatio ſtat candida in albo,
Et proprium ſervant prima ſtatione colorem.
Inde ſagittiferi juvenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore nivali:
Nomen Areiphilos Graji fecere vocantes,
Quod Marti ante alios cari fera bella laceſſant.
Continuo hos inter rex, necnon regia conjux
Clauduntur medii. duo dehinc utrimque coruſci
Auratis equites ſagulis, criſtiſque decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis.
Tum geminæ velut extremis in cornibus arces
Hinc atque hinc altis ſtant propugnacula muris,
Quas dorſo immanes geſtant in bella elephanti.
Poſtremo ſubeunt octo hinc, atque inde ſecundis
Ordinibus pedites, caſtriſque armantur utriſque
Armigeri partim regis, partimque miniſtræ

Vir-

Virginis armiſonæ, quæ prima pericula belli,
Congreſſuſque ineant primos, pugnamque laceſſant.
Non aliter campis legio ſe buxea utrimque
Compoſuit duplici digeſtis ordine turmis,
Adverſiſque ambæ fulſere coloribus alæ,
Quam Gallorum acies alpino frigore lactea
Corpora ſi tendant albis in prœlia ſignis
Auroræ populos contra, & Phaethonte peruſtos
Inſano Æthiopas, & nigri Memnonis alas.
Tum pater Oceanus rurſus ſic ore locutus.
Cælicolæ, jam quænam acies, quæ caſtra videtis.
Diſcite nunc (neque enim ſunt hæc ſine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.
Principio alterni reges in prœlia mittunt
Quem pugnæ numero ex omni elegere ſuorum.
Si niger arma ferens primus proceſſit in æquor,
Continuo adverſum ſemper ſe candidus offert;
Nec plures licet ire ſimul facto agmine in hoſtem.
Propoſitum cunctis unum, ſtudium omnibus unum
Obſeſſos reges inimicæ claudere gentis,
Ne quo impune queant fugere, atque inſtantia fata
Evitare; etenim capiunt ita prœlia finem.
Haud tamen interea cuneis obſtantibus ultro
Parcunt, ſed citius, quo regem ſternere leto
Deſertum evaleant, cædunt ferro obvia paſſim
Agmina. rareſcunt hic illic funere ſemper
Utraque caſtra novo: magis ac magis area belli
Picturata patet, ſternuntque, caduntque viciſſim.
Sed cædentem opus eſt ſublati protinus hoſtis
Succeſſiſſe loco, & conatus vindicis alæ

Su-

Digitized by Google

Suſtinuiſſe ſemel. mox ſi vitaverit ictum,
Inde referre licet ſe in tutum præpete planta.
At pedites prohibent leges certaminis unos,
Quum ſemel exierint (facilis jactura) reverti.
Nec vero inceſſus cunctis bellantibus idem,
Pugnandive modus. pedites in prœlia euntes
Evaleant unam tantum tranſmittere ſedem,
Inque hoſtem tendunt adverſi, & limite recto.
Congreſſu tamen in primo fas longius ire,
Et duplicare gradus conceſſum. at comminus hoſtem
Quum feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant ſemper lateri, cavaque ilia cædunt.
Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde elephanti,
Quum turres in bella gerunt, ac prœlia miſcent,
Recta fronte valent dextra, lævaque, retroque
Ferre aditum contra, campumque impune per omnem
Proruere, ac totis paſſim dare funera caſtris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,
Qui tantum mos conceſſus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios; nam ſemper uterque
Fertur in obliquum ſpatiis nigrantibus alter,
Alter candenti ſemper ſe limite verſat,
Directiſque ineunt ambo fera bella ſagittis:
Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem
Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere ſedes.
Inſultat ſonipes ferus, atque repugnat habenis.
Numquam continuo ſtipata per agmina ductu
Procurrit. tantum ſurſum ſe ſe arduus effert
Semper, & in gyrum greſſus magno impete lunat
Curvatos, duplicemque datur tranſmittere ſedem.

Si

Si nigrante prius campo exſpectaverit, album
Mox petere, & ſedis ſemper mutare colorem
Lex jubet, ac certo ſemper ſe ſiſtere ſaltu.
At regina furens animis pars optima belli
In frontem, in terga, ac dextram, lævamque movetur;
Itque iter obliquum, ſed ſemper tramite recto
Procedit; neque enim curvato inſurgere ſaltu
Cornipedum de more licet. non terminus olli,
Nec curſus meta ulla datur, quocumque libido
Impulerit, licet ire, modo ne ex agmine quiſquam
Hoſtilive ſuove aditus occludat eunti.
Nulli etenim ſuper educto fas agmina ſaltu
Tranſiliiſſe. equiti tantum hæc conceſſa poteſtas.
Cautius arma movent gentis regnator uterque,
In quibus eſt omnis ſpes, ac fiducia belli.
Omnibus incolumi rege ſtat cernere ferro:
Sublato pugna excedunt, & caſtra relinquunt.
Ille adeo in bello captus ſecum omnia vertit.
Ergo hærens cunctatur. cum venerantur, & omnes
Agmine circumſtant denſo, mediumque tuentur.
Utque armis ſæpe eripiant, ſua corpora bello
Objiciunt, mortemque optant pro rege paciſci.
Non illi ſtudium feriendi, aut arma ciendi:
Se tegere eſt ſatis, atque inſtantia fata cavere.
Haud tamen obtulerit ſe quiſquam impune propinquum
Obvius: ex omni nam ſummum parte nocendi
Jus habet. ille quidem haud procurrere longius auſit:
Sed poſtquam auſpiciis primis progreſſus ab aula
Mutavit ſedes proprias, non amplius uno
Ulterius fas ire gradu, ſeu vulneret hoſtem,

Seu

Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.
Hic mos certandi, hæc belli antiquiſſima jura.
Nunc aciem inter ſe certantes cernite utramque.
Sic ait. at quoniam, quoties fera bella fatigant
Mortales, ſuperi ſtudiis diverſa foventes
Ipſi etiam inter ſe ſe odiis bellantur iniquis,
Maximaque interdum toto ardent prœlia cælo,
Juppiter omnipotens ſolio rex fatus ab alto
Omnes abſtinuiſſe jubet mortalibus armis:
Atque minis, ne quem foveant, perterret acerbis.
Tum Phœbum vocat intonſum, Atlantiſque nepotem,
Egregium furto peperit quem candida Maja,
Inſignes ambos facie, & florentibus annis.
Nondum Mercurius levibus talaria plantis
Addiderat. nondum Titania lumina agebat
Per liquidum curru gemmato Phœbus olympum,
Tantum humeros pharetra inſignis, & crinibus aureis.
Hos pater adverſis ſolos decernere juſſit
Inter ſe ſtudiis, & ludicra bella fovere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque.
Nec non propoſuit victori præmia digna.
Dii magni ſedere. deûm ſtat turba minorum
Circumfuſa. cavent ſed lege, & fœdere pacto,
Ne quiſquam voce, aut nutu ludentibus auſit
Prævifos monſtrare ictus. quem denique primum
Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,
Quæſitum, primumque locum certaminis albo
Ductori tulit, ut quem vellet primus in hoſtem
Mitteret. id ſane magni referre putabant.
Tum tacitus ſecum verſat quem ducere contra

Conveniat, peditemque jubet procedere campum
In medium, qui reginam dirimebat ab hoſte.
Ille gradus duplices ſuperat. cui tum arbiter ater
Ipſe etiam adverſum recto de gente nigranti
Tramite agit peditem, atque jubet ſubſiſtere contra
Advenientem hoſtem, paribuſque occurrere in armis.
Stant ergo adverſis inter ſe frontibus ambo
In mediis campi ſpatiis, ac mutua tentant
Vulnera nequicquam. neque enim vis ulla nocendi eſt
Armigeris, tractu dum miſcent prœlia eodem.
Subſidio ſocii dextra, lævaque frequentes
Hinc atque hinc ſubeunt, late & loca milite complent,
Alternantque vices. nec dum tamen horrida miſcent
Prœlia, ſed placidus mediis Mars ludit in armis,
Excurſuſque breves tentant, tutique tenent ſe.
Jamque pedes nigri rectoris, qui prior hoſtem
Contra iit, obliquum læva clam ſtrinxerat enſem,
Atque album e mediis peditem citus abſtulit armis,
Illiuſque locum arripuit præſtantibus auſis
Ah miſer. inſtantem lateri non viderat hoſtem.
Ipſe etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuſcæ regnator gentis ab aula
Subduxit ſe ſe media, penituſque repoſtis
Caſtrorum latebris extrema in fauce recondit,
Et peditum cuneis ſtipantibus abditus hæſit,
Nec mora, ſurgit eques bellator lævus utrimque,
Et mediis hinc inde inſultant cœtibus ambo,
Alternique ruunt, & ſpargunt fata per hoſtes.
Sternuntur pedites paſſim miſeranda juventus,
Quod nequeant revocare gradum. ſonat ungula campo

In medio, & totis miſcentur funera caſtris.
Dum vero peditum intentus Latonius heros
Cædibus inſtat atrox, equitemque per agmina verſat
Vaſtatorem alæ piceæ, longe Arcada major
Ardor agit tacitis jamdudum invadere furtis
Magnum aliquid, peditumque ultro ſæpe obvia tranſit
Agmina, cornipedem ducens in prœlia lævum,
Qui regi inſidias tendens huc vertitur, atque huc,
Per medioſque hoſtes impune infrenis oberrat.
Conſtitit, optataque diu ſtatione potitus
Letum intentabat pariter regique, elephantique,
Alæ qui dextro cornu turritus in auras
Attollens caput ingenti ſe mole tenebat.
Delius ingemuit clauſo ſuccurrere regi
Admonitus. namque indefenſum in morte elephantem
Linquere ſe videt, atque ambos non poſſe periclo
Eripere, & fatis urgeri cernit iniquis.
Cura prior ſed enim eſt trepidum defendere regem,
Quem rapit in dextrum latus. at niger emicat enſe
Stricto eques, & magnis elephantem intercipit auſis,
Damnum ingens; neque enim eſt ſævæ poſt virginis arma
Bellantum numero ex omni magis utilis alter.
Non tamen impune evades, ait acer Apollo;
Et peditum cuneis, denſaque indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certique pericli
Fruſtra velle fugam; nam hinc fata minatur Amazon,
Inde obſtat conferta phalanx. tandem altius acto
Virginis enſe cadit, pulchræ ſolatia mortis.
Æſtuat alba cohors latere heu minus utilis uno,
Et magis, atque magis furit acri accenſa dolore.

Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu
Amiſit, dum ſe adverſo fert pectore in hoſtem,
Sævior in pugnam ruit, armos ſanguine, & alte
Colla animoſa lavans: gemitu omnis ſilva remugit:
Talis erat facies, cæſi poſt fata elephantis,
Candentis turmæ. hinc furiis majoribus ardet
Phœbus, & ultrices hortatur in arma cohortes
In ferrum, & cædes pronus, cupiduſque nocendi;
Incautuſque ambas perdit ſine lege phalangas.
Dumque hoſtes pariter cernat procumbere victos,
Ipſe ſuos morti indefenſos objicit ultro.
Mercurius melior furto cunctatur, & hærens
Uſque alium ex alio ſpectando prævidet ictum.
Sæpe ille ex longo meditatus fata ſuperbæ
Reginæ, peditem perdendum comminus offert,
Diſſimulatque dolos; mox pœnitet, & trahit alto
Improbus, errorem fingens, ſuſpiria corde.
Jamque ſagittiferi e dextro ſpicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat. id hoſtis
Haud primum ſenſit, peditemque trahebat in atram
Læva aciem rerum ignarus. verum improba cladem
Et tantas Erycina Venus miſerata ruinas,
Incauto juveni furtim tacito innuit ore,
Atque oculis; Phœbo nam forte adverſa ſedebat.
Nulla mora, ad nutus divæ tremefactus Apollo
Conſtitit, atque oculis late agmina circumſpexit,
Et ſubito inſidias ſenſit, peditemque retraxit,
Quem contra impulerat dextra impiger. atque periclo
Reginam eripuit. tum Maja Atlantide cretus
Litoreum caveæ conſeſſum vocibus implet,

Regi-

Reginam captam ingeminans. fremit undique turba
Cælicolûm ſtudiis variis: ſe ſeque tuetur
Phœbus, & his alto fatur de litore verbis:
Quæ porro invidia eſt dextram ludicra petenti
Præmia corrigere incautam, in meliuſque referre,
Quum nec pacta vetent? quod ſi Maja ſate poſt hac
Id ſedet omnino prohiberi, lege caveto:
Quique prior fuerit digitis impulſus in hoſtem,
Sive albus, piceuſve fuat, diſcrimine nullo
Ille eat, & dubii ſubeat diſcrimina Martis.
Dixit, & hæc toto placuit ſententia circo
Cælicolis. Venerem obtutu clam verſus acerbo
Juppiter increpuit. nec ſenſit filius Arcas.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti. vix ſe tenuit, quin ludicra caſtra,
Injectiſque acies manibus confunderet ambas.
Tum ſecum ſtatuit furtis certare, doliſque
Omnibus, ac totis fraudes innectere caſtris.
Jam tum igitur juvenem pharetratum in prœlia ducens,
Cornipedis ſimulare gradus jubet. ocius ille
Emicat, atque albæ reginæ fata minatur.
Non Phœbum latuere doli. ſubriſit, & ore
Verſus ad aſtantes: Quamvis accommoda furtis
Mercurio ſit dextra, inquit, fraudique, doliſque,
Callide Atlantiada, invigiles; haud me tamen ultra
Fallere erit. jamque, improbe, iniquam corrige dextram.
Spectantum cunei ingenti riſere theatro,
Atque Arcas, veluti deceptus imagine falſa,
Summiſit buxum conceſſo in prœlia greſſu
Arcum intendentem. vigilat jam cautus Apollo,

Fraudeſque, inſidiaſque timens, occultaque furta.
Ille etenim perſæpe, manu dum ducit in hoſtes
Alternam buxum, jus contra, & fœdera pacta,
Implicitans celeres digitos, duo corpora bello
Objiciat ſimul, obſervet niſi providus hoſtis.
Jamque equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens ſe ſe oppoſuit pharetratus, & arcet
Reginæ jugulo intentum. tum dexter oberrat
Huc atque huc elephas, niveiſque exſultat in armis.
Hæſerat in medio, dominæ, regique minatus
Albus eques ratus impune; & jam forte ſuperbus
Nequicquam ſpoliorum animum paſcebat amore.
Non tulit hanc ſpeciem juvenis pharetratus, & arcu
Contendit calamum, ſe ſeque immittit in hoſtem,
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis
Inſigni pro laude. alvo mediæ hæſit arundo
Stridula, & ima chalybs deſcendit in ilia adactus.
Volvitur ille excuſſus humique, & calcibus auras
Verberat. in ventos vita indignata receſſit.
Inde ſagittiferum ſternit pedes. hunc pedes alter
Hoſtili de plebe necat. pugna aſpera ſurgit.
Turribus occurrunt ingenti mole elephanti.
Sæva pharetrigeri contendunt ſpicula nervis,
Quadrupedumque gemit bicolor ſub verbere campus.
Incaluere animi parte ex utraque, & in armis
Concurrunt denſi. ſimul omnis copia gentis
Albæque, piceæque, duces, ambæque phalanges,
Confuſæque acies magno certamine totis
Denſentur campis. virtus, fortunaque in unum
Conveniunt. hi nunc victores agmina verſa

Æquo-

Æquore agunt toto, verſis referuntur habenis
Nunc iidem, variantque vices, & fluctuat omnis
Area bellorum. vaſti velut æquoris undæ,
Si quando inter ſe recluſo carcere ſæva
Bella cient animoſi Euri, vertuntque profundum
Ionio in magno, aut undiſono Atlanteo,
Alternos volvunt procurva ad litora fluctus.
At medias acies inter crudeſcit Amazon
Candida, plena animis, multiſque in millibus ardet.
Namque ſagittiferum incurſans, redienſque elephantem
Nigrantes ſternit. dextra, lævaque per alas
Fulminat, atque manu ſpargens haſtilia ſævit.
Bellanti dant tela locum, retroque reſidunt
Hinc, atque hinc inimicæ acies. per tela, per hoſtes
Illa ruit pulchram in mortem, ſimul ultima tentat
Caſtra fugæ fidens, animoſque in bella viriles
Sæva gerit. penetrat cuneos, aperitque viam vi.
Tandem fuſca cohors, nigrantiſque arbiter alæ
Ipſe etiam arma ſuæ trepidus, vireſque, animoſque
Virginis implorat. nulla eſt mora, fervida Amazon
Emicat, atque ardens, paribus ſe ſiſtit in armis.
Quem primum haſta, aut quem poſtremum, bellica virgo,
Demetis, aut quot humi candentia corpora linquis?
Semianimes volvuntur equi niveique, nigrique,
Et peditum cunei, dilectaque pectora Marti
Aligera juvenes ineuntes bella ſagitta.
Quis cladem fando illius, quis funera pugnæ,
Proſtratoſque duces ſperet ſe æquare canendo?
Sternitur omne ſolum buxo, atque miſerrima cædes
Exoritur. confuſa inter ſe ſe agmina cædunt,

Implicitæque ruunt albæ, nigræque phalanges.
Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantum;
Nam verſæ inter ſe jactantes mutua tela
Femineis ambæ nituntur Amazones armis,
Uſque adeo certæ non cedere, donec in auras
Aut hæc, aut illa effundat cum ſanguine multo
Sævam animam, ſola linquentes prœlia morte.
Interea amborum populorum rector uterque
Captivos hoſtes, & victa cadavera bello
Carcere ſervabant caſtris vicina, caventes
Ne capti ſemel, aut obita jam morte jacentes
In vitam revocati iterum certamina inirent.
At lateri innixus Phœbeo Threicius Mars
Junctus amicitia puero Arcadi, ſi quid amico
Fata ſinant prodeſſe, animum per cuncta volutat,
Obſervatque omnes caſus. tum corpora bina
Capta, pharetratum juvenem, peditemque nigrantes
Cœtibus e functis jam vita, atque æthere caſſis
Surripit, & caſtris rurſum clam immittit apertis.
Ergo iterum gemini captivi prœlia inibant,
Miſcebantque manus animoſi, atque arma ferebant.
Haud ſecus (ut perhibent) quum Colchis nacta cadaver
Aut virgo Maſſylla recens, cantuque triformem
Sæpe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,
Falſam animam inſinuat membris, auraſque loquaces,
Continuo erigitur corpus, loquiturque, videtque,
Et vivos inter fruitur cæleſtibus auris.
Non tulit indignum facinus Junonia proles
Mulciber (ille dolum ſolus deprendit) & ore
Inclamat, Phœbumque monet. Thrax palluit herós

De-

Deprenſus. Phœbo exarſit dolor oſſibus ingens.
Tum Marti pater omnipotens iratus, iniqua
Præſidia abduci, atque indebita corpora bello
Protinus e caſtris jubet. atque retexere falſos
Hinc atque inde ictus, & cuncta in priſtina reddit.
Jamque duces furiis ambo majoribus inſtant,
Reginaſque ambas converſa per agmina mittunt.
Cæde madent illæ, toto æquore fata ferentes.
Conſidunt tandem obverſæ, regeſque tuentur,
Quæque ſuum. ecce autem bellatrix agminis albi
A tergo ferro invaſit, ſtravitque nigrantem
Ignaram. verum ipſa etiam cadit icta ſagitta
Ah miſera, & ſpoliis haud longum exſultat opimis.
Convertére oculos ambæ hinc, atque inde cohortes;
Atque acies lacrimis, & femineo ululatu
Ambas incubuiſſe putes, dum funera ducunt.
Tum reges mœſtos ipſa ad prætoria denſi
Agglomerant ſe ſe circum. timor omnibus idem
Incumbit. par tempeſtas, par hauſit utroſque
Diluvium populos, & ſunt ſua funera cuique.
Haud prorſus tamen ambobus defecerat omne
Robur. opes reſtant, & adhuc intacta juventus,
Tres pedites tibi, Phœbe, ſagittifer alter, & ingens
Bellua turrito dorſo. totidemque tibi, Arcas,
Excepto elephante, alta qui nuper in aula
Pace fruens cecidit poſitis inglorius armis
Eminus aligera percuſſus arundine pectus.
Sed dexter tibi reſtat eques imperditus. hauſit
Cætera bellantum mars impius agmina, bellique
Alea, florentes & deſolaverat aulas.

At Cyllenæo juveni ſpes occidit omnis.
Æſtuat amiſſæ gentis memor, & ſuſpirat
Heroas magnos tot fato corpora functa.
Non tamen excedit pugna. fracta agmina bello
Relliquias tenues immitis Apollinis aſtu
Cautior in pugnam mittit, poſt funera tanta
Siqua fata ſinant gentis ſarcire ruinas.
It nigrum campis agmen. ſtat ubique morari,
Fortunamque omnem tentare, aditusque nocendi.
Exſultat contra non æquo prœlia motu
Cynthius invadens. facies indigna cohortum,
Heu facies miſeranda ducum! raro agmine aperta
Caſtra patent latè, viduatæ & civibus aulæ.
Mœrebant vacuis thalamis regnator uterque
Jamdudum exoſi ſine conjuge tædia lecti.
Primus amor maneat quamvis immotus utriſque,
Sors tamen ad nova conjugia, atque novos hymenæos
Flectit iniqua. igitur primum rex agminis albi
Reginæ comites olim, fidaſque miniſtras .
Regali invitat thalamo, quæ funera mœſtæ
Poſt fera bellatricis heræ tela irrita bello
Jactabant acies inter, cuneoſque nigrantes,
Oppetere amiſſæ dominæ pro cæde paratæ.
Sed prius explorare auſus ſedet, atque viriles
Cunctarum ſpectare animos, ut digna cubile
Intret. in hoſtiles ſedes, atque ultima caſtra
Hortaturque, jubetque ſupremam apprendere metam.
Nulli fas etenim regis ſperare cubile
(Pacta vetant) niſi quæ per tela invecta, per hoſtes
Tranſactis ſpatiis cunctis impune ſuprema

Attigerit prius adverſi penetralia regis.
Arrexere animos famulæ, pariterque per hoſtes
Limitibus properant rectis. tamen ocior ante it,
Tertia quam dextro ducebat ſemita cornu.
Exſultatque, agitatque animo connubia regis.
Nam comites ſpe ſublapſa ceſſere volentes.
Illa volat cœptis immanibus. addidit alas
Gloria præpetibus plantis, & plurima merces.
Nulla obſtat mora. nec facinus prohibere tyranno
Cura nigro eſt, novaque ipſe etiam connubia tentat,
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergo iter alternæ accelerant. famulamque ſiniſtram
Quarto limite agit, ſaltu ſed tardior uno
Parrhaſius juvenis. jamque imperterrita virgo
Candida, facta potens voti, penetraverat omnes
Sedes, atque alacris meta conſederat alta.
Tum rector jubet afferri ſellamque, tiaramque
Exſtinctæ ornatus, nec non fulgentia ſceptra,
Dignaturque toro meritam, optatiſque hymenæis.
Gaudet cana cohors, inſultatque eminus atræ.
Haud lacrimas cohibet Maja ſatus, æthera voce
Inceſſens, pictoſque a pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantum gradus unus ad ipſam
Reſtabat metam ah miſeræ, ſed limite recto
Turritus fera fata elephas impune minatur
Inſurgens, ſi ſupremam contingere ſedem
Audeat, & toto caſtra obſidet ultima tractu,
Et pavidam obſervans extremis ſedibus arcet.
Interea nova regali dignata virago
Connubio exſultans, toto dat funera campo.

Illam tollit honos novus, & fortuna tumentem.
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia ſævit
Caſtra per, & ſedes; ac ſidera territat armis.
Horreſcunt faciem inviſam nigra agmina crudæ
Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vaſto irrumpente fragore
Hoſte, metuque omnes acti glomerantur in unum
Aulai in medio juxta latera ardua regis.
Haud ſecus alta boves ſparſæ per paſcua quondam,
Ut ſenſere lupum venientem, protinus omnes
Conveniunt trepidæ, & fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant, ipſique propinquant
Certatim inter ſe trudentes cornua rauco
Murmure: mugitu longe nemora alta reſultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipſique ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miſcet.
Nunc ruit huc, nunc huc. tunc &, niſi læva fuiſſet
Mens illi, poterat candentem invadere ſedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Ultimus ille labor regi, gentique fuiſſet
Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc leti facilis via in ilia regis,
Nec poterat quiſquam ſe tantæ opponere cladi.
Senſit Atlantiades tacitus, dubioque tremebant
Corda metu. accelerare hoſtem jubet improbus, ictum
Ne videat, verbiſque rapit per inania mentem,
Caſtigatque moras: Adeon' juvat uſque morari,
Nec pudor eſt? quæ tanta animis ignavia? ſic nos
Increpitas ſemper cunctantes impiger ipſe?

Sci-

Scilicet exſpectas dum nox certamina tollat?
His actus, peditem imprudens dum captat Apollo
Præteriit fortunam. alacer vocem extulit aſtris
Lætitia exſiliens Cyllenius. inde periclo
Regem ipſum eripiens, opponit Amazonis armis
Haud invitum equitem, qui ſævos arceat ictus.
Tum ſecum meditans candenti letum elephanti,
Qui meta arcebat famulam, ne regis iniret
Conceſſos thalamos, curvato perculit arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vaſto
Pulſavit moriens, dum regi intentat Apollo
Nequicquam exitium. tum metam impune miniſtra
Nigra tenet (nec Phœbus obeſt) jam regia conjux.
Jamque alacres paribus certamina viribus ambo
Rurſum ineunt, nuptaſque ferunt in bella ſecundas.
Tum, quamquam ambiguæ ſpes ſint, incertaque belli
Alea adhuc, tamen, ac ſi palmæ certus, & omne
Diſcrimen poſitus ſit ſupra, gaudia ficto
Ore puer Majæ ſimulat, verbiſque ſuperbit
Improbus inſultans, (aſtus genus) & ſua creber
Vocibus extollens, albæ premit arma cohortis.
Quem ſic deprenſa juvenis Latonius arte
Increpitat: Nondum extremam dubio ultima bello
Impoſuit fortuna manum, & jam voce ſuperbis.
Proinde mihi inſulta, & tumidis reple omnia verbis,
Certa tuum annuerit tibi quum victoria martem.
Sed jam nulla mora eſt. tua nunc nunc irrita faxo
Dicta manu. hæc fatus, reginam hortatur in hoſtes.
Continuo exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utriſque.

Au-

Audentes in tela ruunt. ſtat multus ubique
Terror, ubique pavor, mortiſque ſimillima imago.
Nituntur cuncti adverſi, ſe ſeque viro vir
Obtulit. invigilant caſtris avertere peſtem
Quiſque ſuis, hoſtemque fugant, hoſtiliaque ipſi
Caſtra petunt, variantque vices: fortunaque ludit
Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet.
Funera ſpargebat fuſcæ regina cohortis
Per medias animoſa acies. non æmula contra
Oppoſuit ſe ſe virgo, ſed calle per hoſtes
Secreto interea regis tendebat ad alta
Limina. dein ſubito captis cuſtodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obſidet aulam,
Intentatque necem regi. tum nigra virago,
Poſtquam altis vidit canam in penetralibus hoſtem,
Cæde madens ſtrages cito linquit, & imperfecta
Funera, & acta pedem retro exanimata repreſſit,
Nec timuit mediam ſe certæ opponere morti;
Et patriæ, & trepido properans ſuccurrere regi.
Hic aliud majus Phœbo, graviuſque dolendum
Objicitur. nam cornipedem Cyllenius atrum
Huc illuc agitans campo inſultabat aperto.
Ardet equus, ſaltuque furit. nec deſtitit auſis,
Donec reginæ pariter, regique minatus
Optatam tenuit ſedem, exitioque futurus
Aut huic, aut illi nigrantibus obſtitit armis.
Ut vidit, triſti turbatus pectus Apollo
Ingemuit, larguſque genis non deſuit humor.
Et jam jam labi, atque retro ſublapſa referri
Spes omnis, fluxæ vires, averſa deûm mens.

Arcas

Digitized by Google

Arcas ſucceſſu exſultans, ac munere divûm
Lætus, ovanſque animum vocemque ad ſidera tollit;
Et tandem rediit vigor in præcordia victo.
Protinus incluſam feriens ſub tartara mittit
Reginam, & ſpoliis potitur non ſegnis opimis.
Tantum olli bellator equus cadit ilia foſſus
Ultoris ferro regis. nondum tamen exſpes
Phœbus abit, ſed pugnat adhuc, atque agminis albi
Relliquiæ pedites duo, & arcu inſignis eburno
Martis amor juvenis nequicquam bella laceſſunt.
Audentes facit amiſſæ ſpes lapſa ſalutis,
Succurruntque duci labenti in funera. ſed non
Talibus auxiliis, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget. toto Maja ſatus æquore ſævit.
Inſtat vi multa nigra virgo, ſeptaque regis
Circuit, excidium intentans, hac perſurit, atque hac:
Nec requievit enim, donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & ultima bello
Auxilia abſumſit. medio rex æquore inermis
Conſtitit amiſſis ſociis, velut æthere in alto
Expulit ardentes flammas ubi lutea bigis
Luciferis Aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc, Venus, & cælo mox ultimus exit.
Nulla ſalus illi ſuperat, ſpes nulla ſalutis,
Non tamen excedit victus, ſed claudere ſe ſe
Hoſtiles inter cuneos impune per enſes
Actus avet, donec nuſquam ſpatia ulla ſuperſint
Effugiis. nam ſi nemo illi fata minetur,
Nec ſuperet ſedes quam impune capeſſere poſſit,
Nil tantorum operum impenſis foret omnibus actum:

Sed labor effuſus fruſtra, vireſque fuiſſent,
Nec titulos quiſquam, aut victoris nomen haberet.
Ergo per vacuas ſedes, deſertaque caſtra
Nunc huc, rurſum illuc incertos implicat orbes
Diffugiens. niger inſequitur rex æquore toto,
Atque fugæ ſemper ſpatiumque, abitumque relinquit.
Poſt ubi ſupremo tendentem limite greſſum
Vidit, reginam ſedes ſervare ſecundas
Juſſit, ab anguſtis ne ſe ille abducere poſſet
Ordinibus, tantumque fugæ miſero ultima reſtat
Linea. tum ſe ſe contra niger æmulus infert
Dux gentis propiore gradu, ſedes tamen una
Alterum ab alterius contactu ſummovet uſque.
Ut vero contra exſultantem victus, & exſpes
Conſtitit invitus, fortunam nacta virago
Extremam inſiliit ſedem, totoque minatur
Limite, nec miſero reſtat locus amplius uſquam.
Tandem illum ſurgens virgo crudelis in enſem
Immolat, & finem impoſuit ſors aſpera pugnæ
Ingenti ſuperſîm plauſu, & clamore ſecundo.
Victor Atlantiades exſultat litore toto
Improbus, & victo inſultat, ridetque dolentem,
Quem pater omnipotens ad ſe vocat, & dat habere
Felicem virgam, qua puras evocet umbras
Pallenti Styge, ut infectum ſcelus eluit ignis,
Quaque Erebo damnet ſontes, & carcere cæco,
Detque, adimatque oculis ſomnos, & funere in ipſo
Lumina Lethæo claudat perfuſa ſopore.
Mox vero gratum ludum mortalibus ipſe
Oſtendit deus, & morem certaminis hujus

Italiæ


Digitized by Google

Italiæ primum docuit celebrare colonos.
Namque olim, ut perhibent, dilectam Scacchida, qua non
Inter Seriadas præſtantior altera Nymphas,
Compreſſit ripa errantem, & nil tale putantem,
Dum paſcit niveos herboſa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amiſſi pretium vario ordine picturatam,
Argentique aurique gravem tabulam addidit, uſumque
Edocuit. Nymphæque etiam nunc ſervat honorem,
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,
Extremæque hominum diverſa ad litora gentes.
Omnia quæ puero quondam mihi ferre ſolebant
Seriades, patrii canerem dum ad flumina Serii.

FINIS.



Digitized by Google



Digitized by Google

MARCI HIERONYMI
V I D Æ
C R E M O N E N S I S
A L B Æ E P I S C O P I
C A R M I N A
D I V E R S I G E N E R I S.

Q 2

Digitized by Google

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
BUCOLICA.
ECLOGA PRIMA
DAPHNIS.
Lycidas, Amyntas.

Absentem Daphnim Lycidas, & pulcher Amyntas
Paſtores ambo, pueri ambo ad Tibridis undam
Flebant, & querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos, Muſæ, & juvenum memorate querelas,
Dicite; nam motas ipſas ad carmina cautes,
Et requieſſe ſuos perhibent vaga flumina curſus.
Incepit Lycidas: (Lycidæ nam cedit Amyntas)
Has o qui ſaltem voces tibi ventus ad aures,
Daphni, ferat: noſtrum, Daphni, abſens noſce dolorem,
Nunc ſeu te immemorem noſtri, pecoriſque relicti
Oblitum patria arva juvant, & paſcua tantum
Tuſca tibi cordi Latii pro pinguibus agris
Antiqui Latii, & pro flavo Tiberino
Dilecti ripas formoſas accolis Arni,
Seu tibi (quando urgent ſic divûm triſtia juſſa)

Sæpe animo occurrit quam pinguia liqueris arva:
Dumque acrem fruſtra quærens lenire dolorem
Secretos lucos ſolus, ſecreta pererras
Litora, ad hos cæli convertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis: Mea gaudia tellus
Illa habet, illa meos longe plaga ſervat amores.
Daphni, tuos abitus noſtris in montibus urſi
Informes gemuere. feræ luſtra alta tenentes
Auditæ aereis in verticibus ululaſſe.
His paſſim audiri læta olim carmina in oris
Carminaque, & dulces paſtorum ſemper amores:
Nunc circum ſilet omnis ager; nunc paſcua muta.
Hæc ſubito liquit tecum omnis rura voluptas.
Hic aderas, aderant ſimul & fluvialia Nymphæ
Numina, Nympharumque timor per litora Fauni:
Hinc abes, hinc abſunt ſimul & fluvialia Nymphæ
Numina, Nympharumque timor per litora Fauni.
Formoſi hi tecum montes, formoſaque prata:
Te ſine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non ſidera rorem
Sufficiunt, gelidæ non linquunt arva pruinæ.
Vix paucas æger deſerto in litore Amyntas
Ducit oves; paucas deſerta in rupe capellas
Horrentique rubo, & carice paſcit acuta
Ah puer infelix! cui tu dum paſcua cara
Commendas, & oves fido, atque armenta recedens,
Et triſtis, Dilecte, vale, vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra præ largo reddere fletu.
Illum, ſingultus dum non compeſcere longos,
Aut lacrimas valet, aprico de colle juvencæ

Flu-

Fluminis immemores, & graminis admiratæ
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas. ſubito ſic deinde ſequutus Amyntas:
Illa luce & oves fluvios, ac pabula læta
Fugere, & ſaturis ipſi præſepibus ultro
Abſtinuere boves clauſi fœnilibus, & vos
Tardius ah miſeræ rediiſtis monte capellæ.
Ut fontes ſine aquis, vario ut ſine gramine prata,
Ut ſine Sole dies, Lunæ ut ſine lumine noctes,
Hæc ita mœſta ſuo ſqualet ſine Daphnide tellus.
Daphni decus ruris, paſtorum Daphni voluptas,
Quæ modo ſurgebant tugurî tua culmina ad auras
Tybridis in ripa, nunc ſemiſtructa videntur
Ipſa etiam abſentem dominum deſerta morari.
Illac præteriens ſubſiſtit ſæpe viator,
Sive viam carpit pedibus, ſeu puppe per undas,
Et ſecum admirans, Quondam hæc felicia tecta,
Felices, inquit, horti, quum Daphnis adeſſet:
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite, cuſtodes pecoris. cohibete capellas
O vos, o cohibete & oves, hædoſve petulcos,
Ne vites carpant immiti dente novellas,
Quas poſuit modo diſcedens hinc ordine Daphnis,
Et dixit: Tamen iſta mei monimenta manebunt.
Creſcetis, vites: vobiſcum conſita creſcet
Ulmus, & exſilii noſtri numerabitis annos.
Sic ait, & dulci ſe ſe divellit ab ora
Invitus; triſtiſque tamen ſubſiſtit, & hæret
Hic illic, colles & reſpiciebat amatos,
Optabatque oculos in cara linquere terra.

Paſto-

Paſtores aderant, omnes de collibus illum
Spectabant mœſti procul, ac diſcedere flebant.
At tu vive memor ſaltem; pulcherrime, noſtri,
Vive tui memor, o, Lycidæ, pulcherrime Daphni.
Forſitan &, ſiquis cælo deus aſpicit alto
Paſtorum curas, noſtri miſerebitur olim
Mitior, & caris reddet te protinus oris.
Sic pueri paribus ſe dum ſolantur avenis,
Illorum fera Tibris ſub nocte querelas
Miratus, flavum vitreis caput extulit antris:
Et vos ex imo gemuiſtis, Naides, amne.

ECLOGA SECUNDA

CORYDON.

HOc mihi vos etiam, Nymphæ, concedite carmen,
Seriades, veſtris veniens quod nuper ab oris
Cantabat Corydon, grata dum texit in umbra
Fiſcellam, amiſſi gregis immemor. ilicet illum
Cantantem noſtri denſa cinxere corona
Paſtores admirati, Faunique ſecuti,
Et vos vicinis, Dryades, properaſtis ab antris.
Nam Satyrum biſores audentem inflare cicutas,
Ipſum dum cantu vocat in certamina Phœbum
Nunc canit, & demta vivos cute detegit artus
Cernenti. ſparſæ rorabant ſanguine ſilvæ.
Narciſſi nunc formoſi meditatur amorem.
Ah puer infelix, quis te novus error adegit?
Aut nihil eſt quod amas, & fallax ludit imago,
Aut tibi tute ignis, teque ardes neſcius ipſum.

Tu

Digitized by Google

Tu tamen hanc tenero male ſanus pectore curam
Noctes, atque dies verſas. tibi flamma medullis
Altius inſedit, ſeque oſſibus implicat ignis.
Parcite, fallaces, puero, jam parcite, lymphæ.
Ipſæ etiam parcunt Nymphæ, quas luſit amantes.
Ipſi etiam parcunt juvenes, quos torſit amantes
Durus, communis divûm puer, atque hominum fax.
Illum etiam monteſque feri, deſertaque late
Fleverunt nemora, umbroſiſque in vallibus amnes,
Dum jacet in ripis, nec fonte recedit amato,
Et moriens cura extremum tabeſcit inani.
Hæc felix Corydon. dehinc addit Ariona cantu
Inſignem. reſonant omnes & Ariona ſaltus,
Et nemora, & montes, atque umbroſæ convalles.
Vos quoque, muſcoſi, meminiſtis Arionis, amnes.
Quæ vos, Nereides, tenuit mora? nam properarunt
Æquoris excitum pecus omne, armentaque Protei,
Et curvam phocæ informes cinxere carinam,
Quum nautæ inſidiis ſibi fata inſtantia cernens,
Extremum caneret triſtis ſolatia leti,
Qualis Mæandri queritur moriturus ad undam
Canus olor, qualis rauci per ſtagna Cayſtri.
Vos tamen o tandem traxerunt carmina, Nymphæ
Nereides, tutam quum per vada ſalſa ſecaret
Suppoſito delphine viam, in patriamque rediret,
Dulce etiam nunc fila movens teſtudinis aureæ.
Quid caneret, niſi cæruleos per cærula divos?
Oceanum in primis, cujus ſanctiſſima ubique
Jura tremunt undæ, tumidique ſub æquore fluctus,
A quo principium deducunt omnia paſſim

Flumina ſub terram occulto labentia tractu,
Mox eodem longo redeunt exercita curſu.
Addit ut & cælum, cælique nitentia tecta
Contemnat, liquidaſque domos præponat olympo
Detentus blandis amplexibus Amphitrites.
Interea vitrea auricomus depaſcitur igni
Arva die, vitreo Sol nocte exſpectat in antro
Hoſpitis Oceani menſis exceptus amicis.
Interea roſeis ſatura ad præſepia glaucæ
Sufficiunt & flumen equis, & pabula Nymphæ
Divina ambroſiamque, & Pæoniam panaceam.
Cætera dehinc etiam canit alti numina ponti,
Cum Nereo, Glaucoque tridentiferum Neptunum.
Addit Nereidas centum, centum addit amores
Nereidum. toto reſponſant æquora ponto.
Huc ades, o Galatea. ades huc, Piſæa Arethuſa,
Nerine Galatea, argentea Neptunine.
Reſtabat, nautam infandum quæ pœna ſequuta,
Dicere, quos laqueos tulerit, quos perfidus ignes;
Pergebatque canens Corydon, dum cuncta referret.
Sed non Sicanium non ille oblitus Amyntam,
Omnes quem puerum paſtores protinus, omnes
Depereunt Nymphæ. Nympharum ſemper amores
Ille habet, ille ipſas urit ſævo igne Napæas.
Huc ades, o formoſe puer. tibi carmina amantes
Grata canunt Muſæ. tibi magno captus amore
Ipſe ſuos numeros addit, ſua munera Apollo,
Eque ſua viridem texit tibi fronde coronam.
Hæc Corydon Tiberi nuper mirante canebat.
Cætera paſtores meminere ad flumina Mellæ.

ECLOGA TERTIA

NICE.

(*Scripta fuit ad* Victoriam Columnam.)

Conjugis amiſſi funus pulcherrima Nice
Flebat, & in ſolis errabat montibus ægra,
Atque homines fugiens, mœſto ſolatia amori
Nulla dabat, luctu ſed cuncta implebat amaro
Flens noctem flens lucem. ipſi jam funera montes
Lugebant Davali. Davalum omnia reſpondebant.
Interea Nymphæ Damon correptus amore,
Vicina ut paucas ſervabat rupe capellas,
Omnibus ah demens ſilvis errabat, & agris,
Atque hæc nequicquam vacuas jactabat ad auras:
O quis te noſtris oculis, pulcherrima virgo,
Objecit deus, & viſam te protinus idem
Eripuit nobis, ſævo ut conſumerer igni?
Sive dea es nemorum (certe dea) ſive tibi alta
Undarum dominæ parent maris æquora, & amnes,
Illa meo numquam facies de pectore abibit.
Illam vos etiam mecum diſcetis amare,
Intonſi montes, vos, umbriferæ convalles.
Sive greges inter captabo frigus, & auram,
Flumina ſeu propter ſalices in valle putabo,
Aut agitans inſtabo aliud quodcumque, tibi ante
Carmina pauca canam, & te pectore ſuſpirabo,
Toto unam te corde ; prius dediſcet amare
Gramina ovis, nemora alta feræ, vaga flumina piſces,
Quam tua de noſtris vellatur cura medullis.

Si nec erunt Fauni, ſi nec mihi Oreades ullæ,
Montibus, & ſolis dicam mea carmina ſilvis.
Ardebunt ſilvæ, montes, ardebitis, alti.
Quo fugis ah? Davalus non hæc poſt funera curat.
Siſte gradum, atque oculis rurſum, dea, reddere noſtris.
O tibi ſi tantum hæ ſilvæ, ſi mollia prata
Hæc placeant, libeatque his mecum in vallibus eſſe,
O has felices ſilvas, felicia prata,
Formoſas nimium ſilvas, formoſaque prata,
Formoſas valles! ſed tu formoſior illis.
Conjugis hic mecum, dum carpent grata capellæ
Gramina, facta canes ingentia, ut hoſtibus unus
Obſtiterit ſæpe, & proſtratas ceperit urbes,
Utque duces victos tot magnis ceperit auſis
Una eademque die, tecum omnia quæ modo montes
Cantabant ipſi. Davalum omnia reſpondebant.
Alma ſuum hic tecum non dedignetur Adonim
Flere Venus, tecumque ſuas ſociare querelas.
Ipſe autem interea juxta projectus in herba
Inſignem calathum tibi junco, & vimine texam,
Et totum miris pergam variare figuris.
Primus erit labor hic, primum hic tamen argumentum
Conjugis exſtincti funus, miſerabile funus,
Dum queritur ſe non bello, non fortibus armis
Oppetere, at lento paullatim cedere morbo.
Pallor erit gelido juvenis morientis in ore,
Et ſenſim placida claudentur lumina morte.
Addua aquas juxta fundet mœſtiſſimus urna,
Et circumfuſæ tundent ſua pectora Nymphæ
Spargentes ſtratis violam, mœſtumque hyacinthum.

Exa-

Exanimum circumſtabunt regeſque, duceſque
Mœrentes, largoque undabunt omnia fletu.
Parte alia heroum multis comitantibus addam
Longum iter ingreſſam te, ſiquod numen eunti
Conjugis annueret cari producere fata.
Quos non interea divos in vota vocabis?
Quas non muneribus cumulabis grandibus aras?
Omnes ſed fruſtra divos in vota vocabis:
Muneribus fruſtra cumulabis grandibus aras.
Ibis multa metu ſuſpenſa. e montibus altis
Occurrent Dryades, & Oreades admiratæ:
Nympharumque tibi paſſim chorus omnis eunti
Floribus e variis, viridique e fronde coronas
Intexent ſævi ſolatia vana doloris.
Quum vero extinctum Davalum ſæviſſimus aures
Nuntius implebit, votis nihil omnibus actum,
Pallentem heu ſubito faciam, ingentique dolore
Exanimem labi. ſtabunt circum ilicet omnes
Collapſam famulæ, gelidamque a flumine lympham
Rorabunt. gelida vix tu revocabere lympha.
Quos ah dein gemitus, quæ tum lamenta referrem,
Si poſſent gemitus junco, aut lamenta referri?
Crudeles divos, crudelia fata vocares,
Crudelem terram, quod non ſponte hiſceret, & non
Te ſubito orantem miſerata hauriret hiatu.
Haud aliter tantum finiri poſſe dolorem.
Etruſci montes, teſtes vos omnia ſcitis.
Omnia vos mœſtæ lamenta audiſtis, & ipſi,
Dum miſeret, celſis de verticibus ululaſtis.
Nam mihi cuncta ſenex puero prædixerat olim,

Dum

Dum moriens teneros commendat Tityrus agnos.
Sic Damon, ſimul ibat. eum videre vagantem,
Atque hæc nequicquam ſera ſub nocte canentem
Carmina nimboſis ſtabulantes montibus urſi
Montibus, & ſilvis, ac litoribus deſertis.
Illa autem prærupta legens, atque invia ſaxa
Nunc hac nunc illac fugere indeprenſa, nec uſquam
Apparere, freti hiberna ſurdior unda.
Illam vos, amnes, vos o, genus amnibus unde,
Siſtite, correptamque domum deducite, Nymphæ.
Sola dies poterit tantum lenire dolorem.

F I N I S.

M. HIE-

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
CARMINUM
LIBER.

I.
JO. MATTHÆO GIBERTO.

ME me rura juvant mea,
Optatoque diu perfruor otio,
Per te quod peperi mihi,
Giberte o animi ſola quies mei,
Pro quo mille adeam neces.
Nunc æſtus vacuum glandifera juvat
Evitare ſub ilice,
Nunc audire Noti murmura garruli
Denſas per nemorum comas
Haud longe ſcatebris fontis ab algidi.
Nec me deſidiæ tamen,
Aut tu me argueris turpis inertiæ.
Canto nam modo carmina,
Ad præſcripta modo me ſapientium
Emendans, animum colo.
Princeps te interea detinet urbium

Roma

Digitized by Google

Roma principibus viris
    Gratum, inter proceres nobilem honoribus.
Suſpiras tamen, & doles,
    Fortunam cupiens perſimilem meæ.
Mecum ut ſæpe negotia
    Urbana, ac varias ſollicitudines
Deteſtaris, & angeris,
    Felicemque vocas me ter, & amplius!
Ut verum fatear tibi,
    Permutare negem. tu tamen hæc cape
Hæc ſolatia amiculi,
    Sortem æqua ut levius mente feras tuam.
Sunt mortalibus omnia
    Diviſa ſtudia, & munera diſparis
Vitæ, ut quiſque humeris valet,
    Divis cuique ſuum diſtribuentibus
Æquo judicio omnibus.
    Non foſſorve, oviumve arbiter horridus
Clavum temperet urbium.
    Non, quem templa juvant, curiave, aut forum,
Sulcet divite mercium
    Mutator pelagus Carpathium rate.
His tu temporibus datus,
    Eſſes ut patriæ præſidium, ac bonis.
Has natura tibi dedit
    Artes. hoc dederunt dii ſtudium tibi.
Ten' dices miſerum, rogo?
    Nec contentus eris ſorte tua dolens?
Urbs te magna Quiritium
    Mirata eſt puerum, publica munera

Tra-

Digitized by Google

Tractantem graviter, diu.
Vix nunc quarta tibi condita olympias,
Regum conſiliis tamen
Jamdudum gravibus conſcius interes.
Omnes Italiæ angulos
Feciſti meritis jam memores tui.
Omnis jam tibi Gallia,
Germanuſque ferox funera nil pavens
Debet. debet atrox Geta,
Debent Sauromatæque, & Morini ultimi,
Debent inſtabiles Scythæ,
Et tellus ubicumque eſt habitabilis.
Sed nil eſt quoque, ſi ſapis,
Quod noſtra hæc inhies uſque adeo otia.
Ipſi quærimus in dies
Doctrina, ſtudioque hanc ſapientiam,
Quam nec forſitan aſſequi
Umquam fata dabunt, aut labor irritus.
Hujus tu nihil indiges.
Fers tecum puer hanc matris ab ubere
Raro munere cælitum;
Externaque tibi nulla opus eſt ope.

II.

LEONI X. PONT. MAX.

ECQUIS o lætam, LEO, gratus urbem
Erigit rumor fera te parare
Barbaræ jam jam Latio imminenti
Funera genti?
Macte, qui tantos animos ſuperbus
Concipis. magnis nova te triumphis

Gloria invitat, nova laurus, o ter
Maxime regum.
O diem illam, qua rediens in urbem
Arduis figes ſpolia ampla templis,
Quem duces omnes ſacra Vaticani ad
Limina ducent,
Ante dejecti capita alta reges
Efferi incedent. minor ibit ille
Qui modo devicto Oriente Romæ
Dira minatur.
O ubi hic captas numerabis urbes,
Et ducum vita exuvias carentum,
O tuum quæ tunc merito laceſſent
Gaudia pectus!
Ergo age arrectam Auſoniam, & paratos
Publica Europæ voca ad arma reges:
Jamque ſpumoſum videam latere
Claſſibus æquor.
Hoc avent omnes Itali, exterique,
Geſtiunt cunctis animi. paratur
Martis ad præclara opera, & labores
Pulchra juventus.
Ipſe ego, quamvis alia nitere
Mens erat lauro, ardeo nunc amore
Martis, armorumque. tui relinquunt,
Phœbe, calores.
Nunc vocant artes aliæ. juvet me
Jam gravem ferri ſtrepitum, tubaſque
Horridas audire. juvet ruentes
Cernere turmas.

Jam

Jam mihi denſum videor per agmen
Caſſide incluſus caput insüetum
Funera horrendum fera fulminanti
Spargere dextra.
Non ego pro te, laribuſque, & aris
Horream extremos penetrare ad Afros,
Non ego Xanthum galea cava potare, nec Indum.
Pulveris multum, patienſque Solis
Ibo quo Bellona vocabit, & Mars,
Hoſtium irrumpens cuneos, ahena
Luce coruſcus.
Et mihi pectus, mihi ſanguis, & vis
Vivida, eſt præſens animus. trementi
Barbari tellure cadent mea ſub
Cuſpide reges.
Ante me haud alter vacuus timoris
Audeat muros ſuperare capti
Oppidi, nemo prior obſtinatas
Rumpere in arces.
Forſan & veſtros aliquis triumphos
Dum canet vates Aſiam, Africamque
Cedere, & victum juga veſtra ferre
Protinus orbem,
Me quoque heroas memorabit inter
Maximos. noſcent animæ in periclis
Prodigum, expertemque metus futura
Secula Vidam,

III.

JO. MATTHÆO GIBERTO.

HOc eſt olorum dulcius ut canant,
Giberte, ſemper, quos ſenium premit:
Illiſque ſolis eſt ſenectus
Uſque adeo potior juventa.
Non id ſacratis vatibus accidit,
Placere cantu Muſa quibus dedit.
His obſtat uſque obliviosa
Conſiliis melior ſenectus.
Ubi ligatus ſanguis hebet gelu,
Languentque vires, mentem aliæ ilico
Curæ fatigant, ſuntque ſemper
Poſtera deteriora primis.
Natura rebus, cuique ſuum, dedit
Tempus, quod ultra non bene progredi eſt.
Non ſemper idem floret annus,
Aut foliis ſilüæ vireſcunt.
Lætis nitorem triſtis hiems agris
Aufert, procellis, atque gelu potens.
Nec ſe recognoſcit ſepulta, &
Sub nivibus ſtupet alma tellus.
Quid? qui ruenti non ſemel obſtitit
Hoſti, ut trementem deſtituit vigor,
Sedet ſacramento ſolutus,
Et pueris ſua facta narrat.
Tu me tamen vis verſibus immori
Ævo reclamante, & juveni aptius
Subire diſcrimen, meamque
Sollicitans hiemem fatigas.

Ne coge, ſiqua forte niteſcimus,
Luci priori inſpergere nubila.
Jam fas Camœnis abdicato
Sit mihi ponere plectra, & artem.
Vos o, quibus vis, & vigor integer,
Dum fervet intus laudis adhuc amor,
Perſtate, certatimque læti
Vela date egregio labori.
Mollem ſenectam me deceat magis
Traducere intra Socraticam domum,
Dum cogito, quæ ſit beatis
Poſt cineres animis voluptas.

IV.

JO. MATTHÆO GIBERTO.

SCILICET hæc etiam noſtrorum ſumma malorum
Defuerat, Giberte, mea ut tu ſola voluptas
Eriperere mihi longinquas miſſus in oras?
Saltem ego ſi tecum conſors, ſociuſque laborum
Veniſſem, non infelix mihi, diiſque viderer
Inviſus penitus. tibi ſi non utilis eſſem
Conſiliis, quando ante alios te maxima Pallas
Edocuit, mentemque aſpirat Juppiter altam;
Attamen hæſiſſem lateri fidiſſimus unus
Uſque tuo, quaſcumque oras tecum ire paratus.
Ipſe ego prima viæ tentare pericula poſſem,
Perque nives altas veſtigia figere primus,
Quæ tuto mox tu quires ſervare ſequendo.
I tamen, & magnis de rebus comminus altos
Pro patria intrepide reges affare, decuſque
Tutare Italiæ, libertatemque tuorum,

Teque

Teque adeo egregiis clarum fer ad æthera factis.
Interea ſolis agitans in montibus ævum
Infelix ægrum Muſis ſolabor amorem,
Si te abſente tamen venient ad carmina Muſæ,
Nec mihi longe abiit tecum irrevocatus Apollo.
Nempe canam ſemper Medycum facta ampla tuorum,
Præclaræ decora alta domus, qua ſoſpite numquam
Italiam amiſſam, libertatemque fatebor,
Fata licet ſemper cœptis ingentibus obſtent,
Atque ideo Leo mortales modo liquerit auras
Ereptus mediis (ſic dii voluere) triumphis.
Invidit libertatem fors læva ruenti
Italiæ, invidit partum decus. omnis in illo
Spes pæne exſtincta, & moriens ſecum omnia vertit.
Tu tamen interea tanto, Giberte, dolori,
Tam juſto parce o gemitu, & mortalia tecum
Verſa animo, cautuſque viæ te crede periclis,
Nec tibi tam vilis vitæ ſit facta cupido.
Forſitan & ſiqua eſt benefactis gratia, & uſquam
Præmia ſunt laudi ſua, reges advena amicos
Invenies, tua magna quibus notiſſima virtus.
Ne tamen o dulcem Auſoniam regionibus ullis
Poſthabeas, caram neve obliviſcere Romam.
Rumpe moras omnes, & caris reddere amicis.
Ipſe tuum exſpectans reditum, his in montibus aras
Muneribus cumulo magnis, Nymphaſque precatus
Omnibus intacto voveo de flore coronas.
O illum mihi ſi concedant cernere amica
Aſtra diem, quum tu extremis mihi redditus oris
Narrabis moreſque hominum, diverſa locorumque

Ingenia, atque exhauſta viæ quæcumque pericla!
Si vero ante tuos reditus me corpore fata
Exſolvent iſto, fert ut præſaga mihi mens,
Dum deſiderio, magnoque abſentis amore
Tabeſcens, longum nequeo perferre dolorem,
Tecum erit hæc anima, & paſſim te amica ſequetur
Perque nives altas, perque aſpera frigora Rheni.
Sic ſaltem tua me tunc cernere facta juvabit.
Tu demum rediens noſtrum ſi forte ſepulcrum
Aſpicies, præter penitus non immemor ibis.
Non lacrimas (neque enim tanti mea funera) poſco.
Mi ſat erit, tacito tecum ſi pectore dices:
Et noſtri non eſt expers hic pulvis amoris.
Tum mihi terra levis, placida tum in morte quieſcam.

V.

GELELMI VIDÆ ET LEONÆ OSCASALÆ *PARENTUM MANIBUS.*

HIc tamen umbroſum nactus nemus, hic loca ſola,
Ne mea quis carpſit nimium lamenta ſeverus,
Et nimium teneros fletus irriſerit aſper,
Mecum indulgebo luctu ſub Tuſculo alto,
Et lacrimis oculos explebo, & pectora planctu.
Luce querar, noctemque meis ploratibus addam.
Quod ſolum reputans præſaga mente verebar,
Unde meis poſſet fortuna illudere rebus,
Accidit. Acta ratis prope jam mea tuta tenebat
Tot pelagi e ſcopulis victrix, portuque ſubibat.
Non ego Palladias nequicquam induſtrius artes
Tentaram. abſtruſas jam rerum accedere cauſſas,
Jam poteram varios cæli deprendere motus,

Et

Digitized by Google

Et liquidos radio mundi deſcribere tractus.
Jamque canebam animis ſuperans, audaxque juventa,
Quæ nulli cecinere. Leo jam carmina noſtra
Ipſe libens relegebat. ego illi carus, & auctus
Muneribuſque, opibuſque, & honoribus inſignitus.
Omnia erant mihi læta. animo nihil amplius ultra
Optabam. cunctis ſat erat factum undique votis,
Et digito cæli contingere ſumma videbar.
Ecce repente autem ſtridens inſibilat Eurus,
Æquora turbantur, portuque avellor ab ipſo.
Ecce repente ruens mihi acerbus vulnerat aures
Nuntius, atque ambos docet amiſiſſe parentes,
Ante quidem genitorem, ægram ſubito inde parentem.
Fulmine quo duplici afflatus jaceo. omnis abit mens,
Omnis & exanimi fugit de corpore ſenſus.
Heu genitor mihi ademte, repens, heu mater ademta!
Non ego vos poſthac, non amplius ora videbo
Cara. ſemel ſaltem ah licuiſſet utrumque tueri
Ante obitus, veſtraque oculos ſaturare figura,
Congreſſuque frui, farique noviſſima verba.
Ah dolor! ah pietas! non flens morientia preſſi
Lumina: funereum non ſum comitatus honorem.
Non potui veſtro vobis in tempore adeſſe
Gratus luce magis, vita jucundior ipſa.
Non potui vobis ſpectabilis affulſiſſe,
Quum mihi mutato curſu fortuna veniret
Lætior, & numquam optatos afferret honores,
Quos adii veſtri tantum memor, haud mihi parcens,
Cui placitam Muſis potius traducere vitam
Fixum erat, atque humilem rerum altas diſcere cauſſas.

Vobis

Digitized by Google

Vobis conſpicuos unis ingreſſus honores
Subdere colla jugo potui male ſueta, manuſque
Victus ſponte dedi, haud onus averſatus iniquum;
Quæ mihi cuncta olim (tibi enim commercia divûm)
Prædixti toties, venturi præſcia mater.
Vos unos agitabam animo, veſtraque fruebar
Lætitia exſultans, & gaudia veſtra fovebam,
Mecum animo verſans, quam vobis illa futura
Læta dies qua me veſtris amplexibus urgens
Irruerem improviſus ad oſcula, vix bene utrique
Agnitus, inſolitis titulis, & honoribus auctus
Scilicet, & longo tandem poſt tempore viſus,
Dum tenuit me Roma, humili vos ſede Cremona.
Una erat hæc merces tantorum digna laborum.
Mens erat in gremiis ſtudio jacere omnia veſtris
Parta meo, & tantum veſtros exponere in uſus,
Ut fuerat par. vos claras me ſcilicet artes,
Re licet anguſta, potius voluiſtis adire,
Quam genere indignis ſtudiis incumbere noſtro.
Atque ideo doctas docilem miſiſtis ad urbes,
Quamvis in noſtris luſiſſet lubrica rebus
Jampridem fortuna, & opes vertiſſet avitas,
Et res fluxa alias potius revocaret ad artes.
Quicquid opum hinc, quicquid nobis acceſſit honorum,
Veſtrum eſt jure. fuiſſet ſat mihi cernere coram
Lætos, atque meis gaudere laboribus ambos;
Ut volucrem perhibent inimicam ſontibus hydris,
Eſſe piam, memoremque parentibus indulgere,
Invalidiſque ſuo venatu tendere vitam.
In tota nihil eſſe domo me dulce fuiſſet,

Digitized by Google

Et nutus ſervare, & juſſa capeſſere veſtra
Subjectum, ac poſitis famulari faſcibus ultro.
Nil umquam niſi quæ veſtris placitura fuiſſent
Auribus, effari potuiſſem. ſæpe ego ficto
Triſtia celaſsem mentitus gaudia vultu,
Ne vos afficeret, ſiquid me carperet intus.
Quicquid amarum, in me latuiſset, quicquid acerbum.
Ad vos arte pia tranſiſsent dulcia tantum.
Tædia me veſtræ cepiſsent nulla ſenectæ:
Nec quæ multa ſolent vitia, atque incommoda in illa
Eſse ætate, meos poterant avertere ſenſus.
Quum ſpueret veſtrûm alteruter gravis, exque crearet
Plurimus, & rauca conſpergeret omnia tuſſi,
Nulla horreſcentis vultu aſper ſigna dediſsem,
Cuncta ferens; vos ætatis namque ante tuliſtis
Plura immunda meæ, quum cultus neſcius infans
Fœdarem toties in cunis humida ſtrata.
Siqua autem vobis caſsa, atque incondita verba
Exciderent, quando rerum illa eſt immemor ætas,
Riderem mecum. omnia pro puerilibus eſsent
Luſibus illa mihi, ceu vos riſiſtis & ipſi
Ad teneros luſus nati, imperfectaque verba,
Quum primas vix inciperem rudis edere voces.
Et quando mihi relligio ſobolem abnuit, ambo
Cara fuiſsetis mihi pignora, dulcis uterque
Ceu puer, in noſtra qui parvus luderet aula.
Cuncta, utcumque forent, mihi dulcia veſtra fuiſsent.
Infelix, caris quicumque parentibus audet
Dura loqui, aut aliud furiis immanius actus
Moliri. extremas in mundi protinus oras

Fer-

Ferte nefas. noſtro nuſquam memoretur in orbe.
Quod mare, quæ tellus portentum tale feretis?
Ferte procul nulla umquam relligione piandum.
Scilicet iis per quos jucunda luce fruaris,
Lucem adimas ingratus, & almi luminis uſum
Eripias per quos almum tibi lumen obortum eſt?
Ah mihi ne tantum ſit credere. barbara corda
Vix capiunt Grajis per ludum inventa poetis;
In gnatos quum tantus amor, quum tanta parentum
Sit pietas, quibus ut proferrent fata, ſubirent
Ipſi mille neces, nec quicquam eſt dulce peremtis
Pignoribus. mœrent orbi, vitamque morantur
Inviſam nil debentes cæleſtibus auris.
Icciro, ut duram natis avertere poſſint
Pauperiem, miſeramque famem, tot adire labores
Cernimus, & certis ultro ſe offerre periclis.
Non me adeo fugit, quantis, pater optime, curis
Anxius, aut quanto indulgebas ſponte labori,
Ut mihi res tenues per tot diſcrimina rerum
Eriperes tantis bellorum fluctibus, ut nil
Detractum, licet irent tempora dura, periret.
Tu quoque, ſancta parens, variis exercita curis
Pro gnato quas non aras, quæ non ſacra adibas
Templa? quibus non tunc onerabas æthera votis,
Caro cuncta timens capiti, bona cuncta precata?
Ut mihi ad ingenuas nitenti deſuper artes
Auxilium foret, & favor omnipotentis olympi,
Et fors uſque comes creſcenti innexa veniret
Virtuti, quæ nos ad opes efferret avitas.
Præcipue mihi ne maculæ ob contagia turpes,

Aut animi peſtes, commerciave ulla nocerent:
Sed mihi mens puro foret uſque in corpore pura,
Ductaque ad extremum inculpata adoleſceret ætas,
Omnibus ornatum dum vis excellere rebus.
Quæ vobis meritis pro tantis mutua contra
Perſolvam infelix? quæ vobis digna rependam?
Quum mihi ſint & opes, animus quoque, & ampla voluntas,
Idque unum affectarem. aſt o mortalia numquam
Gaudia plena ſatis! numquam ſecura voluptas!
Aut aliquid cumulo ſemper deeſt; aut revocat ſe
Fors infida repente, oculoſque avertit amicos.
Fallaces hominum ſpes! heu noſtra irrita vota!
Nil firmum ſatis, aut ſtabili munimine tutum.
Omnia in humanis rebus dubia: omnia nutant.
Vos mihi, læta forent quum cætera, fata tulerunt,
Queis ſine dulce mihi nihil eſt, nec amabile quicquam.
Accipite has ſaltem lacrimas, hæc carmina mœſta,
Quæ longum nati abſentis teſtentur amorem.
Salvete æternum, cari, atque valete, parentes.
Vida Gelelme, vale. vale, Oſcaſala Leona.
Sit precor o vobis requies æterna ſepultis,
Sit lux, quæ veſtris æternum affulgeat umbris.

VI.

CLEMENTI VII. PONT. MAX.

Clemens iniquis temporibus date,
Tu ſemper alto pectore maxima
Verſas, & urgeris regendo
Sollicitis ſuper orbe curis.
Clades receptæ nunc etiam tibi
Fruſtra recurſant, nec requieſcere

Sinunt

Sinunt moleſtæ, dum peritus
Mente caves vigili in futurum.
Quieſce tandem, & cunctá videntibus
Hæc linque divis. vive, nec omnibus
Angare defraudans querentem
Uſque adeo genium diebus.
Res ipſe ſummus cælicolûm arbiter
Noſtras profundo Numine temperat,
Cauſſiſque cauſsas uſque nectit
Perpetua in ſeriem catena,
Quam nulla poſſit vis hominum, aut deûm
Loco movere. hinc dura neceſſitas
Illa illa non æquos labores,
Aut homini bona fert inemta.
An tu illa noſtris quæ modo vidimus
Bacchata terris, bella, tot urbium
Graves ruinas, tot virorum
Funera, perpetuaſque clades,
Præſente quamvis conſilio potens,
Solo Latino avertere quiveris?
Deique decretum refringas
Duro adamante tot ante ſeclis
Inciſum? avorum hæc parturiit ſcelus.
Delicta patrum his nos agitant malis
Noſtro & merentes crimine: illi hæc
Semina poſt obitus relinquunt.
Tu morte pejus, militiæ ſciens,
Bellum horruiſti ſemper, & aleam
Periculoſam, pace certus
Cuncta pati potius manente.

Te bella circum te tamen undique
Venere (inevitabile erat malum)
Longeque deductæ haud volentem his
Motibus implicuere cauſsæ.
Pejora multo nunc quoque plurima
Nobis minantur ſidera, ni Deus
Ille ipſe placatus reflectat
Conſilia in melius ſevera.
Orandus ille eſt. ipſe potens enim
Unus morari quæ properant, mala,
Soluſque, quam præfixit olim,
Ipſe poteſt abolere legem.
Noſtris rogatus forſitan annuet
Votis. ab alto plurimus æthere
In noſtra dilapſus benigno
Pectora Numine ſe refundet.
Sed ante mens eſt cuique latentibus
Purganda morbis. ſunt quoque luridi
Mores retractandi, nec ultra
Progrediendum iter inſtitutum.
Tu ſacra vero, tu, pater, ut decet,
Tractabis, aris præficiens bonos,
Proculque ſacris inquinatum
Vulgus honoribus amovebis.

VII.

PACI.

PAx alma, dulce ubique nomen gentibus,
Inter deos pulcherrima
Pulcherrimos, quam me tui exſpectatio
Torquet morantis ah nimis!

Tuum

Tuumne, diva, vivus adventum amplius,
Tempus videbone aureum?
Umquamne erit, mundum his tenebris obſitum
Tuo ut ſerenes lumine?
Quando expetentem me, dea, ſpe id irrita
Tanto beabis munere?
Vereor, laborioſa ne longe prius
Vincat ſenectus languidum,
Quam rurſus urbes divites conviviis
Ludiſque diſtinerier,
Quam rura videam cantibus lætiſſimis
Omni ſonare ab angulo,
Uniſque ventorum duellis æquora
Metuenda, non Martis dolis.
Ut omne telum pereat, ut chalybum genus
Haud nominetur amplius.
Ut regum avarities, & ambitio impotens
Sepulta ſit ſub æquore.
Abſente te, vix uberes alunt agri
Numquam colonum deſidem:
Præſente vero, nuda ſaxa qui colit,
Vel dormiens bonis fluit.
Tu grata Muſis, tu in foro verſantibus
Places, & urbi præſides.
Tu merce tranſmarina opes parantibus
Voto invocaris publico.
Te divites, te ubique pauperum greges
Laborioſi prædicant.
Tibi viri, tibi pudicæ mulieres
Prægeſtientes ſupplicant.

Tui

Tui ſenes, tui pueri amantiſſimi,
Tui omnis ætas appetens.
Tu, ſiquid eſt mortalibus boni uſpiam,
Id una nobis comparas.
Tu ſanitatem gentibus, ſacraque, & opes,
Et victum, & annonam, & merum,
Securitatem, literas, & otium,
Et nuptias, & liberos,
Vitamque tandem affers amica cantibus,
Adverſa vero luctibus.
Tui ſimul Mars hauſerit pedis ſonum,
Faceſſet hinc celerrimus.
Simul quieſcent furta, cædes, vulnera,
Strages, ruinæ, incendia,
Tot orbitates, liberorum tot ſtupra,
Crebrique raptus virginum.
Nec audietur amplius clangor tubæ
Viros cientis ad necem,
Juvenemque vellentis tenello ab conjugis
Gremio metu inſperſum genas.
Quæ, pluraque viri ſi viderent principes
Quum bella initio cogitant,
Vel abſtinerent, vel quibuſvis ponerent
Mox cœpta conditionibus,
Neque eos libido, neque adeo ageret gloria,
Ut perderent cæci omnia.
Iſtis ſi ego ab malis procul tandem abſiem
Tranquillitati redditus,
Videamque pendentes acervos arduis
Scutorum ubique poſtibus,

Ara-

Araneorum fila quos obduxerint
  Nigros vetuſto in pulvere;
Enſeſque rurſus, ferreaſque cuſpides
  In vomerem conflarier;
Vitam haud recuſem pauperem traducere
  Fodiens agrum incurvus manu.
Saltem animus ablatis mihi his terroribus
  Quieſceret liberrimus.
Poſſem laborem verſibus ſolarier
  Cinctus olea canum caput.
Et nocte pauculos revolverem libros,
  Vel imbre detentus die.
O diva largitrix bonorum una omnium,
  Quo te vocabo nomine?
Quibus te honeſtis efferam præconiis?
  Dignum unde te verbum exprimam?
Opulenta, ſalve. jam recurre huc, aurea,
  Et nos tuo vultu bea.

VIII.

TELLURI.

HAs tibi, terra, fabas, Albæ contermina muris,
  Dat Vida. in facili tu bona conde ſinu.
Has ferit eſuriem populi miſeratus egentis,
  Pallida dum capta ſævit in urbe fames.
Hoc jejuna famem ſolari turba paratu,
  Et teneras poterit carpere dente fabas.
Ille ſua aſpectans campum ſublimis ab aula
  Concipiet dulcem pectore lætitiam.
Hos legere, hos lectis veſci, prædamque virentem
  Vectam humero aſpiciet ferre domum ſaturos.

Quam juvet his ſua vaſtari populatibus arva,
Et meſſes condi in horrea viva ſuas!
Tu, bona, tu interea, tellus, ne deſice jactis
Seminibus; nuſquam ſit prior ulla ſeges.

IX.

SCIPIONI VEGIO MEDICO.

PHOEBO alius voti reus, herbarumque potenti
Tura ferat nato, ſacraſque exſuſcitet aras:
Ipſe, meis, Vegi, ſemper celebrabere donis,
Semper honore meo; te numinis inſtar habebo.
Ipſe ſuas artes ultro, ſua munera Apollo
Conceſſit tibi, nec primos habet alter honores,
Tu revocare animas in lucem corpore functas
Faucibus ex Orci, atque hominum producere fata,
Tu potes in media cymbam Styge ſiſtere onuſtam,
Et vetitam nautæ ſeniori avertere prædam.
Quicquid ero poſthac, quicquid mea cura laborum,
Atque operum tentabit, erit, Vegi optime, munus
Artis, opiſque tuæ. tua me ſolertia vitæ
Reddidit in medio jactatum vortice leti.
Stabam indeprenſo conſumtus languida morbo
Membra. lues penitus totos exederat artus.
Circum aderant omnes ægræ, mea lumina, Muſæ,
Atque mihi inceptam miſeri ſolatia leti
Tendebant fruſtra palmarum e fronde coronam,
Quam mihi Idumæo ſub vertice feſtinarant,
Dum canerem unigenæ crudelia funera regis.
Hic mea inexcitus tu limina ſponte ſubîſti:
Ipſa ſalus tecum pariter mihi viſa ſubîſſe.
Ut vidi, ut penitus fugit de corpore languor,

At-

Atque ſuum rediit membris in priſtina robur!
Quo tibi, quas potero, tanto pro munere grates
Semper agam. & tibi nunc, utcumque, hæc carmina pango.
Tu vero exigui munus ne deſpice amici,
Et ſervaſſe pium non dedignabere vatem
Tot titulos inter, procerum poſt nomina tanta,
Pæoniis quos tu ſuccis a morte reduxti.
Nec me poſt ipſos pigeat ſubnectere reges
Servatos. non me tibi gloria ſoſpite nulla eſt.
Si mihi opes, regumque genus læva aſtra negarunt
Naſcenti, at mihi caſta domus, ſine labe penates,
Eſt animus qui vincat opes, regumque coronas,
Contemtu rerum, rectique inſignis amore.
Forſitan ii merito tibi debita præmia ſolvent
Aurum ingens, gemmaſque, & latis prædia fundis:
Ipſe ego nil horum. ſed, dum mihi vita manebit,
Te, munuſque tuum memor imo in pectore condens,
Servabo uſque recens, nulloque abolebitur ævo.
Præterea, ſiquid poterunt quoque carmina noſtra,
Quicquid agam, quicquid Muſis ſuadentibus edam,
Semper eris mecum tentati muneris auctor.
Auſpice te juvet incepto me carmine regem
Cælicolûm canere, & Muſas ſuper aſtra vocare,
Atque inter divûm ſit dulce ſeneſcere laudes.
Te ſine nulla meis accedet gloria cœptis.

X.

ROMA DISCEDENS.

ROMA, vale. tibi debeo plurima, quod mihi per te
Partum eſt ingenuis artibus, unde habeam,

Nec jam egeam addictus nulli. mihi id eſt ſatis abs te.
Cætera, quæ poteras mi dare, linquo aliis;
Pluſque meis oculis abſens te ſemper amabo,
Et procul, ut colimus numina ſancta, colam.

XI.

IN QUEMDAM.

CARMINE quid carpis qui numquam carmine lædit,
Cui numeri inſontes, & ſine felle placent?
Unum id te cruciat, quod vulgi a moribus abſim,
Hincque meis tendis moribus inſidias,
Meque remordentem cuperes tua cernere contra.
Numquam hoc efficies. candida Muſa mea eſt.

XII.

IN CŒNACULO VILLÆ SUÆ RONCIANÆ.

HOSPES, ſi olus, dapeſque incmtas non piget
Cœnare mecum, accumbe, perſonam exue.
Natura, diſces, quantuli indigeat cibi,
Ne tranſmarinis ſit opus apparatibus.

F I N I S.

QUÆ VIDA *agnovit, exploratàque habuit, ſua huc omnia ipſe dè ſcrinio ſuo depromta adhuc vivens congeſſit. Siquid forte præterea ullo umquam tempore adjectum fuerit, adulterinum cenſeto, ab aliquo aut maligno, aut in re aliena nimis officioſo, ac diligente adinventum; quod de Poeticis tantum dictum volo. Nam quæ ſoluta oratione ad* CHRISTI *rem ſpectantia idem auctor conſcripſit, propediem ſe itidem ſuperſtitem ſoſpitemque in lucem editurum ſperat* DEO OPT. MAX. *approbante, atque juvante; cui uni ſe, ſuaque omnia addixit, ac conſecravit.*

ERU-

ERUDITE LECTOR,

Quatuor quæ hic tibi exhibemus ΠΟΙΗΜΑΤΙΑ, VIDA *noſter ineunte ætate conſcripſerat; ſed poſtea, natu jam grandis, ut erat acri & ſevero judicio, abdicavit. quod facile colligi poteſt ex iis quæ ipſe lectoribus edicit pagina ſuperiore. Ne tamen deſiderarentur, utque cætera, eorum collatione, magis eniteſcerent, ea, extra ordinem, & numerum, in hunc locum rejecimus; præſertim quod typis impreſſa, partim etiam cælo ſculpta alicubi leguntur; neque propterea nos aut malignos, aut in re aliena nimis officioſos, ac diligentes appellatum iri exiſtimamus.*

*EX CORYCIANIS, fol. K.

HEus, qui non bene cognita ſtupes re,
Tam pulchras ſtatuas, & elegantes
Miratus; pietas eas ſacravit
Docti Corycii atque liberalis.
Poſthac, ſi ſapis, obſtupere noli;
Nam quando artifice has manu expolibat
Sculptor nobilis in loco remoto,
Se ſe illi penitus piæ parentes
Atque infans, Erebi futurus horror,
Oſtendére globo ſimul ſub uno.
Sic nos, ſic, faber, inquiunt, referto.
Qui formas animo altius recondens,
Divina hoc animavit arte ſaxum.
Ipſe hoc ſe negat artifex negare.
Cerne, ut blandulus in ſinu parentis
Alludat puer, & decens puella
Dulci cum gravitate blandiatur:
Ut jucunda anus, ut ſerenet ora
Lætabunda ſenecta geſtiendo.
Quid pro iſta, rogo, liberalitate,

Et

* Hunc titulum præfert Libellus quidam iuventu difficilis, in quo continentur Latina carmina multorum poetarum, temporibus Leonis X. Pont. Max. florentium, in ſacellum quoddam a Sanſovino, ſumtibus Jani Corycii ædificatum, tribuſque egregiis ſimulacris marmoreis, nempe D. ANNÆ, D. MARIÆ VIRGINIS, & JESU CHRISTI nobilitatum. Eum Libellum excuderunt Romæ Ludovicus Vicentinus, & Lautitius Peruſinus 1524. 8. ch. maj.

Et rara pietate comprecentur,
Coryci, tibi Romuli nepotes?
Qui cæli ſuperos ab arce ducis.
Ipſi dent ſuperi bonam ſenectam,
Et longam, atque minus laborioſam, &
Quicquid eſt abigant periculorum:
Mox componere leniter gravatos
Leto, dent placido ſopore ocellos;
Admittantque animam choris piorum
Sanctam, ne timeat feri triſaucem
Latratum canis, aut lacus ſeveros.
Ipſi aſtent tumulo Remi nepotes,
Atque optent cineri tuo quietem.
Dent caſtæ teneras roſas puellæ,
Et ſpicam manibus piis Ciliſſam,
Et rorem Idalium, Syroſque odores:
Addant lacrimulam udulo ex ocello,
Ac ſuſpiria molliter trahentes,
Et ſecum bona verba murmurantes,
Dicant ſæpius, uſque, & uſque, & uſque
Cultor Corycius fuit deorum.
Atque ultro lacrimas Simonidæas
Ad buſtum repetant pii poetæ,
Quales nunc habet urbs potens Quirini,
Docti ſcilicet, & bene eruditi,
Urbis deliciæquæ, floſculique;
Qui te dum meritum evehunt ad aſtra,
Videntur mihi maximi Marones.

GENIUS FALCONIS VILLÆ.

Ibidem fol. HH 3.

HUc hoſpes veniens diverſis partibus orbis
Tam ſubitum miratur opus, congeſtaque ſaxa,
Rupibus excifas attolli ad ſidera moles,
Artificumque manus doctas, variumque laborem.
Et merito. quis enim cernens poſituſque locorum,
Silvarumque comas virides, largaſque perennis
Fontis opes, cælumque habili regione benignum,
Non credat, his ſæpe deos, regemque deorum
Sidereas mutare domos, cæli aurea templa?

For-

Digitized by Google

Fortunata loci ſedes! tua gloria ſemper
Vivet, & æternum laudabunt ſæcula nomen.
Egregii proceres te te undique ſæpe frequentem,
Et tua purpurei dignantur limina reges.
Fortunata bonis multis, ſedeſque beata!
Non tamen hoc umquam mihi eris felicior uno,
Quod tua, Caſtalidum pater hortatorque ſororum,
Corycius nuper dignatus viſere tecta eſt.
Nam quis te, atque tuæ egregios virtutis honores,
Fortunate ſenex, ſperet ſe æquare canendo?
Vos, circumfuſi, mecum, vos carmina, montes,
Jungite; vos, Nymphæ Tiberinides, addite mentem.
Hic ſiquidem veſtro puer olim illectus amore,
Quum vix prima genas veſtiret flore juventa,
Egelidi licet & Rheni nutritus ad undas,
Italiam petiit; neque enim Germania (quamvis
Bellipotens, & opum longe ditiſſima) tale
Ingenium capiebat: at hoc tibi, maxima, jam tum,
Roma, decus Phœbuſque pater, Muſæque ſacrarunt.
Scilicet, ut foret is longo poſt tempore vatum
Præſidium, cujus certatim ad ſidera laudes
Æternum canerent; toto & fulgeret in orbe
Corycii lux inſignis, velut auricomus Sol
Nigrantes inter nebulas, atque aera denſum.
Nam quis juſtitiæ cultor magis, atque ſeverus
Interpres juris liquidi, fautorque clientum?
Illius haud fruſtra matres, inopeſque puellæ
Auxilium implorant, puerique parentibus orbi.
Omnibus hic reſponſa canit, ceu Pythia quondam
Fatidico vates Bacchi ſtimulata furore.
Limineque illius nemo inconſultus abivit.
Ille etiam Divûm effigies pietate ſacravit
Inſigni, victumque ſacris dedit uſque miniſtris,
Vaſaque, veſteſque, æternos quoque lampadis ignes.
Quid referam, ut priſca obſervet monumenta Quiritum,
Signaque? & albenti ductos de marmore vultus,
Et nobis veterum effigies det cernere avorum?
Non ille aut faſtu, aut aura tumefactus inani
Pontificum (quamvis jam nunc ſub quinque, libellis
Supplicibus præſit) ſummos affectat honores,
Purpurei ſuperans animo decora alta galeri;

Verum

Digitized by Google

Verum inter Muſas, & dulces lætus amicos
Otia agit, ſiquando vacat, legeſque quieſcunt.
Trajanique foro, & Tarpejæ proximus arci
Excipit & vates, & egregios heroas,
Quos menſis epuliſque omnes dignatur opimis,
Auricomas inter citros, quas ordine ſevit
Ipſe labore ſuo, putealique irrigat unda,
Præcipue quum Sol referens ANNALIA vertit,
Et fervet rediens inſano Julius æſtu.
Oceani at potius fluctus, & ſidera cæli
Enumerare queam, quando intempeſta tacet nox,
Tangere quam laudum faſtigia ſumma tuarum.
Tu tamen o, quamvis menſis aſſuetus opimis
Pontificum, contemnere opes, & vivere parvo
Aude, hoſpes, rebuſque veni non aſper egenis.
Ipſe etiam ſiquidem domitor Lernæque, Erymanthique
Hoſpitis Alcides dignatus rura Molorchi.

* *Epigramma inſcriptum tumulo* PAULI ALÆ, *Patricii Cremonenſis ampliſſimi, & Senatoris Mediolani.*

HAs quoque, Paule, roſas, varios hos accipe flores,
  Quos mœſti carum ſpargimus ad tumulum.
Sic humus æternis tibi vernet circum amaranthis,
  Sic tibi perpetuos halet & aura crocos.
Salvete, illuſtres manes, vobiſque perennis
  Sit ſine fine quies, ſit ſine nocte dies.

LE-

* Ex pag. 230. Tom. II. Cremonæ Literatæ V. Cl. Franciſci Ariſii, ubi agitur de Paulo Ala.

LECTORI BENEVOLO.

Hymnum qui ſequitur, Diis Cælitibus VIDA *cecinit, ut Henricum VIII. Angliæ regem filiolo augere vellent; nondum enim ea tempeſtate rex ille miſerrimus ab Eccleſiæ Catholicæ communione, aut a majorum ſuorum religione turpiter deſciverat; quod poſtea Annæ Bolenæ amoribus irretitus, Dei timore prorſus abjecto, & pudore omni contemto, facere non dubitavit; immo pietatem adeo colebat, ut etiam librum * compoſuerit, quem inſcripſit* Aſſertionem ſeptem Sacramentorum adverſus Martinum Lutherum, ad Leonem X. Pont. Max. *qui liber editus Antuerpiæ* 1522. *in ædibus Michaelis Hillenii in* 4. *& Pariſiis apud Sebaſtianum Nivellium* 1562. *in* 16. *cum aliis ejuſdem Henrici regis ad Catholicam religionem ſpectantibus, apud nos exſtat: & legitur etiam in Bibliotheca Rocaberti tomo XIII. pag.* 210.

Experientia igitur docemur, aureum eſſe monitum illud Eccleſiaſtici c. 11. *v.* 30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam; *cui monito ſi ſcriptores auſcultarent, non tam ſæpe illos eorum quæ ſcripſiſſent, pœniteret, neque adulatorum tam vilis annona eſſet.*

Ex editione Veneta apud Melchiorem Seſſam anni 1538. in 8. p. 317. & ex Lugdunenſi apud Seb. Gryphium an. 1541. in 8. pag. 339.

DIIS CÆLITIBUS.

QUI cæli colitis domos,
Dii, poſt funera lucidas,
Laudi ſi ſua præmia
Sunt hic pro benefactis;
Henrici accipite inclyta
Regis dona ter optimi.
Mœrentem aſpicite, aurea
Ejus pro pietate.
Hic aras opibus quibus
Veſtras cumque poteſt, juvat,
Nec veſtrum decus impiger
Solis protegit armis.
Lingua dimicat acrius,
Novis dum rationibus
Doctus ſacrilegos premit
In vos ore furentes.
Quis umquam fuit, aut erit,
Qui regi meritis tot huic,
Tot virtutibus enitens
Compararier auſit?
Huic omnes igitur, boni,
Quod optat date, cælites.
Hunc (nam cætera ſuppetũt)
Prole augete virili.
Tantum ſit procul orbitas.
Sit cui læta Britannia
Poſt hunc pareat ultimas
Ad uſque Oceani oras.

* In cujus libri exemplo Leoni X. Pont. Max. a ſe miſſo hoc diſtichon Henricus ſua manu exaravit:

Anglorum Rex Henricus, Leo Decime, mittit
Hoc opus, & fidei teſtem, & amicitiæ.

CARMINA
AD M. HIERONYMUM VIDAM,
ET DE EODEM.

Joannes Aurelius Augurellus ad M. Hieronymum Vidam P. Cremonenſem.

Eſſe ferunt collem Phœbo Muſiſque dicatum,
Quo cuncti pariter certant contendere vates,
Atque ſacrum approperant illuc haurire liquorem:
Perpetuamque virere putant in vertice laurum,
Unde queant caput optata vincire corona.
Cernere propterea eſt nonnullos montis ad imam
Radicem ſe ferre, & ſub radice morantes
Conterere hic ævi partem melioris; ut alta
Qui ſpectare procul contenti culmina, ſi quid
Divini laticis valeant contingere ſummo
Tantum ore; aut ramis felicibus arboris almæ
Sorte aliqua frondes ullas legiſſe cadentes.
Sunt etiam, ut referunt, & qui reptare laborant
Ad mediæ ſeptum magno conamine rupis;
Intra quod pauci ſic admittuntur, ut unus
Hiſce locis alterve queat ſatis eſſe videri.
Quid qui infra poſitos auſus contemnere, ſe ſe
Tollit, & in ſummo ſcandentem vertice ſiſtit?
Atque inter lauros, atque ipſa ad limina fontis
Conſtituit Muſis aram Phœboque ſacerdos:
Affaturque illic divos, auditque, videtque
Felix? O mihi ſi ſaltem in convalle propinqua
Verſari detur! quid fortunatius optem?
Atque id nunc operam do; quo me demere vulgo
Aſſueſcam, mediterque procul divina tueri.
Namque ultra proferre pedem tardante ſenecta
Haud auſim; ſatis eſt quoniam, ſi non pede claudo
Inferimur lutulenta atque in ſalebroſa viarum;
Qua multi e priſcis etiam venere volentes.
Tu vero, cui Seriades ſe oſtendere Nymphæ
Dignatæ, quacumque duces comiteſque dedere,

Per-

Digitized by Google

Perge: juvetque jugi jam perveniſſe ſub alta
Culmina, dum vires; ac dum præſtante juventa,
VIDA, *potes quemcumque & adire, & ferre laborem.*
Namque illic quodcumque agitas, animoque revolvis,
Præſto erit, & tibi ſe manifeſto in lumine pandet.
Ni penitus vanæ modo me luſere puellæ
Pierides, miris e nexibus extricantes,
Quum tibi eas docta fingentes ſerica vidi
Fila manu properare, atque internectere; queis ſe
Implicet, atque volens pergat circumdare BOMBYX.
Quin oriturum etiam VATEM *committere alendum,*
Formandumque tibi vidi illas omine certo;
Quum ter te attonitum duxere altaria circum,
Atque eadem ternis etiam cinxere choreis;
Actutumque tribus fulſerunt omnia flammis.
Præterea ludos, belli ſimulacra, cientes
Edocuere modo quo grate dicere poſſes:
Tum vero Martis ſtrepitus, & ſigna, tubaſque
Audire, atque videre, interque horrentia ferri
Agmina conceſſere; ac pleno ferre per orbem
Æquato quondam certamine prœlia cantu.
Quare age, perpetuum, primaque ab origine Carmen
Audacter, quod mente diu jam concipis, ede.
Ut ſcelus infandum gens auſa eſt impia quondam
Cunctarum adverſus rerum Patremque Deumque:
Optima quem totiens adeo mandata docentem
Audierant avidi: videre & mira frequenter
Ac paſſim peragentem, & non mortalia quoquam
Præſtantem; at prorſus præ ſe divina ferentem.
Namque palam hauſerunt oculis, atque auribus ipſi,
Ut primum in terris vagitus protulit infans
Maximus, eſſe Deum, qui nos inviſeret alto
Demiſſus cælo; quum ſupra vilia tecta,
Sub quibus in parvis jacuit præſepibus ille,
Videre inſolitum radiis fulgentibus aſtrum;
Cæleſteſque etiam ſupra ſenſere canentes:
Et flexis illum genibus venerantia bruta.
Ac reges pariter diverſo ex orbe ſequutos
Sideris exorti curſus, & dona ferentes.
Cætera quid memorem tota ſanctiſſima vita
Acta illi, confeſſa Deum & teſtantia ſolum?

Hæc te namque manent: hæc te tua ſubmonet ipſa
Relligio, cultuſque Dei, & præſtantia vitæ
Ordiri; atque ſuper favet his tibi conſcius æther;
Æternumque parat ventura in ſæcula nomen.
Ipſe autem, ſiquid me fors ea gratia tangit,
Exiguam tantorum operum vel ſumere partem
Conabor totis ornandam viribus: aut ſi
Invalidi nequeant humeri jam pondera ferre,
In promtos ſaltem affectus, & debita mentis
Munera deſcendens, lacrimis mox cuncta replebo,
Quo mihi cumque dabunt ſe ſe per carmina vires,
Ad fixas clavis plantas, ad pectus apertum,
Ad caput impreſſis confoſſum ſentibus almum.

BASILIUS ZANCHIUS Poematum lib. VII. p. 227.
In M. HIERONYMUM VIDAM.

VIDA *pater, cui ſe ipſa volens debere fatetur*
Gloria, & immenſum dædala texit opus,
Scribis quæ recinant patriæ prope flumina Nymphæ,
Nec cedant priſcis carmina temporibus.
Te ſilvæ, te rura colunt; te candida NICE,
DAPHNIS *& arguto cum* CORYDONE *canit.*
Nec SCHACCHIS, *nec clara ſilet tua nomina* BOMBYX,
Jamque novum VATEM *doctus ab arte facis.*
Mox plectro graviore ſonas præconia Divûm,
Condis & æternis carmina Cælitibus.
Parva loquor; dum bis genitum deducis olympo
Cælicolûm Regem, dum ſuper aſtra locas:
Cælicolæ applaudunt cantanti, arridet olympus,
Et tibi divini muneris aura favet.
Scilicet hæc tibi palma ſacris quæſita Camœnis,
Nobilis invictum tollit in aſtra caput.

JOSEPHI NIGRI ad M. HIERONYMUM VIDAM Cremonenſem Albæ Epiſcopum Epiſtola ex ejus carminibus, poſtliminio editis Cremonæ 1706. in 4. pag. 37.

Ite ſalutatum celebrem, mea carmina, VIDAM,
Quo licet, & quantum non vetat ire pudor.
Aonas in montes vobis Heliconaque ſacrum
*Sit via, qua clari Pegaſis *unda fluit.*

* *locus, ut videtur, corruptus.*

Hinc

Hinc collem, ſummique jugum conſcendite montis;
Hic habitat, ſedes hic habet ille ſuas.
Inter Pieridas teneris comitatus alumnis,
Vatibus in mediis conſpiciendus erit.
Quamvis ille gerat viridi ſacra tempora lauro
Cincta, coronatas fronde premente comas,
Cruraque puniceis, gravibuſque evincta cothurnis,
Quos gerit Euterpes munus, opuſque deæ;
Ne dubitate tamen; nam vos non reſpuet, immo
Excipiet læta fronte, libenſque leget.
Oſcula quum ſacræ dederitis debita dextræ,
Qua nos Pieria ducit ad aſtra via,
Scitantique meum, cupidoque agnoſcere nomen,
Dicite ſubmiſſo, ſubtenuique ſono:
Ille tui primum teneris venerator ab annis,
Qui tua ſubſequitur fida magiſteria,
Quique tuos inter, quamvis indignus, alumnos
Militat, unde ſibi nomen habere cupit,
Nos inculta tibi, nulloque reviſa magiſtro
Mittit ab externis, quos colit ipſe lares.
Quum ſit enim patria longe disjunctus ab urbe,
Nos jubet ipſius miſſa ſubire vicem.
Te tamen exorat, ne ſe juveniliter auſum
Corripias, etſi crimina noſtra patent.
Nam neque Caſtalios hauſit de fonte liquores,
Unde fluant tetricis carmina culta modis;
Nec nemus Aonium ſubiit florentibus herbis,
Unde illi impediant laurea ſerta caput:
Sed ſteriles inter ſilvas, humileſque paludes
Certat cum raucis ſtridulus anſeribus.
Ne tamen immerito tribuat ſibi nomen alumni,
Neu ſua ſit penitus Muſa ſine arte rudis,
Noctes, atque dies præcepta poetica verſat,
Quæ das venturis vatibus ipſe tuis.
Utque ſuum niteat cultu ſpectabile carmen,
Sæpe tuis furtum verſibus ille facit.
Quo fit, ut attribuat majeſtatemque decuſque
Verſibus incultis facta rapina ſuis.
Utque ſuum duret per ſecula carmen, in illo
Inſerit æternum nomen ubique tuum.

Tu

Digitized by Google

Tu tamen haud dubites, ut lucis, & indiga famæ
Inficiat titulos ruſtica Muſa tuos.
Luſtrat equis Phaeton turpi loca lurida limo,
Nec lux eſt radiis decolor ipſa ſuis.
Sic tua non ideo minuetur fama, tuumque
Nomen honoratum, quod ſuper aſtra volat.
Nam prius Eridani retro vada lapſa recurrent,
Seculaque extremum ſunt obitura diem,
Quam tua poſteritas taceat præconia famæ,
Aut tua Lethœis nomina dentur aquis.

FRANCISCUS VINTHA Carminum liber II. ad M. HIERONYMUM VIDAM Epiſcopum.

Non audent numeris meæ Camœnæ
Ornatæ minus, & minus venuſtæ,
VIDA, *tam exiguis tuas Camœnas*
Ornatas magis, & magis venuſtas
Laudare. eſt enim Cremona ab ortu
Viciniſſima Mantuæ, decuſque
Tete pontifice, optimoque alumno,
Adjunctum ſibi maximum fatetur.

JO. THOMAS MUSCONIUS Soncinas ad M. HIERONYMUM VIDAM.

Ecquid erunt tanti divini carmina vatis,
Deſueta ut tentem plectra movere manu?
Nam ſimul ac divûm monitu patrimonia liqui,
Et mea ſunt ſacro colla ſubacta jugo,
Nil mihi cum Phœbo, nil cum Permeſſide lympha,
Nec lauro placuit compoſuiſſe comas.
Nunc quid agam oppreſſus verbis, & pondere rerum?
Mene tuis ſperem verſibus eſſe parem?
Protinus ut fiant leviora, graviſſima quæ ſunt,
Carmina, ſitque minor copia, culta minus.
Hoc tamen ingenium gravitaſque, lepoſque puſillum
Exſuperent; tantum hoc pectore noctis ineſt.
Si forte exſpectas, tradam tibi chalcea, tamquam
Tydides; tu dans chryſea, Glaucus eris.

FRAN-

Digitized by Google

Franciscus Arsillus Senogallienſis in Libello de Poetis Urbanis, ad Paullum Jovium, qui exſtat in calce Corycianorum Romæ editorum an. 1524.

Eſt ſacer a docto celebratus carmine Vida,
Vida *Cremonenſis candida Muſa ſoli.*
Pantboidem Samii corpus ſi credere fas eſt
Intraſſe, & clypei pondera noſſe ſui;
Altiloqui Genium vatem hunc adamaſſe Maronis
Quis neget? ut Juli grandia geſta canat.
Grandia geſta canat, canat ut confectus ab annis
Auſonii molem ſuſtinet imperii.

Lilius Gregorius Gyraldus in Epiſtola in qua agit de incommodis quæ in direptione urbana paſſus eſt; ad Antonium Thebaldeum.

Poſcere non auſim Vidam, *promittere quamvis*
Sit montes auri ſolitus; nam carmine nomen
Ipſe ſuo expunxit, noſtroque a limine vates
Summovit teneros. hunc quì ſuccurrere credas?

Jo. Matthæus Toscanus in Peplo Italiæ.

Seria nil Vidæ, *niſi* CHRISTUM, *pagina cantat,*
Aut famulos CHRISTI, *quos ſua vita probat.*
Ludicra nil Vidæ, *niſi ſalvo, charta, pudore*
Ludit: quumque placet, non juvat ille minus.
Pontificis ſiquidem novit ſervare decorum
Ludicra Vida *canens, ſeria* Vida *canens.*

Comes Nicolaus Archius in Epiſtola ad M. Antonium Flaminium.

Nonnumquam te Vida *tenet, tua maxima cura,*
Carmine qui intacto doctas permulceat aures,
Virginis inſuetos partus, & dum canit ortus
*Miſti hominis, * miſtique Dei, & mira acta recenſet.*

An-

* Hoc dictum eſt magis poetice, quam theologice; ait enim Eccleſia Catholica de Filio Dei homine facto, cum nec mixtionem paſſum eſſe, neque diviſionem.

ANTONIUS CERUTUS Carminum lib. I.
in Ode ad Muſas &c.

Vos an ſilebo, maxima ſidera
Mundi, Fracaſtor, tuque ſacer VIDA,
Purique amatores leporis
Flaminius, Bloſiuſque culti?

NICOLAUS CORDATUS, Petri pater, in Voto
D. Nicolao nuncupato.

Eſt ubi VIDA *potens numeris, ubi Poſthumus, atque*
Lampridius, Molza, & Vitalis, Sangaque, & ambo
Mellini docti juvenes, terſuſque Caballus &c.

HIERONYMUS FALETUS Poematum lib. V.
Carmine ad Nicolaum Grudium.

- - - - ſic æthera pulſant
Laurigeri VIDAS, *Fracaſtoriuſque poetæ*
Orbe ſub Auſonio, dum ſpirant carmina cantu
Doctiloquo antiquæ referentes ſæcula Romæ.

NICOLAUS GRUDIUS Belga lib. I. Epigram. pag. 44.

Donec Minciadem jactabit Mantua vatem,
Jactabit VIDAM *clara Cremona ſuum.*

JO. PETRUS LOTICHIUS, de Poetis pag. 80.

Materia priſcos ſuperavit, & arte poetas
VIDA *canens fidei carmina plena ſacræ.*
Cæſaris eſt vates Maro: VIDA *ſed eſſe Jehoüæ,*
Et CHRISTI *vates maluit eſſe ſui.*

JO. JACOBUS GABIANUS in Gallo,
ad Aloyſium Galleanum.

VIDA *poeta, meæ decus immortale Cremonæ.*

M. Lo-

M. Lodovico Ariosto nel Furioſo, nel Canto XLVI. ed ultimo, alla Stanza XIII.

Ecco Aleſſandro, il mio Signor Farneſe.
O dotta compagnia che ſeco mena!
Fedro, Capella, Porzio, il Bologneſe
Filippo, il Volterrano, il Maddalena,
Bloſio, Pierio, il Vida *Cremoneſe,*
D'alta facondia ineſſiccabil vena;
E Laſcari, e Muſſuro, e Navagero,
E Andrea Marone, e'l monaco Severo.

M. Simon Fornari ſopra il paſſo dov'è nominato il Vida*, così parla:*

M. Girolamo Vida Cremoneſe ſcriſſe ſopra molti ſuggetti ſacri in Latin verſo. Compoſe anco un Poema della natura de'Bachi che fan la ſeta, e del modo di governarli; e del giuoco de' Scacchi molto ingenioſamente.

Il medeſimo Ariosto nella Satira VII. v. 127.

Dimmi, ch'io potrò aver' ozio talora
Di riveder le Muſe, e con lor ſotto
Le ſacre frondi ir poetando ancora:
Dimmi, ch' al Bembo, al Sadoleto, al dotto
Giovio, al Cavallo, al Bloſio, al Molza, al Vida
Potrò ogni giorno, e al Tebaldeo far motto:
Tor d'eſſi or'uno, e quand'un'altro guida
Pe' i ſette Colli, che col libro in mano
Roma in ogni ſua parte mi divida.

Giovan-Giorgio Trissino nel libro XXIV. dell' Italia Liberata, dove nomina i più celebri poeti de'ſuoi tempi.

E'l Fracaſtorio, e'l Navagero, e'l Cotta,
E l'Altilio, il Conternio, il Vida*, e'l Molza,*
E Giovan dalla Caſa, e'l Caſtilione, ec.

GIOVANNI OFFREDI Cremoneſe.
dal Tomo IX. delle Rime di diverſi.

SIgnor, ch' acceſo d'alto ardente zelo
Camminate per vie ſolinghe, e rade,
Moſtrando quanto a queſta noſtra etade
Sia ſtato largo di ſue grazie il cielo;

Ecco, che non può più caldo, nè gelo
Nojarvi; che già vinta a terra cade
L'Invidia, e Morte ancor; nè lor più accade
Oprar contro di voi l'empio ſuo telo.

Che con sì gravi accenti a paro a paro
Del Mantoan ven' gite; e con sì ornato
Stile poggiate a quel d'Arpino uguale;

Che'l Pò (già vinto il ſuo deſtin fatale)
Di tante glorie illuſtri coronato
Col Mincio, e Tebro or va ſuperbo, e chiaro.

ANGELO RINIERI da San Secondo. ivi.

COme non convenia ſe non per raro
Spirto dall'alte ſpere giù mandato,
Di quella vera vite eſſer cantato
Che vita diè, morendo, al popol caro;

Così voi, VIDA, *giù dal ciel mandaro*
A cantar di GESU' *le ſtelle, e'l fato,*
Come il più degno ſpirto che ſia ſtato
Dacchè'l giorno apre il Sol lucente e chiaro.

Onde ſe voi pur tal di lauro, e d'oſtri
Corona, ed orna il mondo; e nel più degno
Seggio vi pone ſopra ogn' altro dotto;

Sono anco tali i degni parti voſtri,
Che ſempre al cor ſublime, e ſacro ſegno
I paſſati, e i futuri ſtaran ſotto.

Di

Di Giovanni Agostino Cazza.

dalle ſue Rime Spirituali.

SAggio, ſacro, famoſo, e magno VIDA,
Ch' aveſti il ciel benigno, e amico tanto,
Le Muſe, e Apollo, onde ti puoi dar vanto,
Che non ſia tempo che 'l tuo nome ancida:

Quanto mi godo, poichè 'l Signor *guida*
A più alto ſoggetto, a più bel canto
Il tuo ſtil; ch' eſſer dee vago altrettanto
Sotto 'l governo di sì magna guida.

Vivrò mai tanto, che de' bei concetti,
Ch' anco, per polir meglio, al mondo celi,
Guſti l' ambroſia, e 'l nettare ſuave?

L' età noſtra di te par ſi quereli,
Ch' ad abbellirla, tanto indugio metti
Con opra tanto bella, e tanto grave.

Del medeſimo. ivi.

VIDA, *ch' a guiſa di cigno canoro,*
Vai con lo ſtile a volo, onde dimoſtri,
Ch' uom non ebbe agli altrui, nè ai giorni noſtri
Più di te amico delle Muſe il coro,

Quando uſcirà da te l' alto lavoro
Ch' or vai teſſendo con purgati inchioſtri
Nelle lodi del Re dei ſommi chioſtri,
Che può adornarti di celeſte alloro?

Deh trai di sì gran ſete il mondo ormai,
E cogli in terra le tue ſteſſe lode,
Come in ciel la mercede coglierai:

Che ſai ben tu, che lo ſcrittor ſi gode
Le ſue dolci fatiche meno aſſai,
Quando egli ha chiuſi gli occhi, e che non ode.

Sonetto di D. Lorenzo Massolo, con uno ſquarcio di ſpoſizione di M. Francesco Sansovino.

Chi vuol ſapere in queſta vita frale,
Quanto poſſa ſaper mortale ingegno,
Al Vida *vada, che ne vedrà ſegno,*
Ch'in altri non potrà vederſi uguale.

Dal Vida *ſaprà il tutto, perch'ei l'ale*
Spiegate ha già ſopra il celeſte Regno,
E ogni coſa terrena ha tanto a ſdegno,
Che ſpeſſo a DIO *con l'intelletto ſale.*

Il Vida *ſale al ciel, mortale eſſendo,*
Con l'ali di virtù ch'il ciel gli preſta;
E col ſuo eſempio altri a ben fare accende.

Ond'io, ch'il ſuo valor ſpeſſo comprendo,
Cerco di far di qui partita oneſta,
S'io vi ebbi ſtanza avvolta in mille mende.

Monſignor Gieronimo Vida, Veſcovo d'Alba, fu dotto uomo, e molto eccellente nella Poeſia Latina; nella quale, oltre a diverſe altre coſe ſcritte da lui, compoſe la Vita di CRISTO in elegantiſſimi verſi, e molto lodati dal mondo. Celebra adunque il poeta queſto uomo eccellente dal molto ſuo ſapere, e ſcherzando ſopra il nome Vida, dice, che chi vuole ſapere in queſto mondo, ed in queſta vita noſtra così debile, e frale, quanto ſia eccellente, e poſſa uno ingegno mortale, ed un' uomo, vada al Vida, cioè veda, e vada al Vida; per biſchizzar ſu la parola Vida e *vada;* perchè ne vedrà ſegno manifeſtiſſimo, e chiaro; conecioſſiachè egli ſa tanto, e la dottrina ſua è tale, che non ſi può, o potrà vedere in altri tanta, ſicchè ſia uguale a queſta di coſtui: percioocchè chi deſidera di ſaper molto, ſaprà da coſtui il tutto, come quello che è intendente del tutto; perciocch' egli ſpiega l'ali dell' intelletto ſopra il Regno celeſte: e di già le ha ſpiegate, ſiccome ſi può vedere per l'opera ſua divina compoſta da lui, e letta avidamente da gli uomini dotti: onde perciò non cura, o prezza più punto le coſe terrene; anzi, come fatto divino, le ſdegna, come non convenevoli con ſpirito eletto, e celeſte; come del tutto contrarie alle divine: e tutto queſto, perchè ſale ſpeſſo con l'intelletto a DIO; cioè contempla con lo ſpirito DIO, ed aſtratto dalle coſe mondane ſi traſforma col penſiero, e col diſio nelle coſe ſpirituali *ec.*

I N D E X
LOCUPLETISSIMUS
RERUM INSIGNIORUM

Quæ occurrunt in Poeticis, Bombycibus, Scacchiis, & Carminibus diverſi generis M. Hieronymi Vidæ.

Numerus paginam denotat.

A

ABdua, vel Addua, fluvius. pag. 96. 132
Acheloia pocula pro *aqua.* 48
Achelous Ætolus. 32
Achilles Homericus. 7. 8
Adaxit *pro* adegerit. 54
Adonis a Venere defletus. 132
ἀδυνάτω, ſive ejus quod fieri non poteſt, formula. 131
Æacides Homericus. 7
Æmulatio ſtudiorum inter æquales. 12
Æneas Virgilianus. 7
Æneæ ac Didonis ſub ſpelunca congreſſus. 41
Æneæ clypeus. 31
Æneæ in Italiam tranſitus. 52
Æſculapius, Phœbi filius, herbarum potens. 154.
Æthiopes Sole peruſti. 102
in *Æthiopiam ad Oceani nuptias profectus Juppiter.* 99. 100
Ætna apud poetas deſcriptio. 35. 36
Affectatio vitanda. 50
Affectatores, pueris inſtituendis male præficiuntur. 6. 7. *reprehenduntur.* 29. 30
Affectus movendi artificium, poeta unde petendum. 40
Affectuum diverſitas unde. 36
Afri extremi. 139
Agrorum cultus remiſſio. 15
Alba fames ingens, Vida temporibus. 153
Albunea. 15
Allii fœtor bombycibus exitialis. 86
Amazon, ſeu regina, in ſcacchiorum ludo. 107.111
Amazones. 112
Amazonum clades. 33
Amicus.dolor de amici abſentia. 126.127
Amoris ſtimuli juvenibus avertendi. 15
Amphitrite, ab Oceano dilecta. 130
Amplificandi rationes. 34. 35
Amyntas paſtor. 125
Amyntas Sicanius, puer formoſus. 130
Anaphora poetica. 49
Animi motus varii unde. 36
Animi vigor ad poeticen quomodo excitandus. 37. 38
Anio fluvius. 15
Antiqua verba, eorumque uſus. 48.54
Antiqui poetæ. 54
Antonomaſia poetica. 49. 54
Anus jactura facilis. 74
Anus omnes a bombycibus arcendæ. 86
Apollo Cynthius. 114. 118. *intonſus.* 105. *Latonius.* 107. 117. *Trojæ auctor.* 42
Apollo Marſyam deglubit. 128
Apollo, & Mercurius ſcacchiorum ludo ſe accingunt. 105
Apollinis laudes a peremto Pythone. 35
Apollinis oraculum Delphicum. 21
Apoſtrophe ad bombycas labore intereuntes. 79
Apoſtropha poetica. 48.49
Aquilones. 84
Aranei deſcriptio, poema juvenile. 18
Areiphili ſagittiferi juvenes in ludo ſcacchiorum. 101
Arethuſa Piſæa. 130
Arionis citharœdi a delphine vecti fabella. 129. & ſeq.

Digitized by Google

Ariſtæus. 31
Armorum apud poetas deſcriptio. 36
Arnus, Etruriæ fluvius. 125
Ars naturam imitatur. 38
Arte naturam ſæpe flecti. 15
Artes quatenus poetices ſtudioſo diſcendæ. 16
Aſcanius Virgilianus. 7
Aſelli cum Turno collatio reprehenditur. 33
Attentio quomodo captanda in exordiis. 24. 25
Auctorum variorum lectionem quando poetices ſtudioſus aggredi debeat. 17. 40. 54
Audentes facit deſperatio. 118. 119
Aventinus, Herculis filius. 32
Auguriorum apud poetas deſcriptiones. 35
Auſonia puella morum nigram albam praeferunt. 74
Auſcaii fines. 95
Auſter. 68. 84. bis.

B

Bacchus pro *vino*. 48
Baſtra. 31
Barbara voces unde in Latium. 9
Barbarica verba, eorumque uſus. 54
Batrachomyomachia, juvenile poema. 18
Belgica vocabula in Latinam linguam translata. 54
Bellerophon. 33
Bellica virtutis deſcriptio. 139
Belli cum incendio, aut diluvio, aut tempeſtate collatio. 46
Belli mala. 152
Bellona. 139
Bellorum apud poetas deſcriptio. 36
Bellum omni ope fugiendum. 149
Bellis mortalium diverſos etiam ſuperos favere. 105
Benevolentia captanda in exordiis. 24
Bombyces, Veneris ac Saturni pecora. 95. *quomodo foveantur*. 70. *ac deinde ſe moveant*. 72. *laſi, non ſerendi amplius*. 76. *adulti quomodo in ſua quique loca diſponendi*. 72. *ulmo paſcendi, ſi morus deficiat*. 74. *item urtica, & rubis*. ibid. *quomodo tempeſtates, hiemes, ac ventos præſentiant, & vitent*. 68. *inſomnes, ſopitis aliis, quomodo transferendi*. 77. *in ipſo opere quomodo juvandi*. 83. *Lanicio exhauſti intereunt*. 79. *mortui ſtatim de aliis tollendi*. 84. *alati*. 90. *in papiliones mutantur*. 91
„ VIDA *vocabulum* bombyx *in feminino*
„ *genere ſemper uſurpat, contra veterum*
„ *Latinorum auctoritatem, qui adjecti-*
„ *vum maribus conveniens cum eo ſo-*
„ *ciant. Eſt autem nomen* ἐπίκοινον,
„ *ſeu promiſcuum, ut* paſſer, lepus,
„ aquila, *& alia id genus, in quibus*
„ *uterque ſexus per alterutrum intelli-*
„ *gitur. Propertius Eleg.* 2. *l.* 2. Nec
„ ſi qua Arabio lucet bombyce puel-
„ la. *Martialis Epigr.* 33. *l.* 8. Tam le-
„ ve nec bombyx pendulus urget o-
„ pus. *Id profecto mirum, in homine*
„ *præſertim pura Latinitatis, & opti-*
„ *morum poetarum ſtudioſiſſimo, qualis*
„ *Vida fuit. Sed fortaſſe dixerit Vida*
„ bombycem eductam filvis, *ſubau-*
„ *diens* tineam, *aut* erucam; *hoc e-*
„ *nim animalculum ipſe appellat* genus
„ tineæ. *eo pacto quo Terentius dixit:*
„ in Eunuchum ſuam, *i. e.* comœdi-
„ am; *& Catullus:* Arida pumice,
„ *i. e.* petra; *tametſi reliqui ſcriptores*
„ pumicem *efferant genere maſculino.*
„ *Non tamen noſtris adoleſcentibus au-*
„ *ctor fuerim, ut hanc Vidæ licentiam*
„ *imitentur*. „ J. A. VULPIUS.
Bombycum deſcriptio. 67. & ſeqq. *quondam neglectus*. 67. *jam vero cultus*. 68. *pretium*. 95. *vitæ brevitas*. 68. 69. *carum Venus docuit, a Saturno ipſa edocta*. 80. & ſeq. 96. *ea cura quomodo in Italiam pervenerit*. 95
Bombycum facilis interitus. 76. *peſtes, & inſidiatores quomodo arcendi*. 71. 72. *pabula ſicca legenda*. 75. *tecta purgandi, ac vino conſpergendi ratio*. 76. 77. *eadem quo pacto aere luſtranda*. 84
Bombycum torpor, ſeu ſopor nativus. 76. 77. *etiam per biduum; quo pacto pernoſcendus*. ibid. *in urgendo lanicio ſedulitas*. 78. 79. *fila, eorumque*

Digitized by Google

que coloris diſcrimen. 88. glomeramina. 87. morbis quomodo medendum. 83. 84. ex eorum tectis quo pacto frigus, & humor arcendus. 84. 85. connubia, & concubitus. 92. idem feminæ & maris interitus. 92
Bombycum propago, & femina quomodo ſervanda. 90. & ſeqq. annua eſſe debent. 93
Bombycum reparandorum ratio ex juvenci cadavere. 93
Bombycum lanicium nendi, texendique ratio. 94. ex eodem telarum varietas. ibid.
Bombycum Veneris interitus. 89. & reſtitutio. 90
Bombycibus apta loca quæ. 70. 71. humor, quamvis tenuis, exitialis. 75. infeſtus major ſtrepitus. 86. & omnis fœtor. ibid.
Bombyces adhuc teneros paſcendi ratio. 72. item adultos. 73. ſomno iterum juveneſcere; idque, dum vivunt, ter. 77. operi ſe ſe accingentes juvandi ratio. 77. 78. olivo reſperſos mori. 85. quotannis omnes mori. 69. immo bis. 90. eorumdem reſtitutio. 69
ad Bombycas qui admittendi. 86. 87
Boreas. 84
Brevitati interdum ſtudent poetæ. 59
Bucolica primum audenda poetica ſtudioſo. 18

C

Cacus. 35
Caduceus, victoriæ præmium a Jove Mercurio datus. 121
Cæleſtium orbium concentus. 20
Cæpæ fœtor bombycibus exitialis. 86
Candor M. Hieronymi Vidæ. 156
Carmen egregium ſcripturus, curis, labore, ac ſtrepitu vacare debet. 19. 20
Carmen quando edendum. 61
Carmen ſcripturi ſollicitudo, ac ſtudium. 17. & ſeqq.
Carminis mora ubi apta. 58
Carminis ſcribendi captanda occaſio. 37
Carmina ſcribendorum effigies qualis formanda prius. 5. 6
Carmina a quo, & cui rei primum inventa. 4. 25. eorum uſus primum in oraculis tantum. 21
Carmina puerorum emendandi ratio. 19
Carminum diverſa genera. 4. 5. in movendis etiam inanimis vis. 21. non eadem omnium eſſe facies in poemate debet. 57. diverſitas, ejuſdemque ratio. 58. 59. item ratio emendandorum, & retractandorum. 59. & ſeqq. pro eorum varietate, verborum etiam habenda ratio. 50
Carpathium pelagus. 136
Cayſter fluvius. 129
Cauſſarum ſeries in mente divina. 149
Celeus. 31
Ceres pro frumento. 48
Chimæra. 33
CHRISTIAS, poema Vidæ. 154. 155
Cicero ad parandam verborum copiam legendus. 53
Ciceronis eloquentia juvenibus inprimis imitanda; ejuſdemque laus. 16
Ciconiæ pietas erga parentes ſenectute confectos. 145
Clemens VII. Pont. Max. graviſſimis curis diſtinetur. 148. 149
Columna (Victoriæ) v. Nice.
Comparationum in poemate ratio, & uſus. 32. 33. lex. 49. 50
Compoſitio verborum. 54. 56
Conviviorum apud poetas deſcriptiones. 35
Copia poetis unde. 59
Copia rerum, ac verborum ſcripturo aliquid, paranda prius. 5
Corrigendorum puerilium carminum modus, & ratio. 19
Corydon paſtor. 128. & ſeqq.
Coſmographia, ſive Coſmotheoria, uſus puero quis. 16
Cremona. 96
Crepidinis deſcriptio. 57
Culex, poema juvenile. 18
Curis, & laboribus vacare carmen ſcripturus debet. 19. 20
Cycni, Ligurum regis, fabula. 32
Cycni ſenectute confecti dulcius canunt. 140
Cythera. 96

De-

D

Damon paſtor. 131
Daphnidis abſentis nomine intelligit fortaſſe Vida Joannem Matthæum Gibertum, cujus ab urbe diſceſſum aperte deplorat etiam Carm.IV. 125. & ſeqq.
Davalas heros, Victoriæ Columnę maritus. 131. & ſeqq.
Decreta Dei refringi non poſſunt. 149
Deiphobo dormienti ſubtractus enſis. 49
Deo poetas agitari. 21. 36. & ſeqq.
Dii, cunctorum operum auſpices. 70
Dii, quondam nudi. 80
Dii, rerum humanarum ſecuri. 35
Deorum colloquia qualia. 39
Deorum in poemate humanis ſe ſe rebus admiſcentium deſcriptiones. 35
Deorum laudes, & ſacra apud poetas deſcribi ſolita. 35
Deos invocandi poetis mos unde. 24
Delphicum Apollinis oraculum. 21
Deſperatio audentes facit. 119
Didonis diverſa oratio. 39
Didonis & Æneæ ſub ſpelunca congreſſus. 41
Digreſſionis ratio, & uſus. 29. & ſeqq.
Diomedis & Glauci congreſſus. 33
Diſciplinę quatenus poeticę ſtudioſo neceſſarię. 16. 17
Diſcipulorum erga præceptores officium. 12. *inter ſe æmulatio*. ibid.
Diſpoſitio poematis. 24. 26
Diſpoſitionis mora. 25
Docendi auditores ratio in exordiis poematum. 24
Dodonæum oraculum. 21
Domorum uſus neceſſarius quo excreverit. 47
Drances Virgilianus. 29. 49
Dryades. 19

E

Eburnea ſomniorum porta. 34
Elephanti ſcacchici. 101.103. 107.110. 115. 117
Eloquentiæ varietas. 44. & ſeqq.
Emendandi carminis, ſive operis, ratio. 59. & ſeqq. 61. *labor difficillimus*, ibid.
Enceladus. 55
Ennius, primus Latinorum poeta. 8
Equites ſcacchici. 101. 103. 104. 106. 107
Erebus. 120
Eridanus. 95. *Venetus*. 32
Erinnyes. 22
Eſſeda. 54
Euryalus Virgilianus. 7. 40
Eurydice. 40
Euryſtheus. 35
Euxinum mare. 35
Exordii ratio in poemate qualis. 24

F

Fabas Vida ferit, plebi eſurienti alenda. 153. v. Albæ.
Fabularum introductio. 31. & ſeqq.
Fames Albenſium. 153
Fames nocet bombycibus. 73. 74
Fauni oracula. 21
Fauni. 19. *ſilvicolæ*. 8
Federicus, Iſabella Eſtenſis March. Mantuæ filius. 82
Fluctuum maris deſcriptiones. 35
Flumina unde originem ducant. 129.130
Fœtor omnis bombycibus exitioſus. 86
Fors. 80
Franciſci I. Gallorum regis in Hiſpania cum duobus filiis captivitas. 3. 4
Fragilitas Vidæ. 156
Fuat *pro* fuerit. 54. & alibi.
Furor poeticus. 36
Furta poetica laudata. 51. 52. 53

G

Galatea Neptunine. 130
Gallinæ bombycibus infenſæ. 71
Gaudia hominum ſemper manca & imperfecta. 148
Georgica Virgilii. 31
Germanorum ferocia. 137
Gibertus (Joannes Matthæus) adoleſcens variis negotiis Romæ diſtinetur, fruſtraque otium cupit. 135. 136. *Vidam ſenem excitat ad ſcribenda carmina*. 140. *a Pontifice Maximo ad Europæ reges legatus mittitur*. 142. *ejus abſentiam dolet Vida*. 141. & ſeqq.

Digitized by Google

Gigantis deſcriptio. 58
Gigantis habitum puero induere. 49
Gigantomachia. 55
Glauci & Diomedis congreſſus. 33
Gonſaga gens. 67
Graca lingua interitus. 8
Graca litera in Italia a Medycum familia reſtituta. 9. 10
Gracarum vocum in linguam Latinam tranſferendarum ratio. 53
Graci poeta quando puero tractandi. 7
Graci quantum Latinis contulerint. 41
Gracorum licentia. 29. 54
Gracorum poetarum in Latinam linguam translatio. 41
Gracorum poetarum quo quiſque Homero propior, hoc melior. 8
Gracorum tautologia. 34
Gracis componendi verba quam Latinis major licentia. 54
Gracis ex auctoribus diſcendum quod Latinos deceat. 41

H

Hammonis oraculum in Libya Cyrenaica. 21
Hecate triformis. 112
Helicon. 23
Herbarum vires Saturnus Phillyram docuit. 80
Herculos praceptorem Linum occidit. 12
Herculis laudes a poetis celebrari ſolita. 35
Heroicum carmen omnium praſtantiſſimum. 4
Heroum facta poſt epulas apud priſcos carmine celebrari ſolita. 21
Hippolyti fabula. 32
Homerus cum Virgilio pueris conferendus. 7
Homeri inter poetas Gracos excellentia. 7. 8
Homeri locus. 33. 34
Homerum Gracia miratur. 9
Homerum imitatus Virgilius. 41
Homines pudore primum admoniti ſe ſe veſtibus texere, nudi antea. 80
Hominum olim in ſilvis degentium feritas. 79. 80
Humor, quamvis tenuis, bombycibus exitialis. 75
Hyacinthus mæſtus. 132
Hydaſpes fluvius. 82
Hymni Vida de rebus divinis. 155
Hyperbola poetica. 48

I

Idalium. 80
Ignes calo ſuffuratus Prometheus, mortalibus tradidit. 20
Iliados Homerica exordium, & in univerſum diſpoſitio. 25. & ſeqq.
Ilii excidium quomodo narrandum. ibid.
Imbecillitas quo pacto exprimatur. 58
Imitatio veterum poetarum qualis eſſe debeat. 51. & ſeqq.
Improbi a ſacris honoribus amovendi. 150
Incendii cum prælio collatio. 46
Incendii deſcriptio. 57
Inconſtantia rerum humanarum. 148
Indi. 31
Indolis bona, & mala ſigna. 14
Indugredi pro ingredi. 54
Indus fluvius. 139
Inferorum apud poetas deſcriptio. 35
Ingeniorum diverſitas. 15
Ingeniis imperare, docentium cura. 15
Inſtituendorum ad poeticen juvenum ratio. 6. & ſeqq.
Inventio poematis. 23. 24
Invocationis circa poematis initium ratio. 24
Jovis Dodonai, & Hammonis oracula. 21
Jovis in concilio deorum qualis oratio. 39
Jovis invocatio. 24
Ironia poetica. 49
Iſabella Eſtenſis, March. Mantua, cui Vida Bombycum libros dicavit. 67. ejus filius Federicus. 82
Italia a quo primum bombycum curam edocta. 67
Italia in bonis literis excellentia. 42
Italia inteſtina ſimultates. 42. 43
Italiam quare armorum fortuna deſeruerit. 42
Julius Leonis X. Pont. Max. frater patruelis; poſtea Clemens VII. P. M. 42
Junonis apud poetas oratio. 39
Juſſa canere, difficile. 5

Juvenilis vigor quomodo exprimatur. 59
Juvenilis violentia. 39
Juventutis ad poeticen inſtituenda ratio. 6. & ſeqq.
Juvenum amoribus quomodo medendum. 15. 16

L

Læta quomodo deſcribant poetæ. 57. & ſeq.
Lanificium docuit Pallas. 80
Latina lingua opibus Græca aucta. 53
Latina lingua Virgilii tempore maxima virtus. 9
Latini in repetendo eadem Græcis parciores. 34
Latini poetæ priſci, valde rudes. 8
Latini quantum a Græcis acceperint, quantumque eoſdem ſuperarint. 41. 42
Latinos barbaris etiam vocibus interdum uti. 54
Latini regis gravitas. 39
Lauſus Virgilianus. 7
Lectores quo pacto ſuſpendendi delectatione. 26
Leonis cum Turno collatio, decora. 33
Leo X. Pont. Max. Vida favet, eumque honoribus auget. 144. *immatura morte præreptus.* 142
Leonis X. Pont. Max. laus. 42. *idem expeditionem molitur in Turcas*, ibid. 137. & ſeqq.
Linguæ ſtudium quomodo poetæ proſequi debeat. 44. & ſeqq.
Lini ſationem quis primum docuerit. 80
Linus, Herculis præceptor, ab eodem occiſus. 12
Ludorum apud poetas deſcriptiones. 35
Ludis ſtudia temperanda; & quibus. 14 15
Lyæus pro *vino.* 48
Lycidas paſtor. 125
Lycurgus. 33

M

Machaon. 16
Mæander fluvius. 129
Maja. 105. 108. 115. 117. 119
Maris numina. 130
Maris procelloſi deſcriptio. 57. *item placidi.* ibid.
Mars Threicius. 112. 113. *Mercurio favet in ludo latrunculorum.* 112
Marſyas Satyrus a Phœbo degluptus. 128
Maſſyla virgo. 112
Medea Colchis. 112
Medendi uſum Saturnus Phillyram docuit. 80
Medorum arbores. 31
Medycum Tuſcorum familia laudata. 42. 142. *ejus in reſtituendis Italiæ bonis literis ſtudium.* 9. 10
Mella fluvius. 130
Memnon. 99. 102
Mercurius, Atlantis nepos. 105. *Arcas.* 107 109. *Atlantiades.* 116. 120. *Cyllenaus.* 114. *Cyllenius.* 117. 118. *Parrhaſius.* 115. *Maja ſatus.* ibid. *fur.* 108. 110. *in ſcacchiorum ludo vincit.* 120. *quem Italia colonos primus docuit.* ibid. 121
Mercurii gaudium ſimulantis aſtutia. 116. 117
Mercurium victorem in ſcacchiorum ludo Juppiter caduceo donat. 120
Metaphora in carmine uſus. 45. 46
Metaphora ex propriorum verborum penuria orta. 47
Metaplaſmi ſpecies. 56
Metonymia poetica. 48
Miles ſacramento ſolutus. 140
Militia interdum poetis non inutilis. 16
Mincius fluvius. 7
Minerva Veneri infenſa. 80. 81. 85. *vide* Pallas.
Moliminis magni deſcriptio. 59
Mora alvum ſolvunt. 85
Mora in carmine ratio. 58
Morini ultimi, Galliæ populi. 137
Mortalium munera diverſa. 136
Morus bicolor; & utraque bombyces veſci. 74
Morus frondeſcens tranſacta hiemis indicium. 69
Morus Thiſbæa. 74. 93
Mori frondibus bombyces paſci. 72
Morum ſerere in Italia docuiſſe primum Seriades. 96
Moro deficiente, ulmum pabula bombycibus ſufficere. 74

Mul-

Mulciber. 112
Muris inſidiarum deſcriptio. 71
Mures bombycibus infenſi. 71
Murium pugna, poema juvenile. 18
Muſa, deorum munus. 20. *Jovis filia.* 23. *a Prometheo in terras deducta.* 20
Muſarum inter ſuperos conſuetudo, & ad mortales translatio. 47
Muſarum invocatio in poematis. 24
Muſarum ſtudia ad comparandam uominis immortalitatem aptiſſima. 24. *aliquando guſtata quantum ſui deſiderium relinquant.* 13
Muſca comparatio ſordida. 33

N

Napaę. 130
Narciſſi fabella. 128. & ſeq.
Natura in rebus omnibus varietas, quam poeſis imitatur. 45
Naturam diligenter paſſim a poetis obſervari. 38
Naturam imitatur ars. 38
Naturam ſepe flecti arte. 15
Neptuuus pro *mari.* 48
Nereides. 32. 100. & alibi.
Nereus. 32
Neſtor. 39
Neſtoris eloquentia. 40
Nice Nympha, ſeu Victoria Columna, (vixn enim Græcis victoria) *Davalum conjugem acerbo funere prareptum luget.* 131. & ſeqq.
Nomina rebus accommedanda, non contra. 54
Nova verba cendere quateuus liceat. 53
Nulla dies ſine linea. 17

O

Obſcœna quomodo poeta narranda. 41
Obſcuritas poetis fugienda. 44. 45
Oceanus fluminum pater. 129. 130
Oceani cum Tellure nuptiæ. 99. 100
Oculorum ſenis cujuſdam faſcinum. 87
Odyſſea Homerica exordium. 25. *diſpoſitio.* 26. 27
Oenotria arva. 95
Olee reſperſos bombycas mori. 85
Olli *pro* illi. 54. 104. & alibi.
Olores. v. Cycni.
Operum omnium auſpices dii. 70
Oracula primum carminibus enuntiata. 21
Oratio rebus accommodanda. 47
Orationis figura. 45
Orationis variandæ ratio in poemate. 45. 46
Orationis variandæ ſtudium & ſuperis, & hominibus gratum. 46. 47
Oratores etiam poeticæ ſtudioſe non negligendi. 40
Oratorum eloquentia varietate reſperſa. 47
Orbium cæleſtium concentus. 20
Oreades. 132
Orithyia. 32
Orithyiæ raptor Boreas. 87
Orphei deſcriptio apud Virgilium. 32
Orphei erga Eurydicen amor. 40
Oſcaſala (Leona) Hieronymi Vidæ mater, a filio mortua deſletur. 143. & ſeq. *morum ſanctitate inſignis.* 145. 147
Oſtentatio eruditionis reprehenditur. 29. 30

P

Pacis bona, & laudes. 150. & ſeqq.
Padus fluvius. 12
Pæonii ſucci. 16
Pallas, prima lini ſationem docuit. 80. *item lanificii uſum.* ibid.
Pallas Virgilianus. 7. 28
Pallene. 90
Panacea Pęonia. 130
Panchaia. 31
Panes. 19
in *Papiliones mutari bombycas.* 91
Parentum mors pio filio abſenti quam luctuoſa, & acerba. 144. & ſeqq. *eos non revereri, indignum facinus.* 146. 147
Paſſeres bombycibus infenſi. 71
Pedites ſcacchici. 101. 103. *armigeri.* 101. 110
Peliaci montes. 80
Pelion mons. 81
Penelope. 27

Peregrinatio quantum mutandis poetarum animis conducat. 61
Peregrinationis uſus puero quis. 16
Periphraſes, earumque uſus. 55. 56
Perſonis accommodanda verba. 38. 39
Perſpicuitas in carmine maxime probabilis. 44. 45
Perterricrepus. 54
Peſtis apud poetas deſcriptio. 35
Phaeton ad Eridanum fulmine ictus. 95
Phaeton pro *Sole.* 102
Phaetontis fabula. 32
Phęthuſę fabula. 95
Phemonoe prima fuit quę reſponſa daret carmine heroico. 4
Phillyrę a Saturno adamatę fabula. 80. 81
Phocę, Protei armenta. 129
Phryxi aries. 94
Pietas Vidę erga parentes. 145. & ſeq.
Piſęa Arethuſa. 130
Plenilunii deſcriptio. 69. 70
Poema non ſtatim evulgandum. 59. 61
Poema principio quale tentandum. 18
Poema quando in vulgus mittendum. 61
Poematis inventio, & diſpoſitio. 24
Poematis retractandi, emendandive ratio. 59. & ſeqq.
Poemata pręcocia. 14
Poemata quę antiquorum poetarum imitatione non nituntur, brevi interire. 52
Poematum ordo, ſive diſpoſitio. 25
Poeſis, a teneris diſcenda. 7
Poeſis naturam imitatur. 45
Poeſeos futurę qualis prius formanda effigies. 6
ad *Poeſim inſtituendorum juvenum ratio.* 6. 7. 11. & ſeqq.
Poetę, abſoluto carmine, aut poemate, quid reſtet. 59. & ſeqq.
Poetę priſci Latini, rudes. 8
Poetę pręter Virgilium puero qui diſcendi. 10
Poetę quam multa pręſtare debeant. 56
Poetę rura, ac ſeceſſus amant. 19
Poetę ſancti, genus, innocuum, populuſque deorum. 20
Poetę unde dicti. 36
Poetarum copia, & brevitas. 58. 59. *diverſitas unde.* ibid. *figmenta quo tendant.* 34. *furta quatenus celanda.* 51. & ſeqq.
Poetarum Gręcorum quo quiſque Homero propior, hoc melior. 7
Poetarum laus. 20
Poetarum loquendi mos. 44. 45. *major quam oratorum dicendi licentia.* 48. 49. *ſecuritas.* 10. 20. *vis, ac prudentia omnium maxima quę.* 59
Poetarum quorumdam nimia ſui fiducia. 52
Poetarum veterum imitatio. 50. & ſeqq.
Poetis delectando, ſuſpendere lectorum animos propoſitum. 45. 46
Poetis non ſemper eadem ad carmina ſcribenda vis. 37
Poetis quantum conducat peregrinatio, aut locorum crebra mutatio. 61
Poetas Deo agitari. 21. 36. & ſeqq.
Poetas lędere, impium. 20
Poetica, divina facultas, quare non omnibus vulgo expoſita. 56
Poeticus furor. 36. & ſeqq.
Porri fœtor bombycibus exitialis. 86
Pręceptor docendę juventuti qualis eſſe debeat. 6. & ſeqq. 10. & ſeqq.
Pręceptorum ſęvities in pueros reprehenſa. 11. & 12
Pręcocia non durare. 14
Precum vis apud Deum. 150
τῦ πρέποντος, *ſive* decori, *apud poetas obſervatio.* 38
Prometheus Muſas e cęlo in terras una cum igni deduxit. 20
Promethei Caucaſo affixi pœna. 21
Prophetarum oracula carmine enuntiata. 21
Propoſitionis in poematis initio uſus, & ratio. 24. 25
Propriorum interdum, quam translatorum venuſtior uſus. 50
Proſopopœię poeticę. 48
Protei armenta. 129
Protei deſcriptio apud Virgilium. 31
Puer ante annos vates, non probandus. 14
Puer deſperati ingenii, qualis. 15
Pueri bonę indolis mores. 14
Pueri a bombycibus arcendi. 86
Pueri utrum verberibus ad diſcendum cogendi, nec ne. 11. 12

Pue-

Digitized by Google

Puerorum in ſtudiis ęmulatio quomodo munuſculis fovenda. 12
Puerorum luſus quales eſſe debeant. 14
Puerorum ſcripta quo pacto a preceptore emendanda. 19
Puerilis atas cujuſmodi praceptori formanda committi debeat. 10. & ſeqq.
Pugna dubia deſcriptio. 113
Pugna cum incendio, aut maris tempeſtate collatio. 46
Pugnarum deſcriptiones. 36
Puteorum aquam, niſi ſubinde hauriatur, vitiari. 84
Pythonis cades. 35

Q

Quadrifidus. 54
Quietis deſcriptio. 58

R

Ranarum, & murium pugna deſcriptio, poema juvenile. 18. *vide* Batrachomyomachia.
Re domi anguſta premebatur Vida. 145
Regina ſcacchica Amazon. 107
Regina nigra ſcacchica, priore caſa, ſucceſſio. 117
Regina, priori occiſa ſucceſſura in ludo ſcacchiorum leges. 115. *ejuſdem adhuc nova ferocia.* 116
Regina ſcacchica leges. 104
Regina utriuſque ſcacchica interitus. 113. *candida ſecunda clades.* 118. *nigra ſecunda victoria.* 120
Reges, & regina ſcacchiorum ludi. 100
Regis ſcacchici leges. 104. 105. *albi deſperatio, & clades.* 119. & ſeqq.
Relegendi ex intervallo qua ſcripſeris, ratio. 38
Repetitio omnis moleſta. 34
Repetitiones poetica. 48. 49
Requietis deſcriptio. 58
Res verbis aquata apud poetas. 35. 38
Rerum, ac verborum copia ſcripturo aliquid paranda prius. 5
Rerum imagines apud poetas ex natura obſervatione. 38
Rebus accommodanda oratio. 48.55
Rebus aptanda verba, ac nomina, non contra. 55. 57. 58
Rhenus fluvius. 143
Rheſus. 32
Rhetorum facundia varietate reſperſa. 47
Rhetorum quoque pracepta poetica ſtudioſo non negligenda. 40
Roma excellentia. 41. 42
Roma plurimum ſe debere fatetur Vida. 155. & ſeq.
Rubis veſci bombyces, moro deficiente. 74
Ruina expreſſa. 58
Rus carmina ſcripturis accommodum. 19
Ruris laus. ibid.

S

Sagittiferi ſcacchici. 101. 103
Sale vitiatus humor bombycibus pracipue exitialis. 85
Sariſſæ, *Macedonica vox.* 54
Saturnus bombycum curam primus invenit. 81. *eamque Venerem docet.* ibid.
Saturni Phillyra amore capti fabula. 80. 81
Satyri, procaces. 74
Sauromata. 137
Scacchis Nympha, unde Scacchiorum ludo nomen. 99. 121
Scacchiorum ludi buxea ſimulacra deſcripta. 99. & ſeqq. *ſingulorum in acie collocatio, & officia.* 102. 103
Scacchiorum ludi deſcriptio. 99. & ſeqq. *a nemine antea tentata.* ibid.
Scacchiorum ludi leges. 102. & ſeq.
Scacchiorum ludi tabula qualis. 100
Scacchiorum ludum primus mortales docuit Mercurius. 120. 121
Schemata non affectate poemati ingerenda, ſed in loco adhibenda. 49
Schematum uſus in carmine. 45. 46
Scribendorum carmine effigies qualis formanda prius. 6
Scripturo aliquid vires primum ſua exploranda. 4. *rerum prius, ac verborum ſupellex paranda.* 5. *non properandum, ſed mora interponenda.* 5. 6
Scytha inſtabiles. i. e. vagi. 139
Seceſſus carmina ſcripturis apti qui. 19
Segnities expreſſa. 58

Se-

Senecta imbecillitas quomodo exprimenda. 58
Senectus poetis noxia. 140
Senectutis vitia. 146
Seres populi Orientis. 95
Seriades Nympha. 12. 67. 84. 96. 99. 121
Sericarum telarum diverſitas. 94
Serius in fluvium converſus. 95. 98
Serius fluvius. 12. 67. 121
Serii in Phæthuſam amor. 95
Serpentes quomodo exuta ſenecta rurſum juveneſcant. 77
Serum fila. 67
Sibylla oracula carminibus enuntiata. 21
Sichæus. 55
Sicharbas pro *Sichæo.* 55
Siculi maris anguſtia. 35
Silvani. 19
Simois fluvius. 26
Sinonis Virgiliani fraudulenta dicendi vis. 40
Sol Oceani hoſpes. 130
Solis armenta. 34. *equi.* 130
Solis ortus deſcriptio. 75. *item occaſus.* 130
Solymorum clades. 33
Somni periphraſis. 77
Somniorum eburnea porta. 34
Sponte, omnia felicius provenire. 5
Strepitus a bombycibus arcendus. 86
Studia ludis remittenda. 14
Studiorum ex amoris inſania intermiſſio. 15
Studiorum inter æquales æmulatio. 12
Styx. 91. 120
Superos quoque diverſos diverſis mortalium bellis ſavere. 105
Syncope. 55
Synecdocha poetica. 48
Συώθισις. 54

T

Telemachus. 39
Tellus Oceano nupta. 99. 100
Tempe. 13. 32
Tempeſtatis cum pugna, ſeu bello collatio. 46
Tempeſtatis deſcriptiones. 35. 57. 111
Temporis ratio ſervanda in poematis. 30
Themidis oraculum in Parnaſſo. 21
Thisbæa morus. 74. 93
Tiberinus flavus. 125
Tibris fluvius. 43
Titanum bellum. 55
Tityrus paſtor. 134
Tmeſis. 55
Topographia. 32
Translatio. vide Metaphora.
Tricorpor. 54
Triptolemus. 63
Triſtium rerum deſcriptio. 58
Tritonis lacus, ejuſque mira vis. 90
Troilus. 41
Turcæ Latio imminent. 137
in *Turcas Leonis X. Pont. Max. expeditio.* 42. *v.* Leo.
Turnus Virgilianus. 28
Turni confidentia. 39
Turni cum aſello comparatio, inepta. 33. *cum leone, optima.* ibid.
Turpia quomodo narrari a poeta, vel diſſimulari debeant. 41
Tuſculum altum. 143

V

Varietas in carmine, ut in rerum quoque natura, jucunda. 45
Varietas oblectat. 30
Vaticani limina. 138
Vegius (Scipio) medicus præſtantiſſimus, Vidam gravi morbo laborantem ſaluti reſtituit. 154. & ſeq.
Ventorum deſcriptiones. 35
Venulus Virgilianus. 34
Venus Adonim deflet. 132
Venus æquore orta. 85. *Erycina.* 108. *nuda quondam.* 80
Venus Apollini favet. 108
Venus bombycum curam mortales docet. 80. *eam a Saturno edocta.* 81
Veneris ad Vulcanum oratio. 40. *de Teucris oratio.* 39
Veneris bombycum interitus. 89. 90
Veneris ſtella. 119
Veneri Minerva infenſa. 80. 81. 85
Verba antiqua. 54. *barbara.* ibid. *duriora quomodo mollienda.* 55. *nova fingere, & ſupervacanea uſurpare quatenus liceat.* 53. 55. 56

Verba

Verba perſonis accommodanda. 57. 58. *accommodata.* 28
Verba rebus, non verbis res ſervire debent. 55. 57. 58
Verborum, ac rerum copia ſcripturo aliquid paranda prius. 5
Verborum compoſitio. 54
Verborum delectus, & ratio habenda quæ. 49. 50. *in carmine.* 44. 54. *a priſcis petenda.* 55. *& quatenus.* 53. 54
Verborum mutilorum exemplum. 54
Verborum obſcuritas cavenda. 44. 45
Verborum propriorum interdum, quam translatorum, venuſtior uſus. 49
Verbis æquata res apud poetas. 35
Veriſimilia dicenda poetæ, quum vera non ſuppetunt. 33
Veriſimilium pro veris uſus apud poetas. 45. 46
Verſus ad deorum laudes celebrandas primum inventi. 4. 21. *vide* Carmina.
Verſus, præcipites quando eſſe debeant. 58
Verſuum emendandorum ratio. 56
Vetuſtorum verborum uſus. 54
Victoria Columna. v. Nice.
Vida (Gelelmus) Hieronymi pater, mortuus a filio defletur. 143. & ſeqq. *vir impiger.* 147
VIDA (*Hieronymus*) *otio literato fruitur.* 135. *bello adverſus Turcas intereſſe cupit.* 138. & ſeq. *parentum mortem deplorat.* 143. & ſeq. *ejus fortuna, & ſtudia.* ibid. *gravi morbo laborans, a Scipione Vegio ſaluti reſtituitur.* 154
Vigor animi ad poeticen quomodo excitandus. 37. 38
Vigor juvenilis, in carmine expreſſus. 59
Virgiliana Æneidos diſpoſitio. 27. 28
Virgilius & Homerus pueris ſimul conſerendi: [illegible]
Virgilius pueris a teneris ediſcendus. 7
Virgilius quantum ornatus, & inventionis ab Homero ſumſerit. 41
Virgilii Georgica. 31
Virgilii imitatio in Mercurii virga deſcribenda. 120
Virgilii inter Latinos poetas præſtantia; quo ſe potiſſimum niti Vida teſtatur. 63
Virgilii locus. 30. 31. 32. 33. 34. 39. 40. 41. 48. 49. 57. 58
Virgilii præ cæteris Latinis poetis laus. 8. 9. 63. 64
Virgilii tempore maxima Latinæ linguæ virtus. 8. 9
Virgilio σύγχρονοι poetæ quoque non negligendi. 10
Vitæ brevitas; & qualis ejuſdem, ſtudioſo poetices habenda ratio. 16. 17
Viterbienſis cujuſdam ſenis faſcinum. 87. & ſeqq.
Viterbium Tuſcum. 87
Ulmo arbori cum moro affinitas. 74
Ulmum pabula bombycibus ſufficere, deficiente moro. 74
Ulyſſes Homericus. 7
Ulyſſis eloquentia. 40
Ulyſſis errorum deſcriptio. 25
Volſcens Virgilianus. 40
Urbium cœptarum deſcriptiones apud poetas. 36
Urtica veſci bombyces, deficiente moro. 74
Vulcanus Apollini favet. 112. 113
Vulcanus, Junonia proles. ibid.

X

Xanthus fluvius. 26. 139

Digitized by Google



M. HIE-

Digitized by Google

MARCI HIERONYMI
V I D Æ
C R E M O N E N S I S
A L B Æ E P I S C O P I
D I A L O G I
DE REIPUBLICÆ
D I G N I T A T E.

Digitized by Google

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
DE DIGNITATE
REIPUBLICÆ,
SEU CIVILIS SOCIETATIS,
AD REGINALDUM POLUM CARDINALEM,
LIBER PRIMUS.

QUi iſtinc veniunt, REGINALDE POLE, non tam tui familiares, quam cæteri homines hac iter facientes, omnes fere me adeunt, quem tui amantiſſimum, cupidiſſimumque norunt, ut me doceant de ſtatu tuo, deque tuis ampliſſimis, & florentiſſimis rebus; quæ quamvis omnium prædicatione, literiſque publicis, & monimentis conſignatæ ſint, ac conſecratæ, decretis publica auctoritate ubique locorum in Italia multorum dierum ſupplicationibus, eſt mihi tamen perquam jucundum eadem audire ab illis qui interfuere, & præſentes viderunt, ut eos de ſingulis quæ magis ſcire aveo, minutatim, gradatimque percunctor, a quibus omnibus ea intelligo quæ maxime de tua divina virtute expetebam. Britanniam, ad quam ſanandam, expiandamque ſumma auctoritate legatus fueras, optima quidem Philippi regis, & Mariæ reginæ præſtantiſſimæ, ac ſanctiſſimæ feminæ voluntate, atque virtute, ſed tua maxime conciliatione, ac diligentia, rediiſſe in gratiam cum religione, & omnem illam nationem, quæ malorum geniorum inſtinctu, atque afflatu ab antiqua ſancto-

rum patrum inſtitutione fœde deſciverat, ſanitati redditam, ad ſanctioris reipublicæ, Romanique Pontificis auctoritatem reverti*ſſe*, ac dicto plane nunc eſſe audientem. quo nihil ſalutarius a Deo *im*mortali nobis concedi poterat; iis præſertim temporibus, *propter* illorum factionem qui novarum rerum cupidi, in ſummaque *opi*nionum perverſitate, ac pravitate verſati, nova inducta diſciplina rerum omnium, & officiorum perturbatrice, nobiſcum de tota fere religionis ratione diſſentiunt, damnatiſque patrum ſententiis jam vetuſtate robuſtis, ac præjudicatis, a nobis defecerunt; ex qua nefaria ſeceſſione ſecuta eſt maxima perturbatio, morumque, & totius fere civilis vitæ everſio. Nunc tandem, republica a te tam præclare geſta, lux quædam oblata eſt omnium animis, qua ſibi quiſque videtur res poſſe ſperare meliores, & tantorum malorum jam prope adeſſe finem; quibus rebus neceſſe ſit te omnium ſeculorum præconio uſquequaque clarum fore, ac ſemper laudibus florentem, nullamque poſteritatem ullo umquam tempore tui immortalis beneficii, ac ſingularis facti immemorem, aut ingratam futuram: quamvis tu animi quadam incredibili magnitudine diis propior, quam hominibus, parvi ſemper duxeris mortalem hujus gloriæ ſplendorem, ſemperque volueris in vita honoribus non tam uti, quam dignus, non dico videri, ſed eſſe, ipſaque virtute vera, ac ſolida nullis ſpectatoribus, ſed Deo tantum & teſte, & judice tecum frui; licet gloria ipſa, vel non expetita, tamquam umbra virtutem per ſe quoque ſequi ſoleat, conſentiente diu bonorum laude. Referunt præterea iidem illi, in tuis ſummis, atque incredibilibus tantarum rerum occupationibus te haud umquam doctrinæ ſtudia intermittere; adduntque unum, quod mihi viſum eſt quaſi incredibile, cupere te admodum ſcire pro tuo in literas ſingulari ſtudio, quid ego agam iis perturbatis temporibus tam acerbo, & pernicioſo ardente in ſubalpinis bello. ecquid adhuc mihi commercii cum Muſis, quid cudam, quid moliar. quo præſertim in ſtatu ſit opus illud a me jampridem ſuſceptum de optima reipublicæ ratione, deque optimo civitatis ſtatu, de quo memini me multa tecum egiſſe Magutiani pridie illius diei quo primum in Britanniam iter facere cœpiſti, quum te omnino videre voluiſſem antequam ab Italia ſolveres, ut, quando a nobis tam repentino diſceſſu auferebaris, paulliſper ſaltem aſpectus tui, atque præſentiæ mihi optatiſſimæ incredibili ſuavitate animum paſcerem, atque, ſi fieri poſſet, uſura unius diei exſatiarem. Ne igitur omnino ignores quicquam eorum quæ ad me, & rationes meas attinent, in medio incendio, & in ipſius belli quodammodo ore, ac faucibus flagrante Alba, Cremonam me tandem conjeci in veterem patriam, ut hic cum amicis, & propinquis hanc totam tempeſtatem tuto, ſi poſſem, declinarem, & omnem hujus temporis turbulentiſſimi moleſtiam minus moleſte devorarem: in quo abs te viro graviſſimo, ac ſapientiſſimo ſpero probatum

batum

batum iri meum conſilium, quum diœceſim reliquerim non tam capiti meo, aut vitæ metuens, quam conſulens, & cavens publicæ dignitati, atque honeſtati, ne viliſſimo cuique lixæ, aut turpiſſimo mancipio pontificia perſona eſſet ludibrio, atque irriſui propter militum inſolentiam, qui ſoluta ubique vitio temporum diſciplina nuſquam temperant ab injuria, & maleficio, atque etiam in cives, & ſocios, pacatoſque omnes hoſtiliter agunt, ipſos præſertim ſacerdotes ſtudio quodam improbiſſimo ludificantes, ac deſpicatui habentes. quo fit ut omnis illa obſervantia, honorque, & cultus quibus populi ſuos antiſtites dignari ſolent, relangueſcant, fœdoque exemplo paullatim evaneſcant. Quid tu autem hic in tanto otio aliud me agere putas ab omni ſacrorum curatione, pontificiæque provinciæ adminiſtratione liberum, niſi in optimarum rerum ſtudia perpetua vitæ meæ conſuetudine incumbere, noſtriſque hominibus bonarum artium vias literarum monimentis tradere, ſi quo modo ego quoque poſſim prodeſſe communi mortalium vitæ? Nihil namque iis temporibus quibus adeo mores depravati intabuerunt, aut potius corruerunt, judicavi me aliud quicquam, quod magis conduceret, quodve magis me dignum foret, efficere poſſe, quam operi illi jam inchoato die noctuque incubare, & obſoleta, prolapſaque majorum inſtituta in omni vitæ genere ad rerumpublicarum noſtri temporis, præſentiſque religionis tractationem pertinentia, in priſtinum ſplendorem vindicare. quem locum in philoſophia apud Græcos ſcis eſſe, quo non alius latior. πολιτικὴν illi, nos vero *civilem* vocamus, a Platone non ſemel pertractatum, a Xenophonte, Ariſtotele, Theophraſto, totaque Peripateticorum familia uberrime repetitum. Abeſt vero plane a literis Latinis, parum noſtra ætate illuſtratus, ſublatis, atque deperditis barbarorum injuria ſex illis libris quibus M. Tullius Cicero ſe ipſe teſtatur explicaſſe hanc philoſophiæ partem, quotquot ipſe ſcripſit præſtantiſſimis. Verum in iis ſtudiis vix credas, quam mihi ipſi diſpliceam, quod non omni cura, ac ſtudio providerim, ne tantæ cogitationis ſuſceptio, niſi perfecta re, emanaret. Equidem non poſſum ferre quorumdam hominum nimis feſtinantium importunam exſpectationem, qui a me id munus exactum, tamquam creditam a ſe pecuniam, penſumque debitum nimiopere exigunt, atque efflagitant, meque, qui numquam niſi volens, ac mea ſponte currere ſoleo, volare cogunt ſarcina iniquiſſimi oneris vehementer preſſum, atque impeditum. Porro ignorant quantæ ſit lucubrationis, rem tantam, tamque involutam explicare, & quodammodo conſequi, aut expugnare, in tantaque rerum ſilva, tamque multiplici, ea quæ tantopere diſperſa, atque prope infinita videntur, ratione quadam circumſcripte, diſtributeque colligere, & ſub unum quaſi aſpectum ſubjicere, ut interdum fateri cogar, plus me huc animi, quam judicii attuliſſe, plus voluntatis, quam facul-

facultatis, magis ſtudio, quam ingenio ſuffultum; ſentioque ipſe mecum ſæpius, quam non ſit mearum virium. Siquidem non unam civitatem, ut antiqui legum latores, ſed univerſos populos, ac nationes CHRISTI legibus obtemperantes, atque in poſterum obtemperaturas inſtituimus, beneque, & beate vivendi vias diſſerendo aperimus, ac præcepta damus tam iis qui imperant, quam qui parent, & omnes ad omne officii genus inſtituimus, univerſaſque rerumpublicarum rectiones, genera, ſtatus, mutationes, mores, leges, & inſtituta explicanda ſuſcepimus. neque equidem exiſtimo ullam aliam rem eſſe in vita hominum quæ plura doctrinæ præſidia, & adminicula deſideret, non tam propter obſcuritatem, quam ob rei quamdam incredibilem magnitudinem, & quaſi infinitatem. In illis tamen rerumpublicarum formis quas Græci maxime probant, unius imperio, optimatumque, & populari gubernatione multa haurire poſſum ex ipſorum Græcorum rivis, quæ mihi ſint adjumento. Verum quoniam poſt illorum ætatem introducta fuit valde diverſa vivendi forma, aliaque plane nunc eſt reſpublica, alia civitatis inſtitutio; alia rectio, atque tunc erat, propter religionis, quæ totam fere rempublicam continet, valde mutatæ diverſam rationem, parum admodum illorum ſcripta mihi opitulari poſſunt. omnis enim fere noſtra diſputatio, tamquam hominis Chriſtiani, & ejuſdem ſacerdotis, ad auguſtioris iſtius reipublicæ formam referatur oportet, quam CHRISTUS ipſe, quem Deus pater ante initium ſeculorum conſtituit hæredem univerſorum, divino, ac ſempiterno nutu moderatur in cælo rex, & dominus, in terris vero a ſacerdotibus vicaria poteſtate, uno inter cæteros gubernatore ſumme eminente, adminiſtratur. Hanc philoſophi illi veteres, de quibus modo dictum fuit, penitus ignorarunt. neque omnino noſſe poterant, quum ſit aliquot annos orta ex quo illi eſſe deſierunt, non hominum ingeniis adinventa, ſed divinitus quodammodo conflata, cujus auctorem dicere poſſumus ipſum univerſæ naturæ regem, & effectorem, rerumque omnium molitorem Deum. Nempe quæ a philoſophis de republica ſcripta ſunt, ita varie, ita controverſe, & diſſentanee tractantur, ut non modo illi inter ſe, ſed etiam a ſe ipſi interdum diſſideant, ſecumque iidem pugnent, quodque aliquis in uno affirmat, in alio ſæpe libro plane neget, atque refellat, parum ſibi conſtans, ſuique prorſus immemor. atque hic equidem haud de infimis, ac minutulis, quos ſophiſtas vocant, ſed de cordatioribus, & ſapientioribus loquor, quos omnis ætas illa admirata eſt principes, & quaſi philoſophorum reges ſeſe omnis doctrinæ magiſtros profiteri, inſtructiſque in media Græcia diſciplinarum officinis, virtutes, & ſapientias ebullire. Neque enim ulla hominum congregatio reſpublica vere dici poteſt, ubi CHRISTUS, qui eſt ipſa juſtitia, non dominetur. Quî enim, rogo, ſine cæleſti lumine veritatem illi intueri, atque agnoſcere poterant? Erra-

tum

tum eſt itaque diu in tenebris, donec de cælo, tamquam divina lux rebus affulgens, ipſe unigena Dei filius admirabili ſtatu, inexplicabilem in modum humanam naturam indutus, ad nos delapſus eſt, ut eſſet nobis rerum cæleſtium interpres, atque internuntius, ipſique ſummo parenti Deo, & hominibus veluti quoddam interjectum medium extrema colligans, divina humanis conjungeret, & quaſi unum admiranda continuatione efficeret. Quum is igitur in terris adhuc inter homines verſaretur, omiſſis, præteritiſque omnium rerumpublicarum formulis, quas philoſophi, & legum latores eatenus tradidiſſent, divina ſapientia præditus, immo ſumma ipſe totus ſapientia, ad rationem cæleſtis imperii, divinæque illius immenſæ civitatis quæ omni morbo, ac ſenio caret, unde profectus erat, hanc quodammodo ſemicæleſtem, quaſique divinam inſtituit, miſcendoque divina humanis, auguſtiſſimam fecit ad omnem excellentiam, optimiſque legibus non minus religioſe, quam civiliter temperavit, non unis mœnibus ſeptam, ſed toto terrarum orbe diffuſam, firmiterque in cordibus hominum fundatam. atque ita rerum cæleſtium ordinem, & divinam inſtitutionem e cælo devocavit, & ad uſum popularem tranſtulit, atque civilem, ut homines in terra adhuc poſiti, prope cæleſtem vitam agerent, ſibique viam munirent, qua quaſi compendiaria aſcenſum in cælum molirentur. Quoniam vero deinde progredientibus ætatibus a tam præclara inſtitutione moribus, & vita deſciverunt homines, relanguentibus ſtudiis, ſatietate quadam, ac faſtidio affecti, deflexitque valde de ſpatio, curriculoque majorum conſuetudo, mihi elaborandum eſt, ut veræ doctrinæ præceptis, quam nemo queat refellere, res tantopere collapſa obviam eundo, medendoque hominum cupiditatibus, in priſtinum reſtituatur; utque purgata religio, quaſique ſuffimentis quibuſdam luſtrata, denuo ad priſcorum laudem ſplendeſcere incipiat. quæ quidem quanti ſint laboris, quantarum vigiliarum, tu te ipſe, qui harum rerum es peritiſſimus, optime omnium judicare potes. Ingredior enim ſcribere Latine, ſi potero, de re minus literis Latinis illuſtrata, eorum inquam monimentis qui bene Latine ſcribunt. neque etiam hic quicquam veteres philoſophi, ſeu Græci, ſeu Latini juvare poſſunt meam induſtriam. Mihi potius adeundum eſt theologorum noſtrorum ſanctiſſimorum hominum abditos, atque reconditos fontes, non tam amœnos, quam ſalubres, magis ſynceros, & puros, quam nitidos, aut illuſtres, quum ea reſpublica florere cœperit tunc, quum literæ loqui Latine plane deſiiſſent, mutata in Latio, totaque Italia propter barbarorum commercium ſermonis ratione, ut qui ſcripſerunt de iis rebus, non tam verbis, quam ſententiis ſint inſignes, non tam lingua, quam corde, ut ita dicam, diſerti, ſicut barbarorum quædam pergrandes ſtatuæ, quæ quidem totæ ſunt aureæ, & ex auro puriſſimo conflatæ, ſed ad ſpeciem inconditæ admodum, nulla elegantia, aut con-

concinnitate, turgidæ, & undique redundantes. Quid autem, inquiet forte quiſpiam, iſta cum theologis, quum potius ad mores pertineant, quæ eſt pars philoſophiæ, magis a philoſophis, quam a theologis pertractanda? hujus autem rei facilis defenſio, quum mihi res ſit tecum, ideſt cum viro harum rerum ſcientiſſimo, atque doctiſſimo. Mihi profecto ea ſcribenti idem uſu venit quod philoſophis illis veteribus, qui præcepta vivendi in civili communione tradiderunt; nam quum vellent inſtituere eam civitatem quæ omnes numeros impleret, nullaque talis ſe animis eorum offerret ex cunctis quæ ab aliis ſeu Græcis, ſeu barbaris jam poſitæ eſſent, atque inſtitutæ, unde poſſent exemplum petere, & ſimilitudines ducere, omiſſis, relictiſque omnibus quæ ſub aſpectum cadere poterant, aliam rempublicam longe præſtantiorem, omnibus detractis vitiis, omni laude cumulatam per ſe ipſi animo cogitabant, mentiſque complexu, & intelligentia comprenſam habebant, cujus ſpeciem intuentes ad ejus ſimilitudinem omnem ſuam inſtitutionem dirigerent, omniaque redigerent ad eam, tamquam ad ſui generis ſpeciem, & formam, quas ideas vocant, eaſque æternas eſſe volunt: fingebantque ideo interdum illas civitates quæ nuſquam eſſent, neque umquam fuiſſent, neque ullo tempore futuræ forent, commenti etiam neſcio quas fortunatorum populorum inſulas, ac civitates, meras hercle nugas, vanaque rerum ſimulacra, quorum uſus eſſet nullus. itidem nobis faciendum eſt, ut non tantum de ea republica ob quam tota noſtra diſputatio ſuſcepta fuit, quæramus, ac diſſeramus, verum etiam, & in primis, de illa perfectiſſima cæleſti, & divina, ad cujus rationem iſta informata fuit; in quo quidem certior, & firmior eſt noſtra ratio, quod nos, non, ut illi, vanum, vagumque & inconſtans ſimulacrum, quod ſequamur, propoſitum animo habemus, ſed omnino verum, ſtabile, atque exploratum exemplum ſummam illam civitatem, ſumme ex omni parte, in omni genere perfectam, omnibus numeris expletam, cumulatam, abſolutam, ut nihil inde abſit, nihil plane redundet, omnibus bonis nullo malorum interventu confertiſſimam, in qua nihil deſideratur, ſed virgula divina piorum conciliis ſuppeditantur omnia quæ vitam beatam efficere, & conſervare poſſunt, ubi ſumma imperandi ſapientia præditus nutu, ac poteſtate dominatur rex ille ter optimus, terque maximus, in cujus femore divino oraculo proditum fuit inſcripta eſſe literis aureis quatuor illa ſummæ majeſtatis verba Rex Regum, Dominus Dominantium; a cujus eximiæ civitatis cæleſti exemplari primigeno, ac ſummo in hanc inferiorem omnis pietas, omnis ſanctitas, omnis virtus, cunctaque recte vivendi ratio inundavit, ac nihil boni in ulla mortalium civitate, aut republica eſſe poteſt, quod non ab illa una cæleſti defluxerit, quum ſit inſtar omnium, unde aliarum quaſi ductæ imagines exprimuntur. Quod quidem videntur aliqui philoſophi innuere memorantes hunc aſpectabi-

Digitized by Google

ſtabilem, & lucentem mundum eſſe alterius æterni ſimulacrum. Illuſtrius prophetes rem aperto vaticinio declaravit, quum præ gaudio quaſi exſiliens exclamaret, ſe vidiſſe civitatem novam, ſanctamque, & admirandæ pulchritudinis deſcendere de cælo a Deo cultam, atque ornatam, ſicut ſponſam comtam viro ſuo, ſecuta etiam voce præpotentis, ac ſummi illius moderatoris de ſolio ſuo atteſtantis circumſcriptis omnium legumlatorum inſtitutis, omiſſiſque omnibus veteribus rebuspublicis conſtitutione iſtius recentis ſe nova facere omnia. ad quarum rerum explicationem mihi pleraque ſæpius exploranda ſunt in reipublicæ quam in manibus habeo, inſtitutione, an cum ampliſſimæ illius cæleſtis civitatis ratione, ac formula congruant. quod quam facile fieri poſſit ſine theologorum præſidiis, aut adminiculis, tu optime omnium noſti. De quibus cunctis tibi nihil exigenti rationem reddere volui pluribus fortaſſe, quam oportuerat, ut una eademque opera reſponſum eſſet tot meis flagitatoribus. Interim tamen ne quis forte ſuſpicetur, me penitus ceſſare, & in otio langueſcere rei magnitudine, ac difficultate deterritum, ſtatui ad te mittere illam unius diei diſputationem, quæ ſuperioribus annis Tridenti te quoque præſente privatim habita fuit a me, & M. Antonio Flaminio de reipublicæ, ſeu civilis ſocietatis utilitate, ac dignitate, quum illo omnem civilem conciliationem impugnante, & quaſi accuſante, reque in controverſiam, & contentionem vocata, quo me vel ſic ad loquendum de reipublicæ ratione eliceretis, coactus fui eam defendere, ac, quoad ingenium ſuppetiit, dilaudare. Illius igitur accuſationem, meamque defenſionem, laudationemque, & totius illius diei diſceptationem in utramque partem, quæ omnia, ſicuti res acta eſt, literis diligenter mandavi, accipies, tamquam aliquod hujuſmodi rerum a me ſuſceptarum ſpecimen, ex quo de cæteris judicium facere queas. Hic tamen liber erit ſeorſum ab aliis ſejunctuſque, & omnino extra ordinem eorum in quibus agitur non tam de reipublicæ & civilis ſocietatis laudibus, quam de univerſa civitatis inſtituendæ ratione, totaque reipublicæ materia explicatur: haſque quaſi orationes duas inter ſe collatis argumentationibus controverſas leges, ſi quod interdum vacuum tempus datur a tuis maximis rebus, & præclariſſimis actionibus, quibus rempublicam tam præclare geris. Utinam vero ſicut religioni in Britannia, tua opera, atque conſilio tam egregie conſultum fuit, ita te quoque eodem pacificatore concordia inter reges noſtros conciliata, otium, & quies ubique rebus reddatur. quod unum adhuc ſumma omnium opinione, ac ſpe de te uno, deque tua ſingulari virtute exſpectatur.

C o a c t o igitur Tridenti multorum antiſtitum concilio, nondum tamen quicquam cœptum erat agitari in curia publico conſilio de iis quæ pertinent ad rempublicam, cujus rei gratia conveneramus eo acceſſiti; ſed adhuc ſuſpenſa tenebantur omnia propter il-

lorum cunctationem qui ex Germanis tam fœde ab Eccleſia, vel, verius, a ſe ipſis deſciverant, ſubterfugientes publicum patrum congreſſum, neque in certamen, & arenam ullo pacto prolici poterant, ſicut etiam nunc ſemper prolatando rem trahunt, moraſque omnes tergiverſando interponunt; dum tantus conventus longa exſpectatione defatigatus, dilabentibus quotidie iis, & illis, diſſolvatur, haud adeo ſtolidi, ut plane ignorent longe alia ratione ſibi agendum fore cum doctis, & cordatis viris, atque cum imperita multitudine, cui facile fuit, quicquid ipſis collibuit, perſuadere, indoctorumque, & agreſtium animis caliginem, & quaſi noctem quamdam offundere. quæ improborum hominum mora nullam poteſt habere excuſationem, quum eorum incolumitati ſatis cautum videri queat etiam Cæſaris nutu, atque auctoritate, fide publica luculentiſſimo diplomate interpoſita. In tam diuturna ceſſatione, quum omnes plane difflueremus otio, diem ex die ducentes, venerunt ad me Aloiſius Priullus, & M. Ant. Flaminius in hortos ſuburbanos ad crucem auream, ubi, tamquam in gratiſſimo diverſorio, mihi per æſtatem domicilium collocaveram conceſſu ampliſſimi inter Cardinales patres viri Chriſtophori Madrucii epiſcopi, & principis Tridentini, longe majoribus imperiis, infuliſque digniſſimi; quos ego ubi in topiario opaciſſimo antemeridianis horis adhuc deambulans excepiſſem, invicemque amiciſſime nos noſtro more conſalutaviſſemus, erant enim mihi ambo longa conſuetudine conjunctiſſimi: *Quid vos tandem huc, inquam, hac hora? quid Polus noſter his caloribus? nullius equidem dici hoc anno memini majores. Eamdem,* inquiunt ambo, incudem tundit in ſtudiis ſuis ſe oblectans. Adjecit inſuper Priullus: Nulla vi cæli neque æſtivis menſibus, neque ſumma hieme adduci poteſt, ut illa ſua inexhauſta legendi cupiditate, inſatiabilique voluptate quadam cognoſcendi, quicquam a ſtatis horis detrahat, aut remittat, quum ſit tamen tenui valetudine, neque admodum firma natura; dixit autem hodie exſpectare, dum ſe remittat calor, quo in hoſce hortos tuos perpaullum relaxandi animi gratia divertatur. nos vero uti anteceſſores prævenimus, quum ut totius hujus diei calores tuo ſermone recreati temperemus, tum ut veſtri amborum colloquii auditores ſimus. nam dixit ſe habere quæpiam, quæ tecum commentetur de reipublicæ conformandæ ratione, quæ aut ipſe, aut tu, aut certe utrique (nempe a neutro noſtrum liquido ſatis perceptum fuit) in manibus habetis propter eos qui hac tempeſtate in eam fraudem reipublicæ delapſi ſunt, ut conentur non modo omnem Eccleſiæ ſplendorem contagione diſciplinæ peſtilentis obſcurare, verum etiam ipſam Eccleſiam funditus convellere, atque in ſempiternum delere, ſublata penitus, quantum in ipſis fuit, religione, everſiſque moribus, ſine quibus duabus rebus nulla exſiſtere poteſt reſpublica. Gratias equidem, inquam, habeo iis hortulis, quorum beneficio mi-

hi

hi datur interdum tam divini, ſingulariſque viri frui ſuavitate, cujus contubernio, perpetuoque convictu ambos vos eſſe fortunatos ſemper exiſtimavi: ſimulque familiaribus imperavi, in porticu ſellas, & pulvinos pararent in tanti viri exſpectatione. Ad illos vero interim: Quid Muſæ veſtræ, inquam? Priullus, Meæ, inquit, frigent. neſcio, quid tuæ, Flamini. Immo, inquit ille, ſilent meæ. Permirum, inquam, utrumque, ac plane incredibile; tuas nunc, Priulle, algere, quum Tridenti non caleant modo, ſed igneſcant omnia; tuas vero, Flamini, conticeſcere, quum cicadæ ipſæ numquam audiantur, niſi maximis caloribus, quo uno anni tempore etiam de multa nocte canunt. Riſum eſt hic ſuaviſſime inter nos aliquantum. Tum ecce Reginaldum Polum video poſitis, relictiſque ante fores faſcibus, quaſi e domeſticis unum familiariſſime ingredientem; cui illico aſſurgentes, quaſique venerabundi occurrimus. viſus ſum equidem repente quaſi quoddam rarum ſanctitatis exemplum, priſcæque religionis imaginem intueri. eum autem ſub porticum deduximus. Verum vix aſſederamus, quum nuntiatur a familiaribus adeſſe quoque ampliſſimos viros Jo. Marium Montium, & Marcellum Cervinum ambos Poli ipſius collegas, qui auctoritate Pontificis Maximi ex ampliſſimo Cardinalium patrum collegio legati fuerant, ut conjuncta poteſtate judices, ac diſceptatores præeſſent communi Chriſtianorum conſilio. fortuitu ne, an conſulto, compoſitove, re cum Polo ante communicata, concinnataque, nondum plane exploratum habeo.

Quum tres illi igitur ſummates noſtri conſediſſent, ſuo quiſque loco, certoque ordine, ego quoque verecunde ſecundum illos, coegerunt etiam Priullum, & Flaminium juxta aſſidere humaniſſimi, ſummiſque honoribus ſemper modeſtiſſime utentes, cæteris excluſis eorum ſectatoribus, ſtipatoribuſque, & per hortos interim deambulantibus. Tum ſubridens hilarem in modum Montius, qui ejus legationis principem locum obtinebat, nullo verborum, aut ſermonis apparatu, ingenue quidem, & liberaliter, ut eſt natura apertiſſima, neque ex illorum numero qui dignitatem in ſuperbiam vertunt: Nequaquam, inquit, ſic vobis abierit, qui nobis non vocatis, planeque præteritis clam inter vos rerum illuſtrium inſtituitis diſputationes. & nos quoque, ſi forte vos præterit, habemus noſtros codicillos domi, quibus legendis aliquando operam dedimus, non nihilque olei inſumſimus. pergite dum. non erimus regno indecores, neque auditores tales habebitis, quorum vos aliquando ſuppœniteat. Sub ea addidit Cervinus, qui novit interdum ſuæ gravitati comitatem, facilitatemque inſpergere, & ſe amicis jucundiſſimum præſtare: Vereor, inquit, ne vobis moleſti intervenerimus. Sed quæſo vos, ordine, quo occœperatis, rem proſequimini interruptam noſtro interventu, ſermonemque redintegrate. neque enim diſputationem iſtam jam a vobis, ut arbitror, inchoatam, interverti

 volu-

volumus. ipſi vero nos excipite, perinde ac ſolet ſodalium diſcumbentium cœtus, ſi quis forte ſerus, nec ſatis tempore cœpta jam cœna acceſſerit. etenim eum illico accumbere cogunt nullo alio epularum apparatu, atque ipſi cœnabant, adhibito, præter unam ſellam, qua illum medium accipiunt. neque denuo ipſi ab ovo cœnam repetunt, ſed in eodem, quo erant, epularum ſtatu proſequuntur. neque vos oppido de epulis oportet eſſe ſollicitos. habebitis hoſpites fortaſſe integra fame edaces, non tamen admodum delicatos, faſtidienteſve, ſed, ſicut philoſophos decet, minime graves, faciles potius, tenui diſculo, menſaque parabili contentos; quamvis non ignorem Polum noſtrum numquam imparatum ſemper ſolitum apparate, & nitide ad ſe divertentes tractare, neminemque pati a ſe dimittere non bene, lauteque acceptum. Ego ne? comiter, ut ſolet, inquit Polus, qui huc precario cœnaturus acceſſi? Si vos tam re, quam verbo philoſophi haberi vultis, qui ex natura vivere poſſunt, nos cunctos magnificentiſſime accepturus eſt Vida, qui, ut deſint cætera, poſſet multos dies ſuorum hortorum oluſculis paſcere Epicureorum greges. Statim ego ſubridens, Si, inquam, non invitati mecum cœnaturi acceditis, vereor ne culpæ veſtræ ſit ſubito comes futura pœnitentia. ad hoſpitem certe rerum omnium imparatiſſimum veniſtis, qui hodie nihil imperavi domi, quod foras ad amicum promiſiſſem. ſed quid ego imperarem, ut vos primates viros, tantoſque heroas convivas exciperem, cui tota domus, quantulacumque, ut ille inquit, eſt inaniis refertiſſima. ſi me audietis, atque ſi ex dignitate veſtra vultis cœnare, nobis omnibus hinc remigrandum erit, & ad cujuslibet veſtrum trium triclinia delicate, magnificeque ſtrata commeandum. ubi lautiſſimis lancibus confertiſſimiſque caniſtris res geri ſolet. hæc vero mea oluſcula relinquemus Epicureis, quorum conſuetudinem, ut morbum, & peſtem, ſemper fugi. aut certe, ſi forte in hiſce omnino hortulis cœnare ſtatuitis, non multum adeo ab ædibus veſtris disjungimur. poterit huc percommode transferri veſtri cujuſquam bona, & magna cœna. Non ſoleo ego vos principes viros facile ad me invitare omnium rerum inopia locupletiſſimus. in æquales tamen meos, qui, inquam, ſunt inferioris ordinis, meique ſubſellii, non ſum plane illiberalis, aut præter modum rei meæ tenax. Tum Montius, Remotis, inquit, iſtis ſermonum integumentis, atque involucris, venimus huc ego, & hic meus collega, ut audiremus te cum Polo colloquentem reconditiora, ac ſelectiora quædam de republica, de qua te modo inchoaſſe ſermonem cum his Flaminio, & Priullo perlatum fuit. quod libenter, percupideque fecimus, quum nulla alia magis poſſit hujus temporis eſſe commentatio, quo a nobis quærenda ſunt remedia quæ tot morbis languentis, & affectæ reipublicæ adhibeantur. His dictis, quum ipſe, cæterique omnes qui aderant, in me unum oculos conjecti intendiſſent, tum demum ſenſi mihi

collo-

collocatas fuiſſe inſidias, in quas imprudens me induceram. Rem, inquam, magnam, gravem, plurimique otii, & commentationis a me haud ſane pereruditο homine poſcitis, lautum hercules negotium, neque mediocris ingenii, neque artis non exquiſitæ, quod niſi præparato otio inſtitui poſſit, neque exiguo tempore abſolvi, magis philoſophorum ambulacris, hoc eſt docto viro, & parato conveniens, non in curatione rerum divinarum occupato homini. majoris ingenii indiget, hominemque depoſcit omnium doctrinarum ſtudioſum. quicquid vero id ſit, & quantumcumque optime omnium Polus nobis exactum dabit. hic enim omne ſtudium ſuum, in doctrina, & ſapientia collocavit, jam diuque ſecurus animi in portu philoſophiæ conquieſcit. & id quidem opportune cadit. nam ipſe per hos Priullum, & Flaminium modo mihi denuntiavit, ſe habere quæpiam quæ mecum de republica conferat. id ego ſum interpretatus, dictum fuiſſe de ejus ſtudiis, & lucubrationibus, in quas die, noctuque incumbit, ſeculum noſtrum literarum monimentis illuſtraturus. Me ne, inquit, Polus, habere quædam quæ tecum colloquar de republica? ſi recte hi percepere qui id tibi nuntiarunt, dixi, eſſe nonnulla quæ de te audire vellem de republica. etenim eſt fama conſtans, & percelebris, te magna quædam moliri de reipublicæ omnis generis adminiſtrandæ ratione ad hæc tempora valde accommodata, quæ res uſque ad hanc ætatem lumine literarum Latinarum ſemper caruit poſt vaſtatam a barbaris Italiam, qui non minus optimis libris, & ingenii monimentis bellum intulere, quam fortunis Italorum, non contenti hanc ſplendidam orbis partem cunctis opibus evertiſſe, niſi etiam optimas artes, & diſciplinas inde ſuſtuliſſent, deleviſſentque, quoad in ipſis fuit, in ſempiternum. tu unus ea commode exſequi potes. nempe quum ſis de iis ſcripturus, credo equidem, te jam habere percurſum animo quicquid in hac materia tibi erit pluribus, & illuſtribus rebus explicandum. ſiquidem rerum eximiarum diſputationes oportet longe ante, quam ſcribantur, paratas eſſe, neque id plane fieri poſſe reor ſine multa rerum omnium publicarum pertractatione: tantamque rem judico dici oportere ſcienter, perite, atque ornate. ſed de te hæc, & ſimilia, non dicam majora, exſpectare debemus, neque enim video quem alium iſto majorem in philoſophia locum, amplioremve dicere poſſim. nam præterquam, quod non imparatum offendimus, ita es in omni dictione exercitatus, ut tibi deeſſe non poſſit oratio, præſertim quum de philoſophiæ parte nobili diſſerendum ſit, in cujus ſinu a teneris educatus fuiſti, omiſſiſque ſtudiis earum rerum quæ res a vulgo in ſummis habentur, eſſe apud te multos annos pergis, præcipue quum ſis inter hos verba facturus qui cuncti inter bonas artes adoleverunt, noruntque, quantis difficultatibus ea res obſtructa ſit, & involuta; ſuæque ideo quiſque facultatis memores, in aliena induſtria judicanda æquiores ſe æſtimato-

mato-

matores præſtabunt. Neſcio, inquam, unde iſtæc fama ortum habuerit. tantum memini inter loquendum cum amico & ſeniore, & gravi, ac, ſi quid ad rem ſpectat, Romano homine, *mihi* neſcio quomodo excidiſſe, cupere me videre literis Latinis totam *philoſophiam* quæ ad mores attinet, explicatam; cui rei tantum deeſt ea pars quæ eſt de civitatum, & rerum publicarum rectione, ac temperatione, deperditis ſex aureis illis libris quos M. Tullius Cicero, omnis eloquentiæ parens, ſe ſcripſiſſe teſtatur in aliis libris; dixique, ſi umquam ab hac celebritate, iiſque ſubſelliis abductus, in otium, & ſolitudinem me reſtituerem, fortaſſe periclitaturum, quouſque in hoc tam ſplendido negotio progredi poſſem. Etenim rem tantam ſciebam non ſuſcipi poſſe occupata opera, animoque impedito. ſed exſpectabam, ſi umquam hoc peracto conventu *in* Sambaſſianum meum ab arbitriis remotum me recepiſſem, ad amœniſſimas Serii ſaluberrimi amnis ripas, avita prædiola præterfluentis, quibus nihil æſtivis menſibus opacius, nihil alſius inveniri poteſt. putabam equidem id homini fido, & frugi a me tuto creditum: ſed plenus rimarum paſſus eſt a ſe tam cito effluere; ſtatimque, quod multa religione celare debuerat, palam fecit, & ubique deprædicavit. Quin age, inquit Cervinus, tantis viris, tanto tibi amore, Vida, conjunctis te dede, & tandem deſiſte delicias facere, ita te invite nobis obſequi oſtendis. agis profecto nobiſcum verecundius, quam te decet. nobis negas, quod cuique vel ignoto homini non rogatus fortaſſe concederes. jam elicuiſſemus *lapidem* ad loquendum. Ordire tandem jam inclinato in poſtmeridianum tempus die. Subjiciens quoque Montius: Per nobis per, inquam, gratum feceris, ſi omiſſis tot tergiverſationibus exorſus fueris explicare, quid de republica ſentias. noli theſauris qui ſunt penes te, tibi uni incubare. verum cum amicis partem aliquam communica. memineris in oraculis veræ ſapientiæ accuſari eos inertiæ, atque ignaviæ, qui talenta neſcio quæ in terra defodiunt, quæ obruta neque ipſis, neque aliis uſui umquam ſint futura. Hic denique conſpicatus mihi omnem incidi deliberationem, abſciſſa penitus fugæ ſpe, nolui ulterius videri moroſus, & ad eos converſus: Vincam, inquam, animum meum, optimi viri. hanc fabulam tranſigam, quando tantopere inſtatis omnibus adhibitis machinis. Varronis theſauros, quos fortaſſe, Monti, putas apud me occultari, affluenter profundam. quod hactenus negarim, voluiſſem vos in eam partem in quam æquum erat, accipere, mihi magis rem deeſſe, quam voluntatem, præſertim quum præſentiæ veſtræ, ac dignitatis lux, & ſplendor mihi oculos perſtringeret. ne vobis tacentibus ego neque doctus, neque aptus ad dicendum, ſed vix literis communibus tinctus de ampliſſimis rebus auderem loqui. id fuit cauſſæ cur hactenus vobiſcum repugnanter admodum egerim. dicam tandem magis coactus, quam paratus, hac tamen conditione,

ut

tat ſi oneri ſuccumbere videbor, unus veſtrum qui ſibi paratior videbitur, mihi opitulaturus ſuccedat. inſtat enim mihi iter ſubitum, & oppido longum. univerſam vero ipſe rem dumtaxat aperiam ſummatim, & per capita, ut vos eliciam ſingulos ad dicendum de ſingulis partibus diſtribute, & articulatim: extundamque ea, atque dolabo, quæ vos deinde perpoliatis, atque inchoata perficiatis, & quæ ego prætervolavero, vos inſtantes dilatetis.

Chryſippus, Stoicæ familiæ princeps, dicebat, cætera animantia propter homines eſſe nata, homines vero ad congregationem, & ad ſocietatem humani generis, ſuæque ipſorum conjunctionis cauſſa procreatos affirmabat. talem profecto ſocietatem non poſſumus non ſuſpicari aliquid permagnum, & præclarum exſiſtere, ſi ejus cauſſa nati, & in lucem editi fuimus, ab eaque vitam omnem humanam, & naturam contineri eſt neceſſe. multas autem communitates, & conſociationes eſſe conſtat, quarum diverſi ſunt fines: inter eas tamen omnes tam naturales, quam illas quæ ſunt artis, ſummam, & perfectiſſimam exſiſtere civitatis communionem perſpicuum omnibus eſſe reor, adinventam, ſeu potius cum hominibus natam, non tantum propter commoditates vitæ, ſed maxime, & apprime propter vitam ipſam, quæ ſine ſocietate, & conjunctione eſſe non poſſit. ad hanc unam neceſſe eſt referri omnes alias communitates, tamquam ad principem, & ad illam quæ ad ultimum, & perfectiſſimum bonum in rebus humanis intendit. cæteræ diriguntur quæque ad bonum quidem, non extremum tamen, neque perfectum, aut ſummum. quicquid enim agunt homines, ad id agendum boni alicujus ſive veri, ſive probabilis, cauſſa moventur. earum vero rerum bona varia quidem exſiſtunt, pro cujuſque ſenſu, atque libidine. Sed civilis ſocietas, ſicut eſt ſuprema, & omnes alias communiones complectitur, ita ſupremum, & ultimum bonum tamquam finem propoſitum habet, quod petat; atque illud omnes philoſophi communi verbo felicitatem vocant, eamque concludunt eſſe finium omnium finem, quo cuncta referuntur, & cujus cauſſa facienda ſunt omnia. Id eſt enim ſcilicet illud excellens, optimum, ultimum, & ſummum bonum, quod omnes homines ſumme appetunt. propterea arbitror, Ariſtotelem in eo libro quem Ethica inſcribit, in hunc ſenſum dixiſſe ad politian perfici omnem philoſophiam, quæ præſertim verſatur circa res humanas. Politian autem eſſe conciliationem naturalem, ratione adducor ut credam, quoniam partes ex quibus conſtituitur, naturales eſſe liquet. Etenim civitatem nemo non novit nihil aliud eſſe quam hominum congregationem, quibus hominibus natura inſitum eſt, quum, quemadmodum diximus, ad id procreati ſint, ut in juris communione vivere expetant; quos ideo civiles animantes non abſurde quis appellarit. ob id ex ſapientioribus aliqui ſcriptum reliquerunt, civitatem prius exſtitiſſe, quam eſſent cives, ut reipublicæ ortum ab ipſa natura repeterent. neque

ſecus

ſecus res ordine naturæ perfecto ſe habere queat. quoniam quod totum eſt, id priuſquam ſingulas ejus partes exſtare neceſſe ſit. Porro civitatem, & civilem communitatem, ad quam naturali quodam deſiderio feruntur homines, prius genus humanum, hoc eſt ſingulos homines expetiſſe intelligimus, deinde humana induſtria conditas urbes, & inſtitutas fuiſſe civitates. quod etiam in moribus fieri contingit, ſiquidem prius virtutes quodam animi motu appetimus, quas deinde labore noſtro, ſtudio, atque exercitatione adipiſcimur. neque tamen hujuſce convictus appetitio eſt in hominibus tantum, verum etiam eam in pleriſque aliis animantibus ineſſe animadvertimus. quandoquidem nonnulla ſunt, quæ non modo ſocietate gaudent, verum etiam omnino defugiunt, oderuntque ſolitudinem. quod apprime in apibus, & formicis tantulis animalibus intuemur, quæ utræque civitatis cœtum quodammodo imitantur, & utræque pariter reipublicæ inſtar habent. id tamen longius præſtare convenit, atque eminere in eo animali quod providum, ſagax, acutum, memor, plenumque rationis, & conſilii vocamus hominem. longe enim plura homines inter ſe communicare poſſunt, pluribuſque modis ſe ſe mutuo frui, quam quodque aliud animal, quum ob rationis ipſius uſum, quæ etiam cæleſtibus humana ingenia conjungit, pariaque propemodum facit, tum propter ſermonem, humani animi interpretem. propterea dicere ſolitum Socratem accepimus, homines quidem a cæteris animantibus viribus vinci: nos autem ea vincere ratione, & ſermone. Proinde, ut rationem omittam adeo præſtantem, ſingularem, atque incredibilem ingenii motum, quo uno divino munere non ſolum belluis præſtamus, ſed etiam nobis cum Deo ipſo nonnulla eſt ſimilitudo, atque cognatio; næ ſecundum eam natura nihil homini ſermone præſtabilius eſt elargita. cæteris quidem animantibus vocem dedit, qua dumtaxat ſignificare poſſunt, ſi quid jucundi, moleſtive ſentiunt, homini vero præter vocem, & ſonum, numeri, & concentus, ac modus dantur; vocemque ipſam variis articulis, atque intervallis, miraque varietate diſtinguere poteſt, unde ſermo, & oratio conficitur ſimulacrum mentis, atque animi, quod nulli viventium attribuitur, præterquam illi quod humanæ ſocietatis per ſe vinculum ſatis validum eſſe poteſt. hoc uno munere homines inter ſe loquentes non modo illa quæ ſibi jucunda, aut moleſta ſunt, mutuo communicare poſſunt, verum etiam omnia animi cogitata ſignificantius, explicatiuſque colloquendo aperire, & abdita ſenſa animi penitus tum alter alteri invicem, tum in circulis, & in frequenti corona diſputationibus, congreſſibus, atque in concionibus, audientium, ut velint, animos tractare, & permovere, interdumque quibuſdam quaſi facibus ita inflammare, ut quocumque collibuit, impellant. Sic ſemper qui ſunt prudentiores in medium conſulunt, & ea quæ ſunt utilia, aut inutilia, juſta, vel injuſta, ſequenda, vel fugienda, indicant, ſuadent-

dentque, aut diſſuadent, quæ volunt, ſeu verius imperant, ac vetant certi juris, quod omnibus ſit æquum, omnibuſque tribuendum, recta conſtitutione, ſine quo nulla eſſe, aut diu conſiſtere queat civilis conjunctio, ex qua conſtat omnis, de qua quærimus, reſpublica; cujus nominis vim univerſam qui explicare velit, cunctum fundamentum in juris ipſius æquabilitate jaciat, eſt neceſſe, ſive res ab uno gubernatore, ſive a paucis, ſive ab univerſo populo adminiſtretur. Primum quidem, ut ne cui noceatur, deinde, ut communi utilitati ſerviatur, quum omnis hujuſmodi ſocietas conſtituatur ad bene, beateque vitam degendam, idque nullo modo fieri poſſit, niſi juſtitiæ, ex qua jus oritur, præſidiis, quo bono nullum neque præſtabilius, neque optabilius datum eſt, neque dabitur umquam hominum generi Dei optimi munere, atque conceſſu; ſi modo tempus ullum fuit umquam quo hominum ſocietas exſiſtentibus hominibus non fuiſſe intelligi poſſit, quam ideo nonnulli putant cooitam eſſe cum hominum genere, ejuſque animam eſſe dixit vir ſapientiſſimus Plato, cujus quoque ortum a natura repetunt, ſine qua etiam ipſa natura exſiſtere nequeat. Quod tantum bonum ſi alicujus mortalis prudentia in genus humanum introductum fuiſſet, nonne ille divinus Laconum more habendus foret? qui, inquam, civitatem prior excogitaſſet, diſſipatoſque homines in ſocietatem vitæ, & juris communionem convocaſſet. ille profecto urbibus conſtitutis & fidem colere, & juſtitiam retinere docuit, perſuaſitque, ut homines conſueſcerent ſua voluntate aliis parere, vellentque communis commodi cauſſa, non modo labores excipere, ſed etiam, ſi opus ſit, vitam amittendam exiſtimarent, & rempublicam omnibus neceſſitudinibus ante haberent; quam Socrates apud eumdem Platonem patriæ nomine appellans, deam facit ſupra mortales omnes colendam. hac enim magiſtra, ex agreſti, immanique vita homines ad humanitatem exculti fuerunt, & mitigati, primum domiciliis, deinde literarum, & linguæ, juriſque communione juncti. ille ille profecto inventor legum, magiſter morum, officii, & bene vivendi diſciplinæ indagator fuit, omnium ſane bonorum quibus vita humana fruitur, repertor, ipſiuſque vitæ plane dator, cui neſcio an genus humanum minus, atque naturæ ipſi debere fatendum ſit, ſi modo quiſquam talis inter mortales fuiſſe umquam arbitrandus eſt, nec potius acceptum Deo præpotenti, aut ſaltem ipſi naturæ tantum boni ſit referendum. Deus certe, Deus ille fuit, ampliſſimi viri, qui hominum genus a ſe conditum tot ſimul bonis oſtenſa civili communitate, & conſociatione cumulate collocupletavit, auxit, & quaſi recreavit: neque omnino humani ingenii, neque conſilii inventum eſſe nobis plane eſt confitendum. Hæc ſi a vobis probantur, quæ ſunt quaſi ſtirps, & fundamentum noſtræ quæſtionis, & quæ aliquando dilatabuntur a nobis, ſi uſus fuerit, progrediar ad ea quæ reſtant; ſunt enim non parum multa. Tum

Montius, Quia video, inquit, hic cunctos tacere, & quodammodo aſſentiri iis quæ a te dicta ſunt, par erat me quoque acquieſcere, & perpetuum curſum orationis tuæ tam longe repetitæ non interrumpere; dicam tamen quid me moveat, nec omnino ſilere queo. Ut cætera tibi, Vida, aſſentiar, neſcio an probare poſſim ordinem diſſerendi, quem modo exorſus fuiſti. nam ante quam nos docueris, quid ſit id de quo quærimus, in ejus laudes præceps repente prorupiſti. explicanda prius tibi erat fortaſſe univerſa vis reipublicæ, civiliſque conjunctionis natura, quam adeo cumulate, ſatis tamen intempeſtive, meo judicio, dilaudaſti. Atque admodum vereor, ut hic Flaminius tibi concedere poſſit, hanc civilem hominum conſociationem, ex qua oritur reſpublica, tot, atque adeo omnium bonorum cauſſam exſtitiſſe, quum ſæpe legerit apud ſpectatiſſimos poetas, a quorum lectione, quam quiſquam noſtrum, ut ego arbitror, eſt recentior, in illa priſca fortunata antiquitate, & quaſi in primo animantium ortu, quanta fuerit vitæ illius ſimplicis jucunditas, atque felicitas, quum nondum inſtitutæ civitates, nondum ullæ poſitæ eſſent urbes, ſed homines ſolivagi, nullius ſocietatis vinculis conjuncti, ſed plane liberi in agris vitam agerent procul a legum, & pœnarum metu: quum, inquam, ut ait nobilis poeta, tellus ipſa per ſe

Omnia liberius nullo poſcente ferebat,
Et duræ quercus ſudabant roſcida mella.

Quum hæc ille dixiſſet, omnes Flaminium intuentes exſpectabant ſummis ſtudiis, quid ille adverſus totam reipublicæ rationem, contraque ipſam civilem conciliationem, ſi non veris, ſaltem probabilibus rationibus moliretur. Nollem, inquit Flaminius, mihi imponi perſonam a qua mihi plane animus abhorret. memini, Romæ quum eſſem, a ſummis viris vehementer laudari adoleſcentem quemdam, in quo forma erat, & ſpecies perquam liberalis, quod nullis neque amicorum precibus, neque potentiorum virorum hortationibus, aut pollicitationibus induci poterat, ut in ſcena ſcortum, illiberalemve perſonam agere vellet. Porro quæ hactenus Vida proſecutus fuit, tametſi vix tantam rerum ſilvam ingreſſus videri poſſit, me magno quidem opere delectant, eumque omnibus ſtudiis incredibili cum animi voluptate audiebam. nollem equidem eum ab illo curſu revocari quem ſecundiſſimo vento in altum properans tenebat. mihi profecto ſum viſus audire ea quæ a quoquam alio hunc in modum tractari numquam vidi, & eum potius audiendum cenſeo. Quæ quum dixiſſet, & illum nihilominus urgerent omnes; Morem equidem, inquit, geram, quando alieno potius me ſtomacho, atque judicio loqui vultis, quam meo, & quod me angit magis, nullo dato ad commentandum ſpatio. Sed amabo, mi Vida, haud æquum eſt, te moleſte ferre, ſi, dum ſcenæ inſervio, tibi incommodem, atque ita tecum agam, ut videar animo præſente,

meo-

Digitized by Google

meoque ingenio, ac ſenſu loqui. Memineris vero moris, & conſuetudinis veteris Academiæ, in qua erat ſumma licentia, atque libertas. Sic enim in omni quæſtione ſententiarum inter ſe contrariarum concurſu, rationumque contentione veritas excuditur. Per me, inquam, in quaslibet formas te vertas licet. ſume quoſcumque velis vultus. nequaquam verendum eſt, tibi ne male dicam, ſi mihi contradixeris, neve te aſperius appellem a te etiam inclementer laceſſitus.

Age vero dum. vel in aquam dilabaris novus Proteus. conabor te equidem tenere pro viribus, quocumque eluctatus evaſeris. præfari tamen libet, nihil eſſe adeo incredibile quod non oratione probabile fiat, Arceſilæ, aut Carneadis more, præſertim, quum mihi futura ſit res cum tali artifice, qui non tantum in rhetorum ſcholis diu verſatus; ſed etiam poetarum, qui norunt omnia confingere, conſuetudine uſque ad id ætatis delectatus ſit, poeta ipſe quoque neque malus, neque de populo. quomodocumque te geſſeris, ſive egeris ex animo, ſive ſimulate, feram omnino moderate, atque æquiſſimo animo. volo equidem te liberatum hac cura. Atqui vide quomodo poſtea te ex hac explices turba.

Novi optimi viri hujus conſuetudinem, & ſenſum teneo (Montium ſimul intuebar) qui ſuopte ingenio incredibili cum animi voluptate diſceptationes, & pugnas doctorum virorum ſpectare ſolet. atque eum magnopere delectat, philoſophos inter ſe digladiantes audire, & ſi quando controverſiarum materia per ſe ſatis ampla minus ſuppeditat, quieſcens ipſe, ſeque oblectans in otio, & animo obſequens ſuo uberrime ſufficit, quæſtionesque difficillimas perſæpe in medium proponit, quaſi quædam belli ſemina jaciens; atque etiam ut alios ad dimicandum proliciat, primus ipſe in campum interdum deſcendit, tantiſperque in acie, & ferro verſatur, dum conſpicatus fuerit hinc, & inde omnibus commotis cornibus, calefactiſque utrimque animis commiſſum, accenſumque in medio campi certamen. tum ſubito eum cernas ſe ſenſim, & caute prœlio ſubducere, proculque a periculo ſedere ſpectatorem, quaſique totius contentionis diſceptatorem, & arbitrum honorarium, more providi ducis, qui, ubi alios inſtruxit, ipſe ſibi cavet loco. quod tibi prædictum volo, ne forte, quum vi, & impreſſione turbatis ordinibus loco dejicieris, exſpectes, tibi ut ſuccenturiatus fiet. fruſtra porro exſpectabis ab eo ſuppetias, copiaſque auxiliares. tota belli moles tibi uni, Flamini, erit ſuſtinenda. ſi tibi videris per te tanto oneri ſufficere poſſe, da te in certamen, & manum conſere.

His a me dictis, omnibus in Flaminium intentis, ſic exorſus eſt ille. Quoniam res quæ nunc in quæſtionem venit, videtur, iis qui ſunt doctiſſimi, non perdifficilis, neque multæ commentationis, ſed quaſi in vulgari prudentia poſita, ideo eos mihi partes tibi contradicendi, Vida, facile detuliſſe intelligo, reſervantes ſe ad ma-

jora. neque hercle poſſum credere, te eſſe plane in ea ſententia, atque omnino eſſe tui judicii ea quæ protuliſti. Sed a te perinde dicta arbitror, ut aliorum ſententiam pertentares, atque eliceres. Quis enim tam cæcus, & tam ſenſus communis expers non videat, innumera, ac pæne infinita mala cum naſcentibus civitatibus in genus humanum irruiſſe, cumque iſta tua, quam uſquequaque in cælum effers, communitate, hominumque conciliatione ingentem rerum perturbationem fuiſſe ſecutam, & illum qui primus in ſilvis, & montibus diſperſos homines in cœtus congregavit, multorum, & magnorum malorum cauſſam exſtitiſſe? Mihi certe numquam ex animo exuri poterit, eum plus mali, quam commodi humano generi attuliſſe, quicumque ille fuerit, ſive Saturnus, ſive Mercurius, ſive Orpheus, Amphionve, aut quivis alius eorum quos ipſi fingitis. Medius fidius multa pernicioſa, multa peſtifera in mundum invexit, omniaque utilitatis ſpecie conturbavit, quæ profecto perſpicua ſunt, ſenſuque percipiuntur, & quodammodo tangi poſſunt. ea qui non videt, nihil videt. viderunt hercle Athenienſes, homines peracuti, ſimul atque ea civitas initio conſtituta fuit, in ipſiſque urbis naſcentis incunabulis fruſtra eos pigitum eſt erroris. quod vel unum argumentum te, Vida, movere debuerat, & ab iſta tam inutili rerumpublicarum tractatione devocare, quum omnis antiquitatis haudquaquam ignarus habearis, tanta evolutione librorum, tanta ſcriptorum lectione. Olim enim Atticæ regionis incolæ vicatim dejuncti, diſſipatique habitabant, nullis ſepti mœnibus, civiliſque convictus penitus expertes. Theſeus Ægei filius, vir fortiſſimus, urbe ædificata, eos omnes in unum conventum coegit, atque ex agreſti, & paſtorali ad civilem vitam formavit, ut non multo poſt in ampliſſimæ civitatis formam, & ſpeciem evaderet. nec ſolum eam munitionibus firmavit, validamque fecit, verum etiam, ut ſibi videbatur, multis exornavit & legibus, & inſtitutis, ut in ipſo ortu cuilibet ampliſſimæ Græcarum urbium comparari poſſet. fuitque fere vir ille Athenis, quod principi orbis terrarum urbi Romulus. Eo autem adhuc vivo populus Athenienſis animadvertit, perſpexitque melior pars, in quod ſe conjeciſſent malum, a quanta vitæ tranquillitate, atque ſecuritate in quantam perturbationem, ac confuſionem præcipitati eſſent, ſtatimque civitatis obſaturati, quam ille eis obtruſerat, ipſum ejus auctorem tot malorum conciliatorem in exſilium perpetuum ejecerunt. & id quidem hoc quoque argumento confirmari poteſt, quod in paullo magis frequentibus civitatibus plura, & longe majora ſcelera, etiam pro rata incolarum portione, & ad frequentiæ rationem committuntur, quam in pagis, & vicis, aut infrequentioribus oppidulis. rurive, ubi eſt nulla, aut certe longe minor celebritas, nemo non fatebitur, minus callidos, & malitioſos homines vivere, quam in urbibus, qui, ſi eis neceſſitatem victus, atque egeſtatem adimas, æquitatem ſane colant, juſtitiæque omnes

omnes prorſus numeros ſynceritate vitæ impleant, nullo artificio ſimulationis inſtructi, ſimplices, innocentes, fideles, aperti, veri, atque, ut uno verbo complectar omnia, antiqui. Id unde quæſo te? niſi quod quo major exſiſtit hominum concurſus, atque conventus, eo ibi plus loci ſit corruptelæ, & contagioni. quod vulgus quoque videtur non ignorare ex jam contrito proverbio, quod dicitur de omni hominum cœtu: *Ubi paucitas, ibi beatitas*. quod non inconcinne ſonat in ſermone cujus eſt nunc in Italia uſus vulgaris. Sed vulgus omittamus, in quo objicere potes non exſiſtere conſilium, non rationem, neque diſcrimen. Vetus eſt ſapientium ſententia, philoſophiam, quam vos dicitis omnium bonarum artium reginam, paucis contentam judicibus, multitudinem conſulto fugere.

Verum quid longius aucupor argumenta? id tibi ſane expreſſius, illuſtriuſque probari poteſt. Nempe quum aliquempiam pleniore ore laudare volumus, dicere ſolemus, eo nihil non modo ſanctius, ſed neque etiam antiquius; & antiqua hominem virtute, ac fide. antiquitus autem civitates, aut iſtiuſmodi conventicula non fuiſſe ulla, tutemet ipſe fateris.' Icciro nequeo equidem æquo animo ferre abs te, ab aliiſque compluribus contendi inventam fuiſſe iſtiuſmodi hominum conſociationem ad vitam non modo bene, ſed etiam beate degendam, quam videmus potius fuiſſe corruptelarum omnis generis diſciplinam, ad exſaturandas hominum cupiditates, vitiaque introducenda excogitatam, ſi quis recte perpendere velit præſentem humani generis ſtatum, atque conferre hujus temporis vivendi morem, in quo tot, & tanta ſcelera in Deum, hominesſque committuntur, cum priſcorum hominum vita, qui a primo totius animalis generis ortu Arcadum, & Cyclopum ritu liberi, ac ſoluti vitam degebant in montibus, & ſilvis, in ſua quiſque familia, & domo, nulli communitati obnoxii, quum jus, & bonum non legibus, ſed natura colerent ſancti, atque innocentes; quum, inquam, ſecundum naturam viventes nullis indigerent neque Lycurgi, neque Solonis legibus, neque Romanorum XII. tabulis, aut ullius populi inſtitutis, plebiſcitiſve. Non enim patiar, ſi quis me ad fabulas revocet, fuiſſe inquiens tempus aliquando, quum homines ferarum more humanis carnibus mutuo veſcerentur, quum neque jus, neque pietatem noſcerent. Sunt iſta ſane commentitia, digna anicularum lucubratione, ab antiquiſſimis Græcorum ſiquidem conficta, ut philoſophiam in cælum aliquopere extollerent, cujus beneficio humanum genus mitigatum fuiſſe, & excultum ad humanitatem cogere volunt. Ejuſdem generis illud quoque exſiſtit quod poetæ fingunt: fuiſſe olim quum aliis imperarent non ſapientiores, neque ditiores, ſed illi qui tum viribus, tum, ut apud Æthiopes, corporis proceritate, & pulchritudine cæteris præſtarent; &, ut quidam eorum ait, *facies multum valuit, vireſque vigebant* ante quam aurum inventum eſſet,

Quod

Quod facile & validis, & pulchris demſit honorem.
Divitioris enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.

Sunt iſtæc profecto non tam vera, quam dictu ſpecioſa, atque propter poetæ illius elegantiam, & feſtivitatem lectu jucunda. Ne mihi quæſo quiſquam neque in illa rudi antiquitate hominum genus ita immanſuetum, ita agreſte, & ferum, adeoque horridis, atque immanibus ſenſibus deſcribat, ut nihil plane diſtet a feris. neu homines tamquam pecora ventri tantum obedientia conſtituat ſine legibus, ſine moribus, omnis prorſus diſciplinæ expertes. Proinde neque eos audio qui tempus quoddam fuiſſe exiſtimant, quum homines beſtiarum more in agris vagarentur ſibi victu ferino vitam propagantes; quum neque ignis uſum haberent, neque quicquam providerent animi motu, ſed omnia corporis viribus adminiſtrarent; nullas tunc exſtitiſſe nuptias, certoſve liberos, nullam religionis divinæ, nullam humani officii rationem haberi cœptam, nullum jus, nullam æquitatem valuiſſe, nullam homines fidem coluiſſe, nullam tenuiſſe juſtitiam, ſed omnia ab omnibus tunc fieri ſolita, prout libido, vis, & impetus quemque rapiebat. Is plane error ab Homero poetarum parente initium ſumſit, qui more ſuo per fabulas antiquitatem hominum ad ſilveſtrem vivendi modum reduxit; quem ſecutus fuit Plato tam cordatus philoſophus, qui etiam materiam quamdam comminiſcitur exſtitiſſe ſerendi humani generis, quod ſparſum in terris, ſatum, atque proſeminatum fuiſſe memorat. ille idem tamen ſecum ipſe pugnans, ſibique impacatus plane ambigit, an ſemper fuerit hominum genus, & quum de temporum antiquitate loquitur, numquam ait *immenſo*, aut *infinito tempore*, ſed *inæſtimabili* potius ſemper uſurpat: conſtatque illa tot annorum millia quæ ex Ægyptiorum monimentis refert in Critia, eſſe plane fabuloſa. Is profecto ſi ſacras potius Hebræorum literas, quam fabulas Ægyptiorum evolviſſet, nequaquam ea protuliſſet quæ in Protagora de humani generis, aliorumque animantium ſatu, atque ortu ſcripta reliquit, deque Prometheo, quem de cælo furatum fuiſſe ignem, & ſapientiam commentus fuit. quæ omnia ſane quum ſint falſa, & ab hominibus per otium excogitata, neceſſe eſt cætera quoque, quæ idem philoſophus proſequitur inde manantia, veritate carere, & plane corruere, de feritate, inquam, atque immanitate humani generis. Tantum autem abeſt, ut umquam carnibus humanis ingluviem explerint, ſe ſeque invicem homines devoraverint, ut Orpheus antiquiſſimus theologorum (ne iis fabulis divinam Hebræorum hiſtoriam immiſceam) canat fuiſſe illud tempus, quum neque ovillæ, neque ullæ aliæ carnes ſacrificarentur, ſed tantum liba, & fructus arborum melle reſperſi. carnibus vero inſuper omnis generis animantium homines, Pythagoræorum quaſi ritu, omnino abſtinerent, ſed inanimis plane eſcis veſcerentur; quod etiam Plato idem

idem refert in eo libro quem de Legibus ſcribit. Hinc quoque jacent cauſſæ illæ quas ariolantur compuliſſe agreſtes illos homines ſine legibus, ſine imperio ſe ſe oppidis, & mœnibus ſepſiſſe, propter, inquam, validiorum injurias avertendas. Quæ enim ante convictum, & civilem conſociationem injuriæ metui, atque exſpectari quibant ab hominibus illis innocentibus, quorum ſimplicitatem, integritatemque nulla tunc commercia immutaſſe poterant, nulluſque contagioni, aut corruptelæ locus fuerat? tanta enim eſt vis naturæ, ut nemo, niſi per varias corrùptelas, a ſe ipſo diſcedat. Omnis namque res diligit mirum in modum ſe, & ſtatum ſuum, nec facile a ſe ipſa diſcedit, ſed ſummopere retinere tendit occulto quodam nixu quicquid habet a natura inſitum, illudque tenaciſſime conſervat, nec ab eo ſua ſponte deflectere patitur. Itaque per quas corruptelas primi illi homines ſimplices, integri, & innocentes ab humanitate deflectere poterant, quæ homini uſque adeo tenaciter inhæret, ut nulla vi, nulla ratione ab eo detrahi queat? nam perinde eſſet, ac ſi ipſe a ſe ipſo dejungeretur. Contra vero ſi qui nunc videntur ab humanitate diſcedere perditi, atque omnibus flagitiis inquinati, id procul dubio evenit ob malas artes, quibus in commerciis imbuti ſunt, dum in iſta veſtra ſocietate civili malorum omnium, & vitiorum ſegete vivitur. Quicquid enim in unoquoque eſt vitii, ab eo in alios, atque alios perpetua contagione profectum, propagatumque facile dimanat, latiuſque ſerpit, atque diffunditur, donec tota civitas contaminata inficiatur, & omnibus flagitiis contabeſcat, magis, magiſque uſquequaque decolor, ac deformis: atque ita deventum eſt paullatim ad id morum, in eam rerum colluvionem, vitæque humanæ deformitatem præcipitati ſumus, ut ipſam naturam, humani generis ſuppœnitere putem. In vita vero illa priſcorum mortalium libera, ac ſolitaria quis non ſentiat minime locum fuiſſe ulli contagioni, quum ſeparatim, ac diſperſe omnes, alius ſeorſum ab alio diviſi in familias, viverent? Concluditur igitur veſtram iſtam communitatem, ac conſociationem omnia conturbaſſe, commodorum ſpecie injecta, eamque inventam fuiſſe ad explendas cupiditates, ut omnium libidinum & animi, & corporis illecebris refercirentur urbes, & conventicula omnia, hominumque animi luxuria, atque laſcivia diffluerent. Haud potes ire inficias, Vida, neque tu, neque quicquid eſt ubique philoſophorum, qui iſtam hominum conciliationem tantopere defenditis, quo magis genus humanum diſtat ab illa quantumvis rudi ſimplicitate, quum nondum oppida, aut urbes ædificari cœptæ eſſent ullæ, eo deterius, atque deformius ſemper evaſiſſe, donec in hanc temporum noctem præcipiti caſu corruit, in quibus mores ſunt in extremo ſiti, & omnia ceciderunt. juſtitiæ cæterarumque virtutum ſolum nomen remanſit, de quo philoſophi ipſi inter ſe in angulis garriant. Cæterum, ut deſint cætera, nemo certe umquam refellere poſſit librum illum de homi-

hominum interitu Dicæarchi inter antiquos Peripateticos nobiliſſimi, & magnæ auctoritatis philoſophi, quem ſua ætate adhuc exſtantem Cicero legiſſe videtur. refert enim illum philoſophum collectis omnibus undique cauſſis quæ perſæpe afferunt gentibus interitum, ut eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, ruinæ, terræmotus, ut etiam non prætereat quarumdam regionum populos a belluarum repentina multitudine conſumtos fuiſſe, demum concludere ait, plures homines hominum impetu, vi, aut fraude, atque inſidiis deletos fuiſſe, quam omnibus ſimul aliis interitus cauſſis, nullamque eſſe tam deteſtabilem peſtem, quæ non homini ab homine naſcatur. Vos tamen uſquequaque in cælum tollitis convictum, & ſocietatem hominum; cœtuſque, civitates, & reſpublicas adinventas fuiſſe contenditis, ut homines bene, & beate viverent. quod perinde eſt, ac ſi hominibus perſuadere niteremini, vitam beatam, & felicitatem quærendam eſſe a trucibus, atque immanibus illis feris quæ infeſtiſſimæ exſiſtunt hominum generi. Libri quidem, & philoſophi auctoritatem verbis fortaſſe elevare poteris, atque refellere, numquam tamen rem ipſam, qua nihil verius, nihil evidentius, evitare dabitur. eſt enim adeo manifeſta, ut oculis videri, & communibus ſenſibus percipi queat. Ante vero conditas urbes una tantum omnium civitas univerſus hic mundus habebatur, unus cunctorum rector, & gubernator, qui etiam exſtiterat eorumdem conditor, molitor, & effector Deus. ejus nomen, ſuadente ipſa natura, tacitaque ratione colebant, & verebantur, eique ſuapte ſponte *ſubjiciebantur*, ac quotquot erant domus, aut familiæ, tot erant reſpublicæ: ſenior imperabat junioribus: parebant uxores maritis, parentibus liberi, minores majoribus natu, quorum voluntatem pro lege ſanctam habebant, & domi eis numquam deerat unde diſcerent. Non erant tot artes, tot vitæ humanæ, ut vos vocatis, commoditates ad luxuriam excogitatæ, tot gulæ irritamenta, tot munditiæ, & voluptatum illecebræ, quibus animi hominum remolleſcunt, atque effeminantur: non obſonabant: non potabant: non olebant unguenta, & iſtiuſmodi delicias. Satis illis erat ad imbres, ventoſque, & ad cæteras cæli injurias vitandas quovis operimento tegi, ſeu in ſcenæ morem frondibus coacervatis, ſeu cavernis, quæ ſibi quiſque nullo negotio parabat. At nunc magnificas villas pavimentis marmoreis, laqueata tecta, auro, argentoque, & ebore fulgentia tantopere, tantiſque ſumtibus fabricamur: tabulas, ſigna, toreumata, aurum ingens, plenumque artis argentum, opera Corinthia, gemmas diverſi generis, veſtes egregias coloribus repetitis bis tinctas, torques, equos, mancipia, lectos, menſaſque conquiſitiſſimis epulis tanta molitione exſtructas nobis comparamus, mundi, elegantes, nitidi, optimis coquis, & piſtoribns utentes, piſcatu, aucupio, iiſque omnibus exquiſitis, ut nec libidini, nec ſumtibus modus ſit ullus. quod quidem magis ferendum eſſet, ſi res æquabili

bili

Digitized by Google

bili ratione ſe haberent, eſſentque mortales non tam diſparis conditionis. Aliis quidem divitiæ, pecuniæque ſuperant, quas profundant, quaſque omnibus modis trahant, vexent ſumma libidine, nonnumquam in exſtruendo mari, & montibus æquandis: aliis res familiaris ad neceſſaria deeſt. ii abundant auro, atque argento, quod compreſſum habent: illi ære alieno preſſi laborant, diuturnoque fœnore trucidati cum fame litigant. Cæterum quia tunc nulla erant regna, nulla imperia, nulla dominatio, nullus magiſtratus, nullum publicum conſilium, ideo neque eſſe poterat tanta, tamque profunda imperandi cupiditas, atque libido, qua neque divini, neque humani quicquam juris ſervatur. Euripidis inde verſus ille toties a multis uſurpatus: *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt. in cæteris juſtitiam colas*. inde maxima feneſtra patefacta eſt ad omnia vitia: inde fere omnes malæ artes in genus humanum invaſere. Iccirco populi regibus, aut gubernatoribus ſubjecti in omni reipublicæ genere eos ſibi pluſquam hoſtes cavent, timentes eorum crudelitatem, avaritiam, libidinem, ſuperbiam, eorum voraginem quantalibet jactura ſua, aut patientia explere nequeunt; ut veriſſime Actius vetuſtiſſimus poeta apud Latinos dixerit, multos iniquos, atque infideles regno, paucos bonos eſſe. Apud ſimplices homines illos ante iſtas reſpublicas nulli, fateor, triumphi, nulla trophæa, nullæ laureæ, nulla vehicula triumphalia nota erant, nulla militaris gloria, nulla erat ſcientia belli, neque terreſtris, neque maritimi. Atqui neque ſeditiones erant ullæ, neque bellorum vel externorum, vel civilium calamitates, ac ruinæ ſentiebantur ullæ, quorum ſemen numquam deerit, dum iſtæ erunt hominum conſociationes, & civium cœtus; neque item profecto tot militum injuriis, & crudelitatibus humanum genus erat obnoxium, a quibus etiam ſocii, & pacati non multo minus, quam hoſtilia ſæpius patiuntur. nulla de cauſſa contra jus gentium rapiunt, diripiunt, ſpoliant, conviciis onerant, verberant, vulnerant, mactant, conſtuprant. ajo nullum genus ſceleris, libidinis, avaritiæ, crudelitatis ſupereſſe, quo milites hujus temporis fere omnes turpem in modum non ſint contaminati, conſpurcatique, ipſis ducibus, tribunis, & præfectis omnium vitiorum exempla præbentibus, dum militiam ſectantur potius ad quæſtum, & nundinationem, quam ad gloriam, laudemque adipiſcendam, civibus juxta, atque hoſtibus infeſti, paullo minuſque ab injuria, & maleficio temperantes, ut parum militia diſtet a latrocinio; ut hac ætate verius dici poſſit, homines ferino more carnibus humanis veſci, quam in illa ultima antiquitate, quam tantæ immanitatis inſimulatis. Leges ſcriptas, aut ære inciſas non habebant primi illi homines, neque jura, neque judicia, ſicut neque literas, neque diſciplinas; ſed ſuapte natura juſtiores erant, fortiores, & modeſtiores, conſuetudinem, & morem domus quiſque ſuæ ſequentes, atque ut prius a natura didicerant

cerant ſenſuum miniſterio appetere corpori ſalutaria, contráriaque aſpernari, ita a parentibus, rationis, quæ data eſt omnibus, adminiculo, atque præſidio aſſuefacti erant, & Deum rerum omnium auctorem, quaſique parentem hujus univerſitatis vereri, & naturali quadam prudentia intelligentes ſe ad juſtitiam eſſe natos, cavere ne aliena jactura collocupletarentur, neu quid commodi ſibi quærerent alterius incommodo. atque ita fidem colere aſſuefacti, ſua ſponte probi erant, juſti, & innocentes; ut ille quidem mortalium ſtatus a poetis primum, mox etiam a philoſophis aureus appellatus fuerit; denique promiſcue omnes ætatem illam, auream plane nominarent, neſcientes quo alio nomine verius, ſignificantiuſve exprimere poſſent, laudibuſque cumulatius tempora feliciſſima exornarent. Fingunt item poetarum vetuſtiſſimi, rem veram more ſuo integumentis adumbrantes, juſtitiam ipſam tamquam deam, & humana ſpecie præditam e cælo delatam in terram, cum hominibus verſatam olim fuiſſe: mox poſitis urbibus per humana commercia vitiis pullulantibus, magiſque, ac magis in dies ſemper ingruentibus, atque increbeſcentibus flagitiis, ac ſceleribus infenſam, e terra in cælum, unde profecta fuerat, remigraſſe, donec paullatim ætas uſquequaque deterior ex aurea primo quidem argentea, mox ænea, ferrea denique facta, in hanc temporum colluvionem, & fæcem prolapſa eſt. id ſcilicet utilitatis attulit generi humano iſta veſtra civilis ſocietas: id commodi, id beatitatis leges illæ a ſapientiſſimis adinventæ pepererunt. quod unum argumentum per ſe ſatis eſſe poſſit ad cogendum, nihil umquam pernicioſius, nihil exitioſius in genus humanum excogitari potuiſſe. Quid enim, rogo, in rebus humanis boni, ac beati exſiſtere queat amiſſa juſtitia, ex qua una virtute viri boni nominamur, & ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile? eſt namque in illa virtute ſplendor maximus; ut Euripides poetice dixerit, neque Luciferum, neque Heſperum ea eſſe lucidiorem. Age vero videamus, non dico quam utilitatem attulerint iſtæ veſtræ leges, ſed quam pernicioſa, ac peſtifera fuerit earum inventio, rogatio, latio, ac promulgatio. Primum dico, hominum genus liberum naſci, & omnium humanarum legum vinculis ſolutum; hominique inſitum eſſe, atque innatum amorem libertatis, quæ ſi tollatur, omnis vitæ jucunditas tollitur. ideo tantopere libertatem acuere humana pectora videmus, ut eam homines qui ſint alicui rei, non niſi cum vita amittere velint; neque quiſquam tam ſordida, & infima conditione vitæ reperitur, qui non velit, ſi poſſit, eſſe liber. atque ut liberi homines, juriſve ſui, ſervi ſponte ſua fiant, non cadit in hominis cogitationem, noſtræque mentes id penitus reſpuunt, atque averſantur. Etenim ſicut nullum animal poteſt non appetere id quod accommodatum eſſe naturæ videtur, ita neceſſe eſt, oderit quoque id quod eſt contrarium. Servitutem itaque ſapientes morte pejus eſſe ſemper arbitrati fuerunt. ſapientes vero illi

veſtri,

veſtri, qui homines per familias diſperſos, atque disjunctos in cœtus, & civitates conciliarunt, ſub legis ſuperbiſſima vincula conjicientes, nihil porro aliud egerunt, niſi nobis ſempiternam ſervitutem adjunxerunt. Hoc eſt igitur illud tantum, tamque admirabile, atque divinum bonum quo genus hominum auxerunt, ac locupletarunt. quandoquidem qui legibus eſt obnoxius, ea obeat neceſſe eſt quæ leges jubent, quicquidve magiſtratus edixerint, in quorum poteſtate ſunt leges; quæ, ut videmus, nihil plane proſunt, niſi illis qui eis præficiuntur. Quippe ſicut leges magiſtratibus, ita magiſtratus populo præſunt, qui quam æquos, & abſtinentes ſe præſtent hac tempeſtate, in tua conſcientia poſitum eſſe volo. quotus obſecro quiſque eſt qui magiſtratum a ſe tantopere quæſitum non loco prædæ accipit? æquum magiſtratum, inquit ille, adhuc reperire non potui. quid, quæſo, contra naturam magis exſiſtere arbitrandum, quam non ſuo ſenſu, atque arbitratu vivere, præcipue homini ingenue educato, cui cordi eſt libertas, ſed juſſu alterius, atque imperio cogi ſemper, & ſe ad aliorum nutum fingere, atque componere, nihilque niſi præfinito facere, quod alteri collibitum fuerit? Quod quidem Xenophon intuebatur, quum diceret, nullum aliud animal minus induci poſſe ſuis paſtoribus obedire, quam hominem rectoribus, & quorum eſt in poteſtate, neque ullum pecus conſurgere tam immaniter adverſus cuſtodem ſuum, atque hominem contra regem, & dominum; ſemper enim obnititur, ſemper eluctatur, ſeque ab ejus imperio tendit eximere. Barbarorum ingeniorum, quibus dominorum imperia ſemper pro legibus fuerunt, eſt velle vivere in ſervitute, quum numquam, ceu abjectiſſima mancipia, libertatis dulcedinem experti fuerint. ideoque accepimus, apud Perſas, eodem auctore Xenophonte, etiam patris imperium in filios tyrannicum fuiſſe, quod parentes liberis aſpere, ſuperbeque imperarent. Cæterum experimur quotidie, legibus iſtis veſtris homines non tam fieri meliores, quam callidiores. tradunt enim nobis non tam juſtitiæ, quam litigandi vias. inde emanavit vetuſtate contritum proverbium, jus ſummum, ſummam eſſe malitiam. neque a legibus æquitas, fides, juſtitia, cæteræque virtutes, ſed ab ipſa natura proficiſcuntur; ac potius eas nobis inſitas eſſe, atque innatas ſentimus, & earum vim exercitatione, & conſuetudine perfici. jus enim, juſtum, & honeſtum, quemadmodum omnes quoque virtutes, ſunt ſponte ſua, & per ſe expetenda, ne ſint coacta, & quodammodo violenta. Nonne etiam qui has congregationes probant, memorant, reſpublicas ipſas tunc meliores fuiſſe, quum in civitatibus nondum tot leges, aliæ, atque aliæ coacervatæ eſſent? Majores nempe noſtros paucis legibus omnia bene gubernaſſe, literis traditur: cui rei argumento eſſe poſſit, quod plerumque, validiores eas leges cernimus quæ ex moribus, quam quæ ex ſcriptis habentur. Diſcebant olim pueri Romæ, ut carmen neceſſarium, XII. illas tabulas, quibus ſolis,

 nulla

Digitized by Google

nulla alia lege lata, jus ſumma æquitate apud eum populum diu retentum fuiſſe tradunt; neque latæ poſtea leges magnopere erant neceſſariæ; quod quidem facile perſpicere poteſt quiſquis conferre voluerit ſtatum naſcentis Romanæ reipublicæ cum forma illius temporis quando ad ſummas opes perventum fuit, quum Romani coacti fuerunt licentiam vitiorum tot legum inculcatarum multitudine cohibere. adoleſcente enim republica, priſci illi patres more potius ſe tenebant, quam ſcriptione; neque tot opinionibus opprimebantur. Quid opus erat, per Deum, tot minaces leges, tamquam vindices, ne dicam carnifices, mortalium cervicibus imponere, quæ eos mulctarent morte, vinculis, verberibus, exſilio, ignominia, quum per ſe quiſque ſua ſponte boni exſiſtere poſſent? Ut porro omittam, quod multa ſæpe perniciosa ſciſcuntur in populis, *quod* hinc præclare perſpici poteſt, quum quotidie permultæ rogatæ leges aut per ſe antiquentur, aut eadem poteſtate abrogentur; quid, quæſo, opus fuit conſultorum libros implere uſque ad nauſeam tot ineptiis, de jure parietum, & ſtillicidiorum, de domus, aut fundi ſervitutibus? an partus ancillæ ſit in fructu habendus? quibus verbis herciſcere oporteat; an fœnum ſit aliud quam herba ſicca? de aquarum præterea ductibus, & cloacis, deque iſtiuſmodi ſtipulationum, & judiciorum formulis quam plurimis conficere libellos, & bibliothecas implere? Gentes ego equidem eſſe adhuc alicubi aliquas arbitror integras, atque incorruptas, quæ leges ſcriptas non habent, duce tamen natura, & ejus inſtinctu, atque *induſtria* obeunt ea quæ lege ſanciuntur. Cæterum dictum modo fuit, nos natos eſſe ad juſtitiam. icciręo non arbitror quemquam ambigere, jus naturaliter datum eſſe omnibus (cavilletur, nugeturve Carneades, more ſuo, quantum velit) quod non opinione, ſed natura ipſa, quæ perpetua eſt, & ſempiterna, conſtitutum fuit, ab eaque, ut modo diximus, proficiſcuntur æquitas, fides, juſtitia, cæteræque virtutes, non a legibus ſcriptis. Oportet igitur hominem in cavendo, reſponſitando, ac judicando conſulere mentem ſuam, qua nobis Deus nihil dedit præcellentius. in ea reperiet legem nobiſcum natam, præſcriptionemque naturæ, cordibus, atque animis noſtris infixam, qua duce nihil umquam errare poterit, modo velit, modoque adverſus ſenſuum libidines fortiter, ac ſtrenue obluctetur. Ac, ut planius quid haece de re ſentiam, atque intelligam, vobis expromam, ego certe Socratem in hoc ſapientiſſimum ſemper probavi, quod ſe non unis ſeptum mœnibus alicujus loci popularem, ſed totius mundi, tamquam unius oppidi civem profiteretur. ejus exemplo talem itidem me ſemper habui, huncque hactenus agnovi, ſemperque agnoſcam, ac palam profitebor, dum vita ſuppetet; neque iſtæ leges veſtræ, aut plebiſcita, neque magiſtratus ulli ab injurioſa, facinoroſaque vita me deterrent, non pœna, non metus ſupplicii, ſed turpitudo ipſa, judiciſque illius qui univer-

ſam

ſam hanc civitatem nutu temperat, majeſtas. Hic namque rex regum omnium præpotens, univerſorum dominus, & moderator, non modo cæleſtia, ſed etiam hæc infera procurat incredibili imperandi, prohibendique ſapientia, videtque, quid quiſque non modo agat, ſed etiam ſecum cogitet, qualis item quiſque ſit, quid in alios machinetur, quid in ſe ipſe admittat, qua intus ſit mente, qua pietate religionem colat, nullumque relinquit vacuum aut remunerationi, aut animadverſioni locum, piorumque, & impiorum rationem habet, omnia recto judicio, & numine incredibilem in modum adminiſtrat, neque incaſſum denique, qui vim patiuntur, ejus judicium implorant. poſſunt quidem mortales pœnam legum effugere, ipſaſque leges eludere, aut perrumpere, verum mentis divinæ animadverſionem, atque vindictam non ita. At vero viri probi una ſe ſe lege naturæ tenentes, etiam ſi omnes homines, Deumque ipſum celare poſſent, nihil tamen turpiter, nihil avare, nihil injuſte faciendum putarent, ſed unius virtutis, aut recti cauſſa mentem, manuſque abſtinendas cenſeant. Hanc potentiſſimam legem nemo eſt, qui ignoret. nemo, inquam, eſt tam rudis, tam incultus, & agreſtibus moribus aſper, quem juſtum, rectumque, quod eſt ipſum pulchrum, & honeſtum, non moveat. Male medius fidius generi humano conſultum foret, ſi homines nihil recte agerent, niſi ut legibus popularibus, & civilibus pœnæ metu parerent. Ut enim nihil aliud obſtet, cenſes ne omnia in hac rerum infinitate præſcribi potuiſſe quæ jus ipſum naturæ, hoc eſt illa divina, ac ſumma lex, quæ latiſſime patet, complectitur, taciteque ſe mentibus noſtris inſinuat, & potenter imperat? Athenis, ut ajunt, nulla lex lata erat contra parricidas: nemo tamen erat in ea civitate qui parentem occidere non exiſtimaret ſcelus eſſe inter atrociora flagitia nullis victimis expiabile. quid ita? niſi quia natura id tacite hominum mentibus impreſſerat?

Hinc etiam illud quod memoriæ proditum eſt, quum recente adhuc urbe Sextus Tarquinius Lucretiæ Tricipitini filiæ ſtuprum per vim intulit, nondum Romæ legem latam fuiſſe ullam de ſtupris: exſilio tamen mulctatus fuit adulter ipſe, regnoque pater cum tota ſtirpe Tarquiniorum in perpetuum dejectus. quod injuria factum videri poterat; nullis enim tunc legibus tenebatur; niſi tanto flagitio obſtitiſſet æterna ratio, ideſt ſumma illa ipſa lex ad recte faciendum facile impellens, avocanſque a delicto, profecta a natura, quæ non tunc primum eſſe cœpit quum fuit ſcripta, ſed ſemper fuit cum mente divina, vereor enim dicere, orta, aut nata. Cæterum quæſo te, Vida, quam rempublicam inter omnes recte umquam conſtitutam arbitraris? Quippe innumeras philoſophi de iſtis communitatibus ſcribentes nominarunt, ut Cretenſem, Carthaginenſem, Laconicam, Atticam, Perſarum, Ægyptiorum, Epheſiorum, Mileſiorum, Ionum, Heracleotarum, Theſſalorum, Romanorum. addo

ego,

ego, quam nunc etiam florentiſſimam intuemur, Venetorum, Italiæ ornamentum, & totius Chriſtiani imperii, ac nominis propugnaculum. Multi præterea doctiſſimorum hominum monimentis traduntur, qui aut reſpublicas a ſe conſtitutas legibus, atque inſtitutis firmatas, optimeque digeſtas temperaverunt, aut procul a civitatum gubernaculis in otio, ſemoti a turba, atque ſubſelliis de optima civitatis ratione ſcripſerunt. quorum ut aliquos promiſcue, ut prior quiſque mihi occurret, nominem, ante Platonem, & Ariſtotelem fuerunt Phidon Corinthius, Hippodamus, Lycurgus, Minos, Draco, Solon cum Epimenide Cretenſi adjutore, Zaleucus, Charundas, Onomacritus, Thales, Diocles, Philolaus, Androdomus, Seſoſtrius Rheginus, Thelecheus, & qui de optimo civitatis ſtatu ſcripſit, Hippodamas Mileſius Euriphontis filius. Nullam ex tanto rerumpublicarum numero formam, qui deinde, alius poſt alium ſcripſerunt, omnino approbarunt, nullam immunem, quam, inquam, non carpſerint, ac notarint, reliquerunt, & tamquam inutilem, interdum etiam perniencioſam, non rejecerint; uſque adeo, ut Plato affirmarit, ſua ætate civitates omnes, atque reſpublicas improbe ubique terrarum gubernari. Multi ideo & ſunt, & fuerunt qui hanc communionem, convictumque non ferentes, ſe ſe a publicis negotiis, a multitudineque in otium, & ſolitudinem contulerunt. neque admodum miror, repertos etiam fuiſſe nonnullos qui judicati ſunt, univerſum genus humanum odiſſe, quod a cœtu, & conjunctione hominum, atque omnibus commerciis ſe omni ſtudio avocarunt, nihil cum populo contrahentes, multitudinemque in vita ſemper defugerent, ut Conon, Iphicrates quidam, Timotheus, Gabrias, Timon, compluresque alii a ſcriptoribus celebrati. Haud illi hercle, ſicut vulgus autumat, homines oderant; ſed communitates iſtas, & concilia, aut reſpublicas minus probabant; quorum unus Timon quum cæteros omnes cives Athenis odio perſequi videretur, omnium defugiens conſuetudinem, unum Alcibiaden ſtudioſe obſervabat, amplexabatur, exoſculabatur, atque adeo diligebat, ut cum eo eſſe ſemper cuperet. Rogatus aliquando, quid illum unum tam facilis admitteret in ſuam conſuetudinem, uſque adeo alios omnes averſatus, & quaſi perhorreſcens, reſpondiſſe fertur, non ab re id a ſe fieri, quod unus ille civis ruinæ cauſſa futurus eſſet reipublicæ Athenienſis, atque interitus. Hos ego quidem credo fuiſſe potius homines graves, ac ſeveros, qui quum neque principum, neque populi mores ferre poſſent, vixerunt in agris, tantum re ſua delectati. Socratis vero ipſius, aut verius Platonis, rempublicam tantopere elucubratam, elaboratamque Ariſtoteles vir acutiſſimi ingenii, exquiſitique judicii omni pagina acriter inſectatur, carpit, conſcindit, irridet, explodit, atque exſibilat. neque admodum parcit illis tribus quas præ omnibus laudare videtur, Lacedæmonienſi, Cretenſi, Carthaginenſi. Ab Athenienſi profecto in exilium

lium ejectus fuit Ariſtides nulla noxia, aut crimine, ſed hoc tantum nomine, quod præ cæteris unus juſtus eſſet. Si qua vero celebrata fuit a ſcriptoribus in beatorum inſulis ſapientium civitas, quos cura omni liberos perhibent, nullum vitæ neceſſarium cultum, aut paratum requirere, ſed cogitando, lectitando, diſcendoque in naturæ tantum veſtigatione occupatos eſſe, illam profecto docti homines otio abundantes magis fingunt, quam norint, deſcribuntque illas reſpublicas quæ eſſe non poſſunt, ut pictores tragelaphos, centauros, & chimæras. Sed quæ, per Deum, civitas poteſt recte gubernari? quæ reſpublica ſapienter ad juſtitiam temperari? quum Plato ipſe tam ſolers rerumpublicarum machinator, & architectus in libro qui Epinomis inſcribitur, luculenter probet omnia humana tamquam in euripo ſurſum, deorſum uſquequaque jactari, nihilque in terris firmum, aut ſtabile permanere? quod apertius apud Hebræos Solomon vir ſapientiſſimus dixit: id vero ille ſcire poterat longa periclitatione edoctus. permultos enim jam tunc annos regno Iſacidarum, Judæorumque præfuerat. Pater quoque rex ſimul, & prophetes idem aliquot annos ante in laudibus divinis, & canticis obnuntiarat, incaſſum eos laborare qui inſtituunt, inſtitutamque conſervare nituntur civitatem, niſi eam univerſæ civitatis, id eſt cæli, & terræ præpotens effector, moderatorque temperaverit, cuſtodierit, conſervaverit. Quod quidem nemo negaverit qui ex annalibus civitatum, & multorum ſeculorum hiſtoriis antiquitatis indagator norit rerumpublicarum varias inclinationes, & momenta temporum, & quam crebræ fuerint ſtatus converſiones, mutationeſque; quam perlevi momento fortunæ civium voluntates pendeant, & ad tenuem quemque auræ flatum inclinentur. quæ heri, & nudius tertius firma erant, fixa, atque ſtabilia, hodie nutant, labant, atque vacillant, repentina voluntatum inclinatione. nempe res eſt iſta quæ maxime nititur populi arbitrio, atque nutu, tenceturque vulgi ſtudio, ac favore; quo nihil mobilius, nihil incertius. Hinc illæ in ſacrum montem plebis ſeceſſiones: hinc tribunitiæ poteſtatis procellæ, immodicique magiſtratus impotentes impreſſiones, atque ruinæ. perſæpe populi favor aliquem in altum repente ita extulit, ita evectum honoribus amplificavit, ut tota civitatis in eo niteretur ſalus, ad ejuſque arbitrium ſumma rerum, & conſiliorum omnium referretur, magnaque non tantum in ejus ſententia, ſed in nutu quoque ipſo ſederet auctoritas; eveſtigio vero eumdem ejuſdem populi repente reflante aura, a reipublicæ gubernaculis, clavoque imperii dejectum, & a civitate exterminatum, penitus reſciſſis actis perpetuo exſulaſſe legimus. Dies me deficiat, ſi omnes enumerare velim tam noſtræ civitatis, quam Græcarum, exterarumque nationum principes viros, rerum quum domi, tum militiæ geſtarum gloria præclaros, quos Fortuna iis exemplis ludificata fuit, ut in noſtra republica Camillos, Scipiones, Ahalas, Fabios, Marios, Pompejos,

pejos, Cicerones; in exteris Ariſtippum, Miltiadem, Themiſtoclem, Lycurgum, Solonem, Phocionem, Demetrium Phalereum; addo iis Pœnum Annibalem. Quid memorem ſeditiones, factiones, & improborum civium occultas conſpirationes, conjurationeſque, quibus tam magiſtratuum, quam reliquorum animi non poſſunt quieſcere, & ſecuri eſſe in civitate? Quis, rogo, fluctuantis ſæpe maris motibus, fluctuumque agitationibus, tot, inquam, æſtibus, & euripis legem præſcribat? Quis monſtri tam varii, inconſtantis, ſecum pugnantis, ſibique impacati feritatem, inſaniamque ad certæ rationis, & ordinis normam dirigat? Hanc mobilitatem, inconſtantiamque nonnulli philoſophi animadvertentes, affirmarunt, ad cujuſque rei mutationem ipſas quoque civitates labefactari; negatque plane *Plato*, mutari poſſe muſicas leges in ulla republica ſine ipſius reipublicæ mutatione. id utcumque ſit, videmus certe, leges multas quæ initio providentiſſime latæ putabantur aut a rege, aut ab optimatibus, necnon juſſa, & vetita populorum, vel paullatim antiquari, vel aliis rogatis legibus abrogari, atque reſigi, principeſque ipſos publici conſilii modo hunc, modo illum quaſcumque volunt leges ſciſcere; quæ quum ſint variæ, & ad tempus aliquorum favore ſcriptæ, tollanturque perſæpe omnes, ac deleantur ſenatus ipſius uno verſiculo, quam eſſe poſſe in illa civitate juris temperationem credam, in qua quicquid reipublicæ principes, ſive rex, tyrannuſve, aut ſatrapes, optimates, & potentes, ſeu populi commune conſilium creverint, juſtum, injuſtumve, cuncti cives adulantes, *ſupparaſitanteſque* imperantium libidini defendere coguntur, & tamquam legem habere, eique, ſi pœnam effugere velint, parere? Lycurgi leges a Lacedæmoniis, ut ſanctiſſimæ, initio acceptæ fuerunt magno totius populi aſſenſu. paullo poſt vero ipſe earumdem legum lator ab eodem populo ob id ipſum, quod eas tuliſſet, lapidibus petitus, privatuſque oculo, multiſque oneratus contumeliis, atque injuriis in exſilium projectus fuit. Severiſſime item Draco leges ſcripſit, quibus, tamquam juſtitiæ conſentaneis, multos annos paruerunt Athenienſes. Deinde eas fere omnes Solon adjutore Epimenide Cretenſi, voluntate publici conſilii ſuſtulit. verum Soloni ipſi quoque eædem gratiæ fere ab Athenienſibus, quæ Lycurgo a Spartanis, habitæ fuerunt, atque relatæ. At vero, ut ad propiora veniamus, Romanorum reſpublica ſemper habita fuit rectiſſime, ac ſapientiſſime inſtituta, quod illi noſtri legum conſcriptores non modo multa de Solonis legibus in XII. tabulas ſuas tranſtulerunt, verum etiam omnes alias tam Græciæ, quam totius Aſiæ reſpublicas, earumque temperationes ſcrutati fuiſſe creduntur: nihilominus qui Romanæ civitatis annales evolverint, noſſe poterunt, quam inſtabilis, nutans, atque incertus ſemper fuerit ejus reipublicæ ſtatus, quanta varietas, quanta inconſtantia. Nullum fretum medius fidius tot motus habet, tot tantaſque, & tam varias fluctuum agitatio-

tationes. Quot, quæſo, ſanctiones, quot plebiſcita (de graviſſimis loquor, non tantum de Caſſianis, Nævianiſve, aut Livianis) ſæpius ſenatus una rogatione ſuſtulit! Et nos trademus leges civitatibus, quæ nobis vivis antiquentur, abrogentur, deleantur? & nos ſcilicet de optimo civitatis ſtatu libros ſcriptitabimus? & nos, ſi diis placet, delectationis, & otii conſumendi gratia in hortulis coacti tamquam aliquam ſcholam explicantes diſſeremus de rerumpublicarum adminiſtratione? Cur non potius ſophiſtarum more, qui quotidie, credo, negotii inopia, inter ſe diſputant, quæramus de individuis, atque intermundiis, quæ neque ſunt, neque eſſe poſſunt ulla? Exſpecto quid nobis promas de juſtitia, ſine qua philoſophi clamant, omnia regna, omnes civitates, conventus, & conciliabula mera eſſe latrocinia. cenſes ne in ulla congregatione, ſive magna, ſive quamlibet parva, communi utilitate ſervata tribui poſſe cuique pro cujuſque dignitate? exiſtimas ne ullam rempublicam uſque eo recte adminiſtrari, ut nulli noceatur, publicæ vero utilitati ſerviatur? quæ eſt veri juris, germanæque juſtitiæ forma conſtans, & ſolida ratio. quotus quiſque eſt in civitate qui, ſi poſſit, non ad ſe rapiat aliorum commoda, aut alterius ſpoliis detractis ſuas copias, & facultates non augeat? Credo tibi notos eſſe verſus antiquiſſimos, qui vulgo incerto auctore circumferuntur, attamen mihi Lucilii ſalem redolere videntur, neque alioqui ſunt ſine nitore, aut palæſtra:

Nec vero mane ad noctem feſto, atque profeſto
Totus item pariterque die populuſque, patreſque
Jactare indu foro ſe omnes, decedere nuſquam,
Uni ſe, atque eidem ſtudio ſe dedere, & arti,
Verba dare, ut caute poſſint pugnare, doloſe
Blandiri, certare, bonum ſimulare virum ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

his præclare ſtudiis intelligi poteſt, quæ ſit civitatis, quam tantopere laudant, conſuetudo, quæ civium vita, eorumque adverſus alios cives ſtudia, quæ caritas, quantum alter alteri invicem ſit præſidio, quantum in commune conſulere quiſque cogitet. Hanccine vitam? hoſcine mores? Philoſophi tamen illi, præſertim qui leges civitatibus præſcripſerunt, clamant, teſtantur, obteſtanturque (& merito quidem) aliquid alteri detrahere, & hominem hominis incommodo ſuum commodum procurare, non eſſe minus contra naturam, quam mortem, quam egeſtatem, & dolorem; ceteraque mala quæ poſſunt nobis aut in corpore noſtro, aut in rebus externis accidere. quin etiam eodem flagitio teneri arbitrantur, qui alienum animo concupiverit; jubentque nos non tantum manus habere innoxias, ſed etiam mentem ipſam. Quot, rogo, inveniuntur in civitate qui hunc tam laudabilem animi motum, tam rectam mentis affectionem habere ſe ſentiant? loquor de iis qui toti ſunt in civi-

tate, ſeſeque cupide ad reipublicæ procurationem inferunt, atque inculcant, ac præter modum expetunt imperia; & magiſtratus tam anxie ambiunt. nam alioqui in tanta hominum copia, ac multitudine credo hercle uſpiam reperiri nonnullos probos viros, qui convenienter naturæ viventes norunt ſe ad honeſtatem natos, & quod honeſtum eſt, aut ſolum, aut certe ſummum bonum in hac mortali vita ducunt, illudque maxime expetunt, & ſequuntur, atque a recto nulla neque utilitatis ſpecie, neque commodi alicujus, aut voluptatis gratia divelli poſſent. ii profecto imperia non modo non cupiunt, ſed etiam interdum ultro oblata, ſi non plane rite, & ex ordine factum ſit, non accipienda ducant, & quum alteri demandari ea vident, nihil plane moveantur, ſemper ſecum iidem. tales ego equidem aliquos novi, bonos ſane viros, antiqua virtute, & fide, juſtos, ſapientes, fortes, & moderatos, qui nemini noceant, proſint quibus poſſint, & omnibus mortalibus conſultum velint. Verum ii licet in conventu hominum corpore verſari videantur, ut eorum exiſtimationi, & rationi vitæ ſuſceptæ convenit, attamen ſemper ſeſe a turba ſubtrahentes, nihil cum populo contrahunt, ſibique, & ſecum ipſi vivunt in multitudine, ac frequentia ſolitarii. Quotus vero, inquam, quiſque eſt ex illis qui via vulgari magiſtratus tantopére expetunt, & ad rerumpublicarum gubernacula vulgi favore, aut principum libidine ſedent, qui in rebus gerendis, in adminiſtrandaque civitate ſua commoda omittens, omnia ad aliorum utilitatem, & fructum communem referat? quod illi quidem omnino faciendum eſt qui recte, & ad præſcriptum philoſophiæ rempublicam capeſſere velit. cedo mihi, rogo, iſtum juſtum, iſtum Ariſtidem.

Si quempiam huc ſtatueris ex illis in quibus aliqua virtutis indoles exterius ineſſe videtur, qui ſit, inquam, hominum opinione talis, nihil agis. oſtendis potius te neſcire, id nomen, ea res quam multis officiis, & laudibus contineatur. quiſquis eſt ille quem tu affers, ita tectus, atque occultus, ut vulgo juſtus exiſtimetur, ſi tamen intra ſe multas labes, & conſcientiæ vulnera patitur, hoc pacto mea quidem ſententia nemo callidus, aut cautus non juſtus erit. Quare numquam mihi ex animo evelli poterit id, quam fuiſſe communem antiquorum opinionem ferunt, nullam rempublicam regi poſſe ſine ſumma injuria. Cæterum aliarum civitatum inſtitutiones minus rectas, moreſque abſurdos tibi remitto. revoco te denuo ad eam rempublicam quæ deprædicatur juſtitiæ impleſſe omnes numeros. arbitror te ſeire quam exiguis initiis, quam tenui fortuna urbs Roma tum orta ſit, tum adoleverit, illa convenarum, & fugitivorum, paſtorumque collectio. ad quantas deinde opes fuerit progreſſa, ut univerſum orbem victoriis, & triumphis uſquequaque peragraverit, gentes, & nationes omnes ſuæ ditionis fecerit, ut ſibi terræ, ac maria ubique parerent omnia. Scire de te velim, an

ea

ea ſuum cuique genti, & nationi jus tribuerit, an potius ad ſe aliarum civitatum, & populorum commoda tranſtulerit, an omnia omnium non modo concupiverit, ſed etiam detraxerit, arripuerit, abſorpſerit. hæc tamen eſt illa reſpublica tam recta, tam præclare conſtituta, quam omnibus aliis, quotquot uſquam ſunt, fueruntve, aut umquam futuræ ſunt, longe anteferendam cenſent & Cicero, vel quum philoſophatur, & fere omnes alii, etiam externi, ſcriptores. & audent auribus meis toties inculcare fruendæ juſtitiæ cauſſa conſtitutos fuiſſe olim reges homines bene moratos, quum multitudo initio premeretur ab illis qui majores opes habebant, confugeretque ad unum aliquem fortem, & virtute præſtantem, qui eſſet ſenatus columen, & præſidium populi, tenuioreſque injuria prohiberet, æquitate conſtituenda, ſummoſque cum infimis pari jure retineret? an id ex ſententia proceſſerit, ſuo maximo malo periclitati fuerunt Hebræi, qui olim in libertate poſiti quum ſacerdotis Samuelis hominis innocentiſſimi, magis conſilio, & religione, quam imperio regerentur, petierunt regem ſibi conſtitui a Deo, qui tunc genti illi præ cæteris nationibus favens ſæpius occurrebat, huic, & illi in precibus, & votis, ſeſeque quodammodo familiarem, facilemque præſtabat; quorum poſtulationi annuendum ſtatuens, antequam eis regem conſtitueret, regni conditiones, & leges graviſſimas per eumdem ſacerdotem imprudentibus deſcribi mandavit, ut a tam pravo, ſtultoque conſilio ignaros deterreret; quas qui in Hebræorum ipſorum literis legerit, animadverteritque, quam cito regis hujuſmodi obſaturati fuerint, mirum, niſi malit vivere in ſolitudine rerum ſuarum procuratione delectatus, quam ſe tali, tamque iniquo, & acerbo jugo ſubjicere. Quis enim regum, aut principum cupiditatibus obviam ibit, præſertim quum omnis licentia ad unum pervenerit? quis ejus coercebit luxuriam, franget libidines omni interdum intemperantia effuſas? quis reſiſtet, ut non ſacra, profana, divina, atque humana ad ſuum convertat uſum? norunt ipſi qui præſident, quam ſit difficile mortalibus in poteſtate temperare. quid eſt ſane aliud regem eſſe, quam omnia, quæ quis velit, impune facere, atque ut ipſi collibitum fuerit cuncta miſcere, cuncta audere, atque moliri? homines, inquam, honeſta conditione natos non tantum freno, ſed etiam jugo, aut clitellis impoſitis premere, quum nullis ipſi reges legibus aſtricti vitæ, ac necis in cunctos habeant poteſtatem, quum blanditiis præſentium voluptatum allecti cupiant, appetantque omnium omnia, opes, hæreditates, lautiſſima patrimonia, ſigna, tabulas, veſtes egregias, vaſa pretioſa, fundos, domos, villas, equos, elegantiora mancipia, liberos, uxores, & quodcumque velint, ad exſaturandas ſuas effrenatas, indomitaſque cupiditates, ſibique ſubjectos non cives, ſed famulos miſeros in turpiſſimam ſervitutem adducant; quum nihil ſit nefas nec in facinore, nec in libidine, omniaque quæ in mentem, aut in libidinem

incidunt, ſibi licere velint; quod nemo eorum cupiditati obſiſtere valeat, ſed omnes muſſantes, neque mutire auſi, vitæ & tergo metuere coguntur; quum animadvertant quotidie hos, & illos qui regiæ licentiæ reclamare, atque reſiſtere adorti fuerint, damnis, & ignominiis, atque interdum morte mulctari. Quæſo vos, atque obteſtor, ampliſſimi viri, unde tot, & tanta onera quæ publice imponuntur mortalibus? unde tot tributa, tot munia, tot penſitationes, tot ſumtus, & labores, niſi ab iſtis congregationibus? ſiquidem qui in civitatibus dominantur, ut aliqua juſtitiæ, & honeſtatis ſpecie furta ſua, & rapinas prætexerent, avaritiæ afflatu, atque inſtinctu excogitata fuere extra publica civium munera viritim obeunda in civitatibus, & provinciis vectigalia fructibus, & *mercibus* imponenda, tributa, portoriaque circumvectionum, *decumæ*, & centeſimæ, onera præterea innumera extraordinaria, *ἐπικεφάλια*, oſtiaria, columnaria, tignaria, perticaria, quorum nomina quotidie nova adinveniuntur, quæ quum explere nequeant regum iſtorum, principumque, & magiſtratuum libidinem, atque aviditatem, pro expeditis vectigalibus, & portoriis plerumque habentur ipſorum civium bona, quæ inopiam ærarii ſæpiſſime ſuppleant. imperantur itaque populis, & civitatibus pecuniæ, milites, operæque, frumenta, & quæcumque ad bellum tuendum uſui ſunt reipublicæ. hinc tot ubique vagantur publicani, redemtores, pigneratores, mancipes, quæſtores, ſcripturæ magiſtri, lictoreſque, & qui ea acerbiſſime exigunt, decumatores, ſatellites, apparitores, accen*ſi*, *ſectores*, quadruplatores, diviſores, delatores, verius autem carnifices, gladiatores, laniſtæ, ſicarii, & id genus peſtes, quorum omnium injuriis cives miſere oppreſſi coguntur ſæpiſſime iniquiſſimo fœnore verſuram facere, tandemque bonis ſuis decedere, ac fame enecti extrema pati. Itaque civitates, provinciæ, & regna in perpetuum evertuntur. Suſcipiunt namque perſæpe reges temere bella injuſta, minimeque neceſſaria, aut avaritia, & augendi regni cupiditate inflammati, aut, ſi diis placet, animi dumtaxat cauſſa ad voluptatem, & libidinem, tamquam aliquam venationem, & ludum, nec animadvertunt ante ſuſceptas expeditiones, bellum eſſe ærarii peſtem, atque hirudinem, & undique continenter in exercitus alendos imminere infinitos ſumtus, immaneſque jacturas populis ſuæ ditioni ſubjectis ſubeundas. quo fit, ut quicquid ipſi reges delirant, ut eſt in vulgato verſu, miſeri cives, & populi inſontes, torqueantur, ac pœnas alienæ dementiæ dependant. Non hic atrociora eorum ſcelera perſequor. deficeret enim me tempus, neque id eſt hujus otii, quum neque ad inexpertos loquar. haud omittam tamen unum, quod etiam per ludum, & jocum, tamquam nugentur, patrare audent. Uſque eo ad nihil pudoris eſt deventum, ut regum barbarorum juſſu ad inanem aurium voluptatem, & oblectationem pueri ingenui luce palam ſine diſſimulatione omnibus

bus

Digitized by Google

bus inſpectantibus exſecentur, quo ita vocem liquidiorem, acutioremque, & magis canoram conſervent. tam, inquam, tenui, levique de cauſſa. In quo quanta injuria fiat naturæ, non moribus ſolum, nemo eſt qui non videat. tantum vero deformitatis, ſceleris, & flagitii priuſquam eſſent conſtitutæ civitates, & reges imperarent, ſi auditum fuit umquam, aut ullis literis lectum, totum me, Vida, ad te traducas licebit. neque erit quod de hac controverſia verbum ultra addam. Si id nunc agerem, totos ut tyrannos penitus patefacere vellem, poſſem cogere, atque pervincere, ab iſta veſtra conſociatione malorum omnium ſentina genus humanum plane depravatum, deformatumque fuiſſe, dum qui regunt, nihil penſi habent, nihil non ad ſuam libidinem referunt.

Si vero non rex dominatur, ſed reſpublica a pluribus uno adminiſtratur, ſive ſint illi pauci, qui plurimum in civitate poſſunt, ſive res ſit penes univerſum populum, magiſtratus, & qui præſunt, neglecta communi utilitate privatis rationibus, & commodis ſuis quiſque ſtudent, atque in compilanda republica conſentientes, amicorum avaritiæ, cupiditatibuſque invicem inſerviunt, & mutuas operas tradunt, & quæ populi ſunt communia, domum ſuam quiſque avertunt. mandantur ideo magiſtratus ſine recti, pravique diſcrimine ad gratiam, & libidinem. atque ita indignis ad publicæ rei adminiſtrationem vocatis jacent publica ubique jura, ſilent judicia, juſtitiaque de foro ſublata penitus obmutuit, & ipſi judices, qui tam de publicis, quam de privatis controverſiis conſtituunt, propalam venalia habent omnia, juſtitiam, fidem, jusjurandum, religionem, ſeſeque cuique emere volenti proſcribunt. Hæ ſunt illæ amplæ, atque præclaræ cauſſæ quæ homines ad reipublicæ capeſſendæ gubernacula, ad imperiumque, cujus natura hominis eſt per ſe ſatis avida, invitant: non hercle, quemadmodum ipſi præſeferunt, quo aliis proſint. Hac imperandi cupidine inflammati quoque philoſophi, ut, inquam, ipſi cæteros juvent, haud manifeſto quidem, neque uſitatis artibus, & via vulgata, ſed occulte, diſſimulanter, & per cuniculos ſibi viam ad regnum munientes, tantopere laudant iſtam conſociationem, & hominum convictum, libroſque cumulate alios, atque alios de rerumpublicarum temperatione ſcriptitant. verumtamen non evaluerunt iſtud ita caute, ita callide, tamque tecta molitione architectari, quin tandem erumpentes, cupiditatem ſuam, & quid affectarent, aliquando prodiderint. Non erubuerunt boni viri profligato pudore palam prædicare, beatas fore reſpublicas & civitates omnes, ſi aut philoſophi regnarent (vide hominum impudentiam) aut certe reges philoſopharentur. difficile eſt namque ita tegere, ac celare quod cupide expetas, ut id interdum deprenſum non appareat. hinc illa omnis pendet cantilena. hinc illa eloquens philoſophia nugatur in circulis. Atque adeo præceps in eam ſententiam delapſus eſt princeps ille ſemper habitus philoſophorum

Socra-

Socrates, ut non contentus hac vulgari, atque uſitata civium communitate, cenſuerit, omnia omnium inter cives oportere eſſe communia, ut neque ab ea communione eximeret uxores ipſas, & liberos, quos omnino voluit eſſe promiſcuos, ac communes. in eamdem quoque ſententiam ivit manibus, ac pedibus ejus auditor Plato, eamque perpetuis literarum monimentis (nugentur qui velint) mandavit. Si qui vero philoſophorum aſſecuti olim fuere id ad quod conſequendum omnes machinas intenderant, ſi, inquam, ad civitatis gubernationem umquam pervenere, tum crudeliſſime imperarunt, tum ſuas reſpublicas in perpetuum everterunt. nullus illis fuit neque avaritiæ, neque libidinis, neque aliarum cupiditatum modus. Non hic porro ſuppetit tempus, ut eos omnes recenſeam, quos vobis omnibus eruditiſſimis probe notos eſſe reor, ex Græcorum *hiſtoriis*. ut Ariſtonem philoſophum, qui Athenis rempublicam multos annos ſuperbiſſime gravi jugo oppreſſam tenuit. denique eam præclariſſimam totius Græciæ civitatem maluit ab exercitu Romanorum duce Sylla capi, diripi, atque incendi, quam ipſe tempori cedens ſe regno abdicare; ut item Periandrum, unum ex ſeptem qui Corinthi regnarunt, cunctoſque barbaros tyrannos immanitate, & fœde factis ſuperavit. Qui vero regnum non potuerunt aſſequi, ut opes, potentiamque, & omnia præter unam ſapientiam callida oſtentatione aſpernari videantur, atque infra ſe poſita contemnere, ſe avertunt a publico, & a turba avocant, ſolique cognitioni, verique inveſtigationi vacant, neque rempublicam capeſſunt, *niſi coacti*. quod ille idem Socrates obſtinatiſſime ſervavit, qui ab aliis improbe, atque injurioſe regi maluit, quam ipſe civitatem cum aliis temperando regni ſocios habere. unde nimirum in maximas calamitates incidit. Plato vero, qui ſe a publicis negotiis, Socratis exemplo, abduxerat, profeſſus in ſola veri perſpicientia, ſolertiaque verſari, invitatus tamen olim a Dionyſio tyranno, in Siciliam perrexit. in ſpem enim venerat, regnum illud nutu ſuo, ac ductu adminiſtratum iri. verum a tyranno, qui oſtentationis cauſſa, ut fit, doctos homines apud ſe eſſe affectabat, indignum in modum ludibrio habitus fuit, ac deridiculo, ſicut complures alii philoſophi, qui in ejuſdem tyranni aula multa cum indignitate verſabantur. denique regnandi ſpe dejectus, ab inſula clam aufugit. Sed credamus illis, ſitque nobis perſuaſum eos haudquaquam ſimulate, atque inſidioſe agere, & omni prorſus vacare imperandi cupiditate. alia autem aggrediamur via, & agamus ratione, quæ mihi nunc primum ex modo dictis exoritur. Homines igitur iſti quantumvis ſapientes ad rempublicam non accedunt, niſi coacti, ut illis faciendum cenſet Plato. cur non ultro, quæſo, & lubentibus animis, ſi res eſt humano generi tam utilis, & neceſſaria, tamque per ſe decora, & honeſta iſta hominum conjunctio, ac conſpiratio? Cur item populis jura, & leges deſcribunt, a quibus ſe ſubtrahant? quid aliis perſuadere

dere nituntur ampleƈendum, quod ipſi tamquam ſcopulum fugiunt? quæſo, quis eos ferat tam varios, tam inconſtantes, ſecumque tam inconſulte pugnantes? Quid? nonne Plato quoque ipſe de legibus ſcribens, multa prædicat de felicitate priſcæ illius ætatis rudis, & incultæ, quum nullæ eſſent leges, nullæ civitates, nec dum eſſet auditum reipublicæ nomen? atque utinam numquam fuiſſet. non profeƈo ad id morum deventum foret. non invaſiſſet tam profunda, inſatiabiliſque regnandi cupiditas in animos principum, inter quos aliquando aliquis inventus memoratur, cujus libidini univerſus orbis terrarum regnandus nimis exiguus, atque anguſtus videretur, pluresque mundos ad Anaximandri philoſophi opinionem ſuæ ditioni ſubjiciendos, triumphandoſque veſtigaret. non tam præcipites, tam proruptc, & præter modum etiam ipſi philoſophi raperentur ad civitatum gubernacula dominandi libidine, quæ homines ad omne facinus ſuſcipiendum impellit, cujus cauſſa tot bella, tot certamina exſiſtunt inter mortales. non opus eſſet tot ducibus, tot imperatoribus, tot bellatoribus. non tot exercitus quotidie occidione occiderentur. Hinc profeƈo Xerxes, cæterique complures barbarorum tyranni, omnia omnium appetentes, tot armatorum claſſibus maria conſtrarunt, tot copiis equeſtrium, pedeſtriumque Helleſponto junƈo, Atho perfoſſo, ingentes traƈus terrarum complexerunt, multaque conati fuere, quæ ſunt ſupra hominum vires. Hinc Romanus imperium orbis affeƈtans tot cladibus ultro, citroque illatis, & acceptis tantum humani ſanguinis hoſtium, civiumque effudit. Hinc contra Carthago, peræque æmula Romani imperii, non ante conquievit, quam viƈa, exciſaque, & ſolo penitus ab hoſte viƈore complanata eſſe deſiit. Hinc denique (quod ſine magna animi permotione, maximaque lacrimarum vi fari nequeo) nunc immaniſſimus Turcarum tyrannus, omnium regnorum appetens, tot millibus barbarorum, tot nubibus cohortium, quas quotidie in arma cogit, imminet Chriſtianorum rebus, cui nomini vehementer eſt perpetuo infeſtus, regum, & principum noſtrorum invitatus diſcordiis immortalibus, & exitioſis contentionibus; qui reges quum potius deberent, ſi quid eis penſi eſſet, communi periculo obviam ire conjunƈtis viribus, communicatiſque conſiliis cum iis qui reƈtis ſenſibus eunt, eoſque potius in hoc æmulari, de potentatu jamdiu certantes incredibili diſſipatione, atque effuſione pecuniæ, jugum ſempiternæ ſervitutis in noſtris, totiuſque reipublicæ cervicibus collocare pergunt, atque tam ſe, quam alios perditum eunt, & in apertam perniciem adducunt, tam manifeſto errore duƈti; neque enim ſcelere crediderim. Utinam vero ipſi ſoli penes quos culpa reſidet, pertinaciæ ſuæ pœnas daturi eſſent, neque publica ruina involverent ſecum omnes populos Chriſti legibus ſubjeƈtos, neque religionis tam certæ, tam auguſtæ famam reſtinguere, neque totius Chriſtiani nominis gloriam, & ipſum inclytum nomen oblivio-

vione ſempiterna, ac nocte obſcurare, penituſque delere pergerent. Quis iſta intuens, ac cogitans audeat Dicæarchi ſententiæ, de qua modo, refragari? aut quis ejus potius librum de interitu hominum, plane aureum ultro non fateatur? hanc felicitatem, hos beatæ vitæ fructus attulit iſta veſtra hominum conciliatio.. & dicere audent, reſpublicas, civitateſque eſſe conſtitutas, ut ſua cuique tenerentur? & adhuc quiſquam mihi juſtitiam nominet, aut beatæ vitæ mentionem facere pergat? O igitur iterum, atque iterum beata illa ſecula quum iſtarum rerumpublicarum nomen adhuc erat penitus inauditum, ignoratumque, fons fraudum, maleficiorum, & ſcelerum omnium! O ter, & quater fortunatam illam, exoptandamque ætatem, quam heroicam merito appellare poſſimus, quum *jus*, & fas ubique mortalium potentiſſima eſſent, quum mortales, *inquam*, ſua ſponte, nullis legibus ſcriptis, aut plebiſcitis boni eſſent, legem optimam, & conſtantiſſimam ſecum ſemper geſtantes; quibus, ut expoſui, innatum, inſitum, naturaque præſcriptum erat, ut Deum quidem primum colerent, deinde parentes, & propinquos, taleſque eſſent erga cæteros homines, quales alios adverſus ſe exſiſtere vellent; & quod ipſi reſpuebant, fugiebantque, in alios neque molirentur, neque cuipiam cuperent. erant ſane omnes, quales haberi volebant, viamque illam inſtinctu naturæ norant quam eſſe compendiariam ad virtutem Socrates dicere ſolebat. nihil erat illis fictum, nihil ſimulatum, nihil a quoquam non ex animi *ſententia* dicebatur, nihil agebatur non bona fide. aberant doli, *aberant fraudes*. erant omnes malarum artium inſolentes. ignota erat omnibus imperii, dominandique cupiditas. non irruerat in hominum animos avaritia, non ambitio, non gloriæ ſupra bonum, & æquum appetitio. non publicæ rei expilatio nominabatur, neque peculatus, neque luxuria; pauca, minimaque exigente natura. illis videbatur mollis, & ferenda paupertas. omnibus erat cibi condimentum, lautumque obſonium fames, potus ſitis; contentis tenuiſſimo victu, nullo apparatu, contemtiſſimis eſcis, & potionibus. ſatis erat omnibus vita modica, & aperta naturæ ipſius deſideria explere. atque etiam ſicut victus erat tenuis, ac facilis, ita veſtitu utebantur parabili ad frigoris, aut ad æſtus moleſtiam, ſeu textili, ſeu nexili. didicerant aſſuetudine, hiemem, & æſtatem juxta pati, inopiam, & laborem pariter tolerare. non erat tot odiis, ſimultatibuſque conferta vita: non circumſtrepebant tot arma: non tot duella audiebantur: non tot hominum ſtrages, non tot urbium direptiones deplorabantur. nullæ tendebantur inſidiæ. erant pacati omnes, ſuo quiſque contenti, nulli neque libidini, neque delicto obnoxii. fidem ſanctiſſime colebant, recte, frugaliter, & abſtinenter vitam degentes. O qui me ſublatum e turba, & iſta confuſione vitæ plenæ inſidiarum, & metus, ex omnique ſcelerum colluvione conflatæ protinus reſtituat ad beatam illam ſolitudinem, feli-

Digitized by Google

felicemque ſejunctionem, qua unuſquiſque apud ſe rerum omnium ſecurus procul a terroribus vivebat. O qui me tandem abducat a tumultu, procelliſque, ac tempeſtate vagæ, ſemper fluctuantis, confligantiſque multitudinis, quam tot odia, diſcordiæ, diſſenſiones, deſpicationes, ſimultates, æmulationes, inimicitiæ, bellaque civilia perpetuo exercent, eveſtigioque ſiſtat in illa placata, tranquillaque vita, in quam nihil, aut certe parum poſſit fortuna, quæ vita, quondam juſtitiam cum cæteris virtutibus e cælo in ſui contemplationem attraxerat. regnabat tunc ſimplex, nudaque, & aperta veritas. omnia, inquam, erant ſyncera, omnia propalam patentia. lucebant ubique per ſe æquitas, juſtitia, virtus, pietas, ſanctitas, religio. ſua re quiſque beatus vivebat. Si quid autem expetebatur in vita, quærebatur dumtaxat ad uſus neceſſarios, non ad perfruendas voluptates. inde aberant multitudinis invidia, odium, obtrectatio. nulli quemquam potentiorum irridebant adulatores. nulli erant largitores, nulli maledici, nulli factioſi. omnia evertit iſta hominum conciliatio, civitas, aut reſpublica, infima ſummis paria fecit, turbavit, miſcuit, in hominum animis veræ virtutis nervos incidit, mentes humanas omnibus vitiis, tamquam venenis delibutas imbuit, tot inductis artibus magis amœnis, quam neceſſariis. Te appello, ſumme Sol, qui opera omnium qui terram incolunt, cernis, omnia colluſtras, ac tua luce comples, temporum dux, & moderator; quæſo te, vidiſti ne umquam inter hominum adinventa hoc uno indignius, vitæque humanæ pernicioſius, ex quo univerſum hunc mundum curſu perpetuo ambire cœpiſti? diluvio ex illo tot inductæ fuere inexpiabiles religiones, tot ſuperſtitionibus referti ſunt mortalium animi, tot vanis ritibus, & cerimoniis aſſuefacti, erratumque eſt plurima ſecula in tenebris, antequam vera religio, hoc eſt, ipſa lux ope divina, non hominum adinventione, mundo illuceſceret. ex illo, inquam, deſierunt homines e virtute agere imbuti malis artibus, quas priſci illi rudes ne ſuſpicari quidem poterant. Subierunt inde tot illecebræ voluptatum, tot magnifici apparatus, vitæque civilis ſupervacanei cultus ac munditiæ ad delicias introductæ, potius inutiles, quam neceſſariæ. ex illo rogo, vel potius ex illa fornace, cupiditatum incendiis humanum genus inflammatum fuit. inde mortalium animis irrepſit ambitio infinita, profundaque pecuniæ, divitiarum, potentiæ, honorum appetitio. inde inde virtutes fere omnes interiere; in quarum locum ſucceſſere vitia contraria; pro labore deſidia; pro æquitate, abſtinentiaque, & continentia, improbitas, licentia, luxuria; pro pudore, & verecundia, audacia, atque temeritas; pro liberalitate, & beneficentia, tum avaritia, tum largitio, ut nec libidini, nec ſumtibus modus ſit ullus. inde doli, furta, fraudes, invidia: inde helluatio, luſtra, ganeæ, popinæ, cæteraque gulæ labes: inde permultorum mortalium neces, vexatio, direptioque ſociorum: inde regum, vel potius tyrannorum, crudelitas, magiſtratuum,

tuum, judicumque intoleranda dominatio. opificum quoque vulgus, ſellularii, & qui in ſordidis artibus verſantur quotidiano quæſtu viventes, quique in agris manuum labore inopiam tolerant, improbi evaſere, ac nihil, his præſertim temporibus, proficiunt, niſi mentiantur. nihil illis veri, nihil uſquam in terris ſancti, nihil ſynceri relictum. nullus apud quemquam cæleſtium metus: nullum jusjurandum ſanctum: nulla religio integra. pietas, probitaſve, aut fides per ſe parum tuta eſt. nemo teſtimoniorum religionem, & fidem colit. animi hominum propter malas diſciplinas libidine cæci, luxu, laſcivia, atque deſidia corrupti intabuere. omnibus fere divitiæ, voluptateſque bono ſunt, honeſtoque potiores. uſque adeo duobus maxime diverſis, atque contrariis vitiis hominum genus fœdum in modum laborat, avaritia, atque luxuria; dum ventri, atque libidini ſumtus quæruut, pecuniaque ſola eſt in pretio, non tantum opum, & potentiæ, ſed etiam multarum, & magnarum effectrix voluptatum. Hinc ſicæ, & gladii: hinc venena: hinc furta, peculatus, expilationes, direptiones civium, & ſociorum, atque innumera præterea flagitia; ut homines nihil jam humani habere videantur præter hominis figuram, & oris ſpeciem. nego, ullum genus ſceleris, libidinis, avaritiæ excogitari poſſe, quo id temporis civitates non laborent. nihil eſt jam, non dico, pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudiis, aut bonis artibus, ſed neque libertati, & ſaluti, loci. Nugantur quidem philoſophi in *hortulis*, & umbraculis ſuis inter ſe ſumma contentione digladiantes *de juſtitia*, fortitudine, honeſtate, dignitate, moderatione, continentia, liberalitate, deque magnitudine animi, cæteriſque virtutibus, deque officio, in quo colendo ſitam conſiſtere ajunt vitæ honeſtatem omnem, in negligendo autem, turpitudinem; ſpecioſa profecto dictu, quæ habent viſum inſignem, atque illuſtrem, ſed re, aut uſu nihil prorſus adjuvant, nihil offirmant, quo meliores ſimus. Iſta vero magis naturam depravare, experimento didicimus, dum virtutibus contraria ſimul vitia docent, quæ hominum animi contagione corporum depreſſi facilius comprendunt, alieni appetentes, ſui profuſi. inde inde medius fidius irruperunt in genus humanum illa capitalia quoque flagitia, & ſcelera, auſique ſunt homines depoſitum abjurare, leges evertere, patriam hoſtibus prodere, parentes violare, fana depopulari, conſcribere mortuorum teſtamenta, adoleſcentes circumſcribere, &, ut denique finiam, quicquid umquam ſcelerum in genus humanum invaſit, ex illo uno, eodemque pullulavit ſeminario. Concluſa hac igitur rebus tam neceſſariis ratione, niſi conſpectum veſtrum auguſtiſſimum vererer, niſi præterea metuerem, ne quis extra criminetur, me violare jus majeſtatis, atque imperii, unum adderem, quod fortaſſe auditu paullum a communi hominum ſenſu, atque intelligentia disjunctum videretur. verum inter bonos, & fortes agendum ingenue.

genue. quamvis enim carnificinam prius ſubeam, quam non promam aperte, & libere quæ ſentio, enuntiabo voce ſumma, quoad vires valebunt, audacter, nullius plane in hac re fraudis conſcius, neque verum in tam optata occaſione (fremant licet omnes) occultabo. Igitur inſanum, ut ait ille, magnum moliens negotium vehementer cuperem hanc vocem, tamquam ex altiſſima ſpecula, unde eſſet latiſſimus in omnes partes circumſpectus, emiſſam a cunctis gentibus, & nationibus in cunctis orbis univerſi regionibus undique audiri, atque intelligi. Audiat natura, atque humanitas. audiant, quæ olim ſolebant in terris cum hominibus verſari, juſtitia, & fides, cum ſplendido cæterarum virtutum comitatu. audite, viri præſtantiſſimi, ſententiam meam. Quum compertum ſit, ex conſtitutis urbibus mala plurima hominibus congruiſſe, cunctaque fere vitia invaſiſſe in genus humanum, atque inde fontem apertum maleficiorum omnium erupiſſe; & mores in dies magis, ac magis lapſos propter hominum inter ſe commercia, mutuamque conſuetudinem, atque convictum fieri deteriores, plus, pluſque quotidie animos depravari, multoque magis in poſterum depravatum iri proſpiciam, periculumque imminere humano generi, ne ultione divina correptum penitus corruat, quod ulterius homines neque vitia ſua, neque eorum remedia pati poſſunt, cenſeo relictis civitatibus, cœtibus, & conventiculis omnibus, ubi improborum licentia corrupta, fœdataque ſunt omnia, ad agros, & ad ſolitudinem univerſe cunctis mortalibus redeundum eſſe: dimittendamque, ac fugiendam tetram hanc, atque immanem belluam, quam reipublicæ nomine, ſecutus veterem errorem philoſophorum, Vida ingreſſus eſt tot laudibus inauſpicato obruere, triplex, inquam, tot capitum, totieſque tripartito tergeminum monſtrum tot involucris, & integumentis involutum portentum, toties multiplex, tot flexionibus, tot caudarum voluminibus, & ſpiris contortuplicatum, hoc eſt ipſam germanam rempublicam, qua conciliatrice, & quaſi lena animum umbris, deliciis, otio, languore, deſidia, labefactavimus; remigrandumque ab ea vita in qua eſt nobis longe plus mali, quam commodi, ad priſcam vitæ privatæ, ac ſolitariæ tranquillitatem, ac ſecuritatem, in qua propulſo legum, & pœnarum, cenſoriarumque notationum metu non anxii uſquequaque futuri ſimus, ſed cum gravitate, & animi conſtantia nobis, & apud nos ſimus victuri; relinquendaque a nobis regna, imperia, honores, nobilitates, majeſtates, dominatus, divitias, opes, inanes glorias illis qui ea tantopere appetunt. Agite, viri fortiſſimi, a tempeſtate porro omnium perturbationum undis excitata in portum tutiſſimum nos conjiciamus, vindicemuſque a turpiſſima, fœdiſſimaque, ſi viri eſſe volumus, ſervitute in priſtinam priſcorum mortalium libertatem. eximamus nos ab iniquiſſimo primatum, magiſtratuum, &

 judi-

judicum, quibus deſitum eſt quicquam iniquum videri, dominatu. evadamus tandem a populi invidia, tamquam ab ergaſtulo, & ab aliquo piſtrino, & ad majorum noſtrorum feliciſſimum priſcæ illius antiquitatis ſtatum revertamur, ubi principum, & populi mores non ſint nobis tanta nauſea ferendi, tot ineptiæ, tot ſtultitiæ devorandæ. vitemus conventus, & congregationes tot inſidiis, fraudibus, & fallaciis refertas. meminerimus aureæ illius ſententiæ prudentiſſimi philoſophi, nullam tam deteſtabilem peſtem exſiſtere, quæ homini ab homine non conſletur. revocemus ad hanc ætatem tam deformem, tam ſqualidam, & obſoletam heroica illa, & beata tempora, & aureum ſeculum repræſentemus. reducamus in terram juſtitiam poſtliminio redeuntem, pulchritudinemque, & ſplendorem virtutis jam olim a mortalibus repudiatum, atque rejectum. ſevocemus nos a tot, tantiſque moleſtiis offenſionum, & repulſarum, procul ab inſtabilis vulgi judicio, procul ab ambitione, & honorum contentione. Quid, obſecro, dulcius, quid jucundius, quam vivere ex natura? quam ſi ſequamur ducem, atque magiſtram, numquam a recto aberrabimus, Deo uni præpotenti obtemperantes, totius hujus ampliſſimæ civitatis, mundi, inquam, & univerſæ naturæ molitori, atque moderatori; ſuam quiſque familiam regentes, facultatum ſe quiſque ſuarum finibus continentes, parvoque contenti, magis rebus neceſſariis, & ſalubribus ſtudentes. quam quietem, vitæque ſecuritatem, & cunctarum perturbationum ſedationem ego medius *fidius omnibus* imperiis, omnibus omnium triumphis, magnificentiis, ſplendoribus, apparatibuſque cum elegantia, & copia, cunctiſque opibus, atque divitiis, ſi quid mei judicii eſt, anteponendam duco.

Dixi ſententiam rogatus, præſtantiſſimi viri, non modo me, ſed viro quovis gravi, & abſtinente, quem voluptatum *illecebræ* a veris, & optimis conſiliis dimovere non poſſint, digniſſimam. Ne quis tamen autumet, me genus humanum omnino diſtrahere ad diſperditionem, diſſipare, atque divellere velle, omnes ipſe potius gentes, omnes nationes, omnes populos, cunctoſque mortales ex oppidis, & municipiis, atque quibuſvis conciliabulis ad ampliorem ſocietatem, quæ lege naturæ latiſſime patet hominum inter omnes, ample, atque magnifice deduco. Hæc habui fere in hanc ſententiam quæ dicerem, quoquo modo potui, ad hanc dictionem ſubitam, & improviſam, adde quoque, mihi parum gratam adverſus ingenium meum detruſus, imparatus, atque inexercitatus. Scio equidem mihi opus fuiſſe longiori apparatione, quum maxime laborandum eſſet in odioſo cauſſæ genere. Sed enim quid facerem? mos gerendus fuit Montio; qui totam hanc turbam concivit volens, quum pacata, tranquillaque eſſent omnia, quod præviderat hac diſputatione ſibi, ſuiſque collegis, ni id faceret, protinus negotium exhibitum iri. æquum enim eſſe, atque

c di-

e dignitate videbatur eos hujus noſtri conventus, & ſocietatis principes principe loco ſententiam dicere, & excipere primos ictus in arenam deſcendentes. Itaque is, ut ſe ex hac turba evolveret, a ſeque, & ſuis conſeſſoribus omnem hanc moleſtiam amoveret, quicquid plane laboris, diſcriminis, & certaminis imminebat, in nos ambos, Vida, ſi neſcis, minus ſibi conjunctos, & longo intervallo ad ſe pertinentes, ordinis inferioris homines derivavit.

His ille dictis, oculorum quadam hilaritate liberali modeſte nobis arriſit. eveſtigioque exuit omnem illam quam in dicendo modo præſeferebat, acerbitatem, & auſteritatem, quo orationis vehementiam ardore oculorum, vultuque plane non ſuo imitaretur; totius ut oris mutata ſpecie confeſtim ſit factus plane alius, oſtenderetque omnino, ſe alienæ perſonæ actorem fuiſſe, neque ſuopte ſenſu ea pronuntiaſſe, præſentemque quodammodo tunc abſentem fuiſſe. Quum omnes vero docti hominis, atque parati non ſatis admirari poſſent eloquentiam, Montius conſpicatus, rem ex ſententia procedere, jactamque eſſe aleam, ut omnino reſpondendi cum contentione neceſſitas mihi impoſita eſſet, Hactenus equidem, inquit, Flaminium ſemper ratus ſum poetam dumtaxat dulcem, atque compoſitum, talemque cui noſtra ætate pauci pares eſſent. lego enim etiam interdum poetas, quum mihi a publicis muneribus otii quippiam datur, neque a recentioribus, & ab eis qui hodie vivunt, tempero. Exiſtimavi ſane ſemper, poetas, atque oratores facultate inter ſe plurimum eſſe disjunctos, paucique ideo hactenus inventi ſunt inter omnium ætatum alicujus nominis poetas qui, non dico optime orarent, ſed ſolutam orationem non omnino contemnendam conficerent. difficile eſt enim pluribus diſtentum ſtudiis non modo in omnibus, ſed etiam in uno, & altero excellere. una profecto quæque ars totum hominem occupat, neque eumdem facile patitur in diverſa diſtrahi, curamque, & cogitationem huc illuc dividere. quod ſane noſſe poſſumus in duobus linguæ Latinæ luminibus M. Tullio Cicerone, & P. Virgilio Marone; quorum alter, exceptis verſibus, ne literam quidem ſcriptam reliquit, alter vero per otium interdum poeticam adortus fuit: ſed quam belle ei ſucceſſerit præ illis ſtudiis quæ illi erant propria, nemo noſtrum non novit. Proinde inter nos quoque qui huc convenimus, quemdam eſſe ſcio (ſimulque Polum innuebat) qui in omni ſcriptionis genere plurimum valet: eum tamen nullum umquam verſum feciſſe audio. at Flaminius noſter quam magnifice, quam copioſe, atque compoſite videtur tibi, Vida, etiam oratoris munere perfunctus fuiſſe? Mihi ne, inquam? quem nihil tale exſpectantem accurata illa dicendi copia, atque ubertate, tantoque verborum curſu, quaſi torrente pæne perterruit, ac ſtupefecit, & niſi tam manifeſto eſſent falſa quæ dixit, eo me redegiſſet

loci,

loci, ut plane neſcirem quo me verterem. Si ille in ſolitudine, quam tantopere præſefert expetere, eductus fuiſſet, non in ea urbis luce inter doctiſſimos optimis inſtructus artibus, atque virtutibus, numquam ita obturbaſset, neque hercle hic mihi conflatus eſſet labor, quum ad ea quibus non modo aſpere, ſed etiam atrociter, ac præfracte eſt inſectatus rempublicam, mihi reſpondendi onus impoſitum ſit. Verumtamen nobis, quibus Flaminii oratio viſa eſt docti hominis, copioſi, atque parati, non adeo mirum eſſe debet. habet enim ille non multo minus ab oratoribus, quam a poetis. quamvis etiam intueor, poetas plerumque in ſuis poematis virtutes oratorias perſequi, & proximam eſſe cum oratoribus poetarum cognationem (de illis loquor quibus ſummam copiam, & dicendi facultatem eſt elargita natura) poetamque oratori in multis ornandi generibus animadverti eſſe ſocium, & pæne parem. atque ideo viſum eſt multis, Platonis ſcriptionem, tametſi abſit a verſu, magis poema habendam, quam comicorum poetarum locutionem, quod paullo magis incitatus feratur, & crebris verborum luminibus, tamquam ſtellis quibuſdam, ſemper grandis orationem illuſtret. quo in genere Democritum quoque habitum fuiſſe audio. quandoquidem quamvis iſtæ duæ facultates longe ſint inter ſe disjunctæ, multa tamen exſiſtunt utrique communia, taliaque, quæ non parum inter ſe mutuo adjutant. quod quidem experior in me ipſe. nam non defuerant qui me quoque in aliquem poetarum numerum veniſſe crederent. Quaſi vero, inquit Priullus, *nunc primum norimus nos inter nos*. ut contemtim de te *ipſe!* perinde poetam diſſimulas, ac ſi numquam poeticam attigeris, qui libros non parum multos verſibus referſiſti. atque de ea ipſa arte poema edidiſti ſane bene longulum, in quo præcepta tradis ejus quicquid eſt artificii, conatus adoleſcentulum a grammaticorum ſinu ſuſceptum talem inſtruere, ut evaderet poeta omni laude cumulatus; audioque eum librum legi a multis, & in academiis ab adoleſcentibus memoriæ mandari.

Iccirco jamdudum mecum mirabar, quod omiſſis, vel intermiſſis priſtinis tuis ſtudiis omnia alia ageres; atque ego quidem de hac re, quod vehementer optabam, numquam te hactenus appellare auſus fui. Ego, inquam, Priulle, negare non poſſum, poſuiſſe multum temporis, & quaſi ætatem triviſſe in illis ſtudiis quibus a puero me totum dedidiſſem, non tam ut animo meo indulgerem, quod faciunt multi, quodve in illa facultate aliquid poſſe mihi perſuaderem, mihique placerem, quam ut aliorum voluntati morem gererem. Quum enim jam adoleviſſem, relictis ſtudiis illarum artium quas qui tenent, eruditi vocantur, me totum philoſophis, tum theologis tradideram erudiendum; graviſſimiſque illis ſtudiis Romam adductus operam ſtrenue navabam. neſcio quomodo a Leone Decimo, tunc Pontifice Maximo, interpellatus fui,

fui, ut relicta, rejectaque omni alia cura, ac ſtudio, periclitarer, quid efficere, quantumve progredi valerem in exprimendis, & verſu explicandis rebus divinis, quæ pertinent ad CHRISTI inſtituta, totamque tam auguſtæ religionis, ac ſanctitatis rationem optimorum poetarum figuris, atque virtutibus latine, quoad poſſem, ornarem. autumo quia fortaſſe legiſſet quoſdam meæ adoleſcentiæ luſus, verſus, inquam, illos quos olim adoleſcens de re ludicra, ſed non parum difficili, atque involuta (SCACCHIA vulgo vocant) conſcripſeram, nec non duos quoque libros de BOMBYCE. erat enim Pontifex ille ex clariſſima, atque honeſtiſſima, ut neminem veſtrum præterit, Medyceorum Etruſcorum familia, omnium virtutum auctore, qui ad beneficentiam, ad decus, & amplitudinem nati pluſquam homines, diiſque ſimillimi, dum artes, exercitationeſque virtutum in Italia ubique propagare, ac promovere ſtuderent, nihil prius habuerunt, quam honeſtis præmiis optima ingenia elicere, atque vel remotiſſimum quemque, & nihil ad ſe pertinentem, in quo eſſet ingenii, & virtutis indoles, liberalitate ſua excitando, in omni ſtudiorum genere ad ſummam perfectionem, ad excellentiamque perducere; digni certe immortalitate viri. Non potui ſane tanti Pontificis, tamque de communi hominum ſocietate bene meriti piæ voluntati non obtemperare; ſcripſique poetarum more de ipſius CHRISTI rebus, & inſtitutis libros VI. qui fortaſſe in aliquorum veſtrûm manus venere. conatus fui in illis, id quod apprime LEO expetebat, verbis Latinis explicare quædam ſenſa recondita expreſſu difficilia Hebræorum linguæ propria, & a ſermonis tum Romani, tum Græci majeſtate admodum aliena, graviſſimas, inquam, ſententias parum verbis adhuc ornatas, quæ videbantur nulla umquam ſermonis Latini luce poſſe ſatis ſplendeſcere, ut, ſi quis forte poſt me eadem præclarius illuſtrare cuperet, aliqua ſaltem a me impreſſa veſtigia inveniret, in quibus inſiſtere poſſet, & ſua ibidem altius imprimere. Sed quum divina illa de CHRISTI rebus a IIII. viris conſcripta hiſtoria non mihi omnem omnino occaſionem ſumminiſtraſſe viſa eſſet opportune, & loco ſuo, atque ordine, extra omnem nimiæ induſtriæ ſuſpicionem, ornandi ea quæ ſunt ejus religionis propria, poetis noſtris adhuc, ſi non plane intacta, ſaltem inexpugnata, ea ipſa de cauſſa HYMNIDA conſcripſi, laudum, inquam, divinarum librum, quibus, ut potui, pro imbecillitate humana proſecutus ſum, Deum quidem prius præpotentem trinis perſonis unum, optimum, maximum, deinde etiam minores Cælites, tamquam ejus cives, & adminiſtros; imitatus in hoc ſcribendi genere, diverſa tamen religionis ratione, antiquiſſimos theologos Orpheum, Linum, Mercurium. Vides igitur, Priulle, me non ab re iſtæc ſtudia diſſimulaſſe. negavi me eſſe poetam, quod poetæ quæ canunt, ſcribuntve, ea ſuapte ſponte, atque animi libera quadam oblectatione

fa-

faciunt. ego vero iſta, qualiacumque, juſſus, ne dicam, coactus, ſcripſi: rectiuſque fere Leonis Decimi poemata, quam mea dici poſſunt. Tandem, reſtincto in me calore illo, ſine quo negabat Democritus, quemquam poetam magnum eſſe poſſe, ſerius quam voluiſſem, ad me ipſum redii, meque retuli ad priſtina *ſtudia*; quæ licet tempori ſerviens intermiſiſſem, attamen ea ſemper animo retinueram. Flaminius vero noſter extra hanc neceſſitatem poſitus, ſemper fuit ſuus, ſcripſitque, quæcumque ei collibuiſſet, nullius obnoxius imperio, vere poetæ nomine dignus. iccirco animadvertere potuiſtis in illa tam longa, multumque litigioſa reipublicæ accuſatione, quam incitatus ferretur, quam grandis, *valenſque* aſſurgeret, quam creber luminibus quibuſdam ornaret orationem; ut ambigas, oratorem ne rectius, an poetam dicas. *ego* vero eum utracumque velis manu æque aptum, potentemque, ac paratum etiam pluſquam vellem experior.

Non ignorat Vida, inquit Flaminius, nihil hic plane fuiſſe iis opus quæ nunc perlevi arrepta occaſione extra cauſſam memorat: verum ea verborum tenus dumtaxat, nihil ex animi ſententia, intimove ſenſu loquitur. interim nimirum comperendinando ſe colligit, & quantulumcumque poteſt ſpatii ad cogitandum, commentandumque ſumit. quod equidem haud moleſte fero, ut cum *poſtea* cum majore reipublicæ, de qua quærimus, proventu, audiamus. Tum Polus, qui itidem quoque tacitus animadverterat, *quum* ſit mitiſſimi ſenſus, animique leniſſimi, & omnibus *mortalibus* conſultum eſſe cupiat, incredibili benevolentiæ *caritate* humano generi devinctus, ſui uſquequaque memor, ſui ſemper perſimilis, ut ipſe quoque ampliaret, Numquam poſſem ſatis, inquit, laudare beneficentiſſimi Pontificis illius tam ſapiens conſilium in iſtiuſmodi re providenda, Chriſtianis hominibus non modo decora, ſed etiam ſalutari. vix exprimere valeam, quanto ſtomacho audire, aut legere ſoleo Chriſtiani hominis poemata in quibus ubique Joves, Veneres, Saturnos, Caſtores, Polluces, & id genus nugas auribus meis inculcant, præter fabellas, & molliculas, plenaſque libidinum, & titillationum omnis generis narrationes. tu quoque, Vida, viſus es mihi aliquamdiu via communi ingredi, quum adhuc adoleſcens illos ipſos tuos luſus juveniles quos modo ajebas, amicis legendos dares, inſuper & bucolica, multaque *alia* carmina ad amores pertinentia, dulcia quidem, & illa quam tantopere vos poetæ affectatis, ſuavitate; quadam, inquam, ut ita nominem, ſtili lætitia, diffluentia. quam metui, ne ingenium tuum in illiuſmodi ludicris exercitationibus conſeneſceret! in *illis* tamen quod minus e religione videatur, nihil umquam offendi, nihil plane quod non ſit Socratis auribus, aut ſanctitate dignum. poſtea vero quam incidi in ea quæ e CHRISTI diſciplina ſcripſiſti, intellexi, quo deinde ad hæc ſeria te homine Chriſtiano,

pix-

præſertim ſacerdote, digna, explicanda exercitatior accederes, atque limatior, prius in illis jocularibus te aliquamdiu exercuiſſe, tamquam in ſumta theſi, imitatum novos, rudeſque medicos, aut tonſores, qui antequam in frequentioribus municipiis medicinam, aut tonſtrinam faciant, ruri, aut in deſertiſſimis oppidulis arti ſuæ ſe quiſque aſſuefaciunt, & quid valeant, prius in corporibus ruſticanorum hominum, quorum non tanta eſt jactura, periclitantur, diſcentes eorum periculo. Ad hæc Cervinus, Eodem conſilio, inquit, olim doctiſſimi ſanctiſſimique viri Baſilius, & Gregorius Nazianzenus itidem factitarunt apud Græcos, quod tu, Vida, apud Latinos. ut enim avocarent adoleſcentes, & otioſos homines ab Homero, cæterorumque Græcorum fabulis, & commentis, confecerunt ipſi poemata ad CHRISTI diſciplinam, quorum lectione ſe quiſque oblectare poſſet. Alterius ego adhuc exſtantia nonnulla legi, quæ haud ita probantur, ut vellem, ab iis qui Græce ſciunt, quum auctor cæteroqui doctus eſſet. Vix ille loquendi finem fecerat, quum Montius me intuens, Ad rem tandem, inquit, Vida, mittamus, ſi placet, de nihilo natam hiſtoriam, atque ad inſtitutam diſputationem redeamus.

FINIS LIBRI PRIMI.

M. HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
DE DIGNITATE
REIPUBLICÆ,
SEU CIVILIS SOCIETATIS,
AD REGINALDUM POLUM CARDINALEM,
LIBER SECUNDUS.

TUNC ego tacitus intuens Flaminium, & caput leviter quatiens, quaſique abnutans, non triſtis plane tamen, ſed propior hilari, ac ſubridenti, Ita ne, Flamini, inquam? Ain' vero ſerio? Quid tu hominis es? Siccine eloquentia, & literis abuteris? dii, veſtram fidem! Itan' prorſus oblitus es tui, ut ad iſtam vitam nos invites, aut potius obtrudas? ſi iſta ex animo loqueris, equidem cupio tibi a diis immortalibus mentem meliorem dari, qui accuſatorie inter nos agens, rempublicam & hominum conjunctionem, ex qua una re cæleſtium quaſi vitam adepti ſumus, indignis acceptam modis, adeo exornatam, atque depexam dediſti, civilemque communitatem, qua nihil magis opportunum, magiſque ex uſu, aut potius neceſſarium datum eſt humano generi naturæ ipſius munere, adeo oratione vexaſti, adeo raptaſti, atque coram tam gravibus viris, in tam auguſto cœtu ea auſus fuiſti enuntiare quæ non a philoſopho confutanda eſſent, ſed potius a cenſore religionum reprimenda. Tun' audes iſtum in modum vitæ parentem inceſſere, ſibiliſque conſcindere,

cam-

eamque pro ridiculo, ac delectamento putare, & te tam nefario parricidio conſcelerare, tam impie ingratus? Quid porro boni tu habes quod non habeas ab ea adverſus quam tam atrociter fulminas? id ſane eſt hominis in literis intemperantis, nimium confidentis ſibi, & abutentis ingenio ad oſtentationem. tota plane aberras via, totus in phyſicis alienus. Non tu te, inquam, cohibes? non tu te reſpicis? Nonne ſentiebas, quum ea diceres, alioqui doctus homo, contra ſenſus, & perſpicuitatem, contraque omnium gentium conſenſum diſputare? miror, pudorem tuum, quo te ſemper probavi, paſſum fuiſſe te tamdiu in ea calumnia verſari, neque erubuiſſe te audita quaſi voce naturæ, quæ tibi me tacente contradicebat, quum eas tragœdias declamares tonans, ac fulgens contra depravatos hominum mores, in quo tua diu fruſtra ſe jactavit oratio. Quaſi vero nos corruptelas defendamus; quas quid attinet toties inculcare? Næ tunc magnifice putabas rem geri, & ex ſententia, quum Solem ipſum omnia videntem, omnia colluſtrantem interpellabas, conteſtabariſque. Miror quod itidem non cætera cæli ſidera, tam quæ fixa ſunt, quam ea quæ errare videntur, teſtatus fueris, neque imploraveris omnes deos tam ſuperos, quam inferos, tam maximos, quam infimos, & medioximos, illum præſertim qui templa cæli ſumma ſonitu concutit, neque advocaris cives, & populares omnes, advenas, & peregrinos, neque item clamaveris: O cælum, o terra, o maria Neptuni!. & Orcum ipſum, ac Plutonem non appellaveris. quæ, per Deum, immanitas illa verborum? quæ atrocitas? vel quum laudares diſcerptionem, diſperſionemque humani generis, quum mortales in montibus, & ſilvis nullis moribus viverent, vitamque illam non modo rudem, agreſtem, atque horridam, verum etiam oſcitantem, languentem, & dormitantem tanta verborum effuſione in cælum tolleres. in qua re viſus es mihi plus æquo tibi indulgere, idemtidem quædam dulcia dictu inculcans, quæ ſunt ambroſia, & nectar poetarum, magis poetam, quam philoſophum, aut oratorem decentia. Exſpectabam ideo, ut nobiliſſimi poetæ verſus quoque de vita ruſtica, tamquam teſtes tuæ ſententiæ, & ſuffragatores citares:

Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.
Flumina amem, ſilvaſque inglorius. o ubi campi,
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta? Rurſus paullo poſt:
— — O qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra?

Quædam ſcilicet feſſi animi, & otium ſumme expetentis a publicis negotiis, atque laboribus laxamenta, magis dictu, aut lectu jucunda, quam quæ ſint ex aliquo uſu, cujuſmodi quoque illa cantio apud Flaccum:

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis.

& quæ ſequuntur; plurimaque aliorum alia. Talia quum diceres, nos, qui te audiebamus, animadvertebamus nihil tibi plane deeſſe præterquam cauſſam. Cane tu potius iſtæc feris & belluis, non hominum generi, cui natura comparatum eſt ſocietate delectari, & in communione vivere.

Non ignoro equidem, Socraticam eſſe conſuetudinem contra alterius quamcumque vis opinionem diſſerendi, Gorgiamque ſophiſtam locos communes invenisſe quibus poſſint facile omnia vel laudari, vel vituperari. parcius tamen, ac reſtrictius agere poteras, eaque tibi erant tangenda dumtaxat ad dialecticorum conſuetudinem, qui veri, & falſi dijudicandi ſcientiam habent; quum præſertim coram doctis judicibus mecum tibi eſſet res. Verum quæ prætervolare poteras ſubtili, & compendioſa diſputatione, maluiſti dilatare fuſo latius ad rhetorum diſciplinam ſermone; & ubi tibi videbaris poſse oratione volitare, velis, remiſque non pepercisti, ut mihi per oppreſſionem cauſsam eriperes. Quid ſi ego quoque adverſus te clamem, omniumque mortalium, popularium, & peregrinorum poſtulem, orem, obſecrem, plorem, atque implorem fidem? verum agam tecum ſimplicius, quum non deſit mihi copia rationum quibus te cogere queam. Vix dicere poſsem quam nunc memet mei pœniteat, qui eo redactus ſum, ut mihi opus ſit argumentis probare Solem lucere, calere ignem, nivem eſse albam, & id genus alia, quæ ſunt per ſe perſpicua, quæve ſenſu nemo non percipit; atque neceſse ſit reſpondere contortis quibuſdam rationibus tuis, & fallacibus argumentis, quæ ſophiſtarum more, tamquam hamos quoſdam, aut laqueos, in tota oratione inſidias collocans innexuiſti. metuo namque ne rem minime dubiam, argumentando dubiam faciam, atque incertam; quum ſæpe audierim, ſicut fidem, perſpicuitatem quoque argumentatione elevari. Si ego nunc tecum verba ad compendium conferens more dialecticorum agere velim, a quibus oratio breviter ratione concluditur, perfacilis, perque expedita defenſio foret, eſsetque confectum ſtatim negotium. eſt enim eorum ars, contracta, atque aſtricta quaſi eloquentia. Si te cœpero interrogare de iis quæ tantopere, tantaque molitione pronuntiaſti in ſingulis inſiſtens, ut de ipſo te intelligam, quid abnuas, quid concedas, potero facile ex te, ut ille ait, verum exſculpere, ut temet ipſe ſtatim mihi vinctum dedas; quod equidem adducor, ut faciam, ut ad ea quæ mihi dicenda ſunt de tota reipublicæ ratione, actutum accedere liceat. Tunc Montius, qui, nobis laborantibus, quamdiu poterat, ipſe quieſcere & animo ſuo morem gerere cogitabat, Niſi aliter, inquit, collegis meis, & huic Priullo videtur, mihi

mihi certè dialecticorum mos diſserendi minus probatur. quorum eſt ſubtile quidem, ſed exile, & ſpinoſum dicendi genus, ut vix intelligantur quæ ab eis ſqualidius dicuntur. uſque adeo conciſa ſunt argumentorum contortione, ita compreſsa, & involuta, ut videar mihi, quum eos audio, aut lego, per ſcrupuloſas cotes navigare. nimirum ſæpe injiciunt laqueos, ut captionibus irretiant ingenia adoleſcentium, & perſæpe veniendum eſt ad ſorites brevibus, & acutulis quibuſdam concluſiunculis; lubricum, & periculoſum ſane diſserendi genus, quod nullam audienti, aut legenti affert delectationem; & ſæpe falſis aſsentiri cogimur. latior mihi, lucidiorque ſemper placuit argumentandi ratio quam rhetores ſequuntur. qui ſicut minus acute, ita minus abſcondite loquentes, quodammodo dilatant, atque res fuſe, & copioſe explicant, & omnia quibuſdam quaſi luminibus, ſententiis, & verbis illuſtrant. Æquum eſt præterea te, Vida, eorum armorum genere quibus te Flaminius appetiit, eum repellere, atque, ſi vales, conficere, ut ſit par pugna, æquaque colluctatio; neque verendum eſt, ne hora nos interpellet, quum adhuc multum ſpatii ad veſperum ſuperſit, etiam nunc ſcandente Sole, totaque dies ſit noſtra, quam huic diſputationi omnem dicavimus. Cenſeo itidem, aſsentiente etiam Polo, Cervinus inquit: dices nihilo ſecius inter reſpondendum, interque refellendum, ea quæ tibi jamdudum dicenda erant, ni Flaminii interventu, intercurſuque impeditus fuiſses, ſublata interdum verborum contentione, docentis magis ſimilis, quam repugnantis; neque hanc prorſus orationem tibi contra eum ſuſcipiendam arbitror. Tunc ego, Suſtinebo igitur duas perſonas, qui vix unam ferre valeo, quando ita vultis; minuamque, quantum potero, contentionem. perſequar, inquam, ea quæ erant propria hujus diſputationis, & quod modo exorſus fui, prætexam, & totam rem explicabo, atque interdum occurram Flaminii fallaciis, quoties mihi ſe offeret occaſio, imitatus impigrum gladiatorem in arena pugnantem, qui adverſus inimicum uſquequaque dextrovorſa icit manu. Si tamen ſibi ex uſu fore conſpicatus ſit, eadem manu ſiniſtrorſum flexa ictum retorquet, atque aut ferit, aut cavet, & imminentem ſibi plagam rejicit, atque refutat. Agam itaque tecum, Flamini, potius, ut volunt noſtri heroes, fuſa, & fluente oratione, quam illa contorta, acri, atque vibrante, magis tamen orator ex academiæ ſpatiis, quam ex rhetorum officinis; neque tam tecum pugnabo, quam aperiam quid ſentiam de tota re quæ eſt in manibus. Porro tuæ argumentationes me leviter tangunt, qui vis rem ad glandes, ad caſas, aut potius ad cavernas, ferarum luſtra, & volutabra redire; namque tuam omnem diſputationem, tamque longam orationem paucis conficere valerem, proſternere, atque obterere; & tota cauſsa dici poſset, ac perorari duobus, aut tribus verbis. quandoquidem

quæ

quæ ego pono, atque ea quæ tu impugnas, non eadem ſunt omnino, ſed longe inter ſe abjuncta, atque diverſa, & prorſus alia. Ego rempublicam, civitatemque defendo: contra tu, fœdiſſimam tyrannidem, & improborum dominatum probris inſectaris; res oppido, a ſe ſe mutuo diſtantes, & diſpartitas. igitur *mihi* nulla tecum eſt controverſia, nulla certatio. Quod tu oratione plena ſtomachi deteſtaris, neque mihi illud perplacet. Vide quantum a ſcopo aberrâris. Laudo ego veræ, & ſolidæ reipublicæ divinitatem, & perfectionem: tu contra, in civitatis corruptæ, debilitatæ, decurtatæ, affectæ, afflictæ, morientis, planeque jam mortuæ ſimulacrum, & umbram inanem inveheris. de homine vivo, atque vigente, & omni genere laudis præcellente a me *quæritur*: tu affers projectum, & plane mortuum corpus, rancidumque cadaver, de quo mihi contradicas. an tibi videntur concinere reſpublica, atque tyrannis? vide quam nimis multa profuderis nulla de cauſſa, quam fruſtra tantopere laboraveris. ſi ego vellem, totius hujus quæ mihi tecum eſt controverſiæ hic terminus adeſset, cauſſaque dicta, me ſalva exiſtimatione ex hac turba nullo negotio expedire poſsem. Nihil plane adverſus rempublicam, nihil contra civitatem peroraſti. ſed contra confuſionem quamdam, contra ſceleratorum hominum factionem, & conſpirationem, contra ſcelera, & latrocinia cujuſdam conflatæ, coeuntiſque multitudinis, contra omninò aliud atque ego propoſueram, declamaſti, & *ſeculum noſtrum* hominum vitiis, & flagitiis commemoratis *nobilitaſti*. *nihil* hercle prorſus dixiſti. Ego regem juſtum, ac bene moratum poſco: tu in medium affers teterrimum tyrannum, ad quem pertinet illa ſententia: *Si violandum eſt jus*, & quod ſequitur, ab Euripide Eteocli ſceleratiſſimo, ut perſonæ ſerviret, attributa. talis namque rex datam ſibi ad ſalutem, & ad conſervationem civium poteſtatem, ad bonorum peſtem, perniciemque convertit. Porro quid attinet toties depravatos eſse mores inculcare? Si prius inter nos convenifset, quid ſit reſpublica, tua neutiquam adeo vagata eſset, neque tam late hac illac fluctuaſset oratio. ecquem tam amentem exſiſtere arbitraris, qui approbet vitioſas reſpublicas, aut verius tyrannidas? de qua re urges idemtidem, & mordicus pugnas. Ut igitur quæ ambo dicimus, concinant, conſtetque inter nos, quid ſit res de qua loquimur, neve confuſe agamus, quæſo te, bona venia liceat mihi te ſaltem de hoc percunctari, Quæ res huic voci ſubjecta ſit. Prius, id nomen quam vim habeat, tibi eſt aperiendum brevi quadam, & circumſcripta explicatione; id quod poſitum in Phædro a Platone probat vehementer Epicurus, affirmatque, in omni diſputatione fieri oportere. Sic enim quod involutum eſse videtur, evolvitur, atque dilucide explicatur. Ad ea Flaminius, Quando me, inquit, rogas, ſcio, varie a philoſophis rempublicam definiri. Plato ſiquidem dixit eſse vitam civitatis. eam Ariſtoteles aper-

apertius explicat, inquiens, eſse eorum qui vivunt in civitate, rectam quamdam inſtitutionem. alibi autem latius, ac luculentius declaravit, eſse inſtitutionem civitatis circa magiſtratus omnes in ea ordinandos, præſertim circa primum, ad quem ſpectat omnes alios ſumma auctoritate, & poteſtate inſtituere. Alii vero aliis verbis idem fere innuunt, dicentes, rempublicam eſse rem populi. quum rem dicunt, ſummam ego intelligo, ut rei univerſa vis & genere, & proprietate quadam enucleate declaretur. neque puto hic quicquam eorum quæ ponenda erant, deeſse, neque quicquam ſuperfluere, aut redundare. Bene habet, inquam: nunc video tandem incipis te dare in viam qua ad id quo volumus, pervenitur. ita enim ſpero conſtare poſse id quod venit in diſceptationem. hanc vero brevem, & circumſcriptam explicationem video convenire omnibus reipublicæ formis, ſive ab uno rege, ſive a principibus civitatis, ſive ab univerſo populo geratur. neque enim rectiones hujuſmodi inter ſe genere, ſed forma tantum, & ſpecie differre dignoſcuntur. Hoc jacto diſputationis noſtræ fundamento, inchoata adhuc tantum eſt reipublicæ ſpecies, exſiſtitque in animis noſtris adumbrata ejus cognitio; nondum abſoluta, atque perfecta. nam utracumque harum definitionum quas ultimo loco dixiſti, tibi probetur, ejus partes adhuc tamen reſtant explicandæ. Convenit ſane rempublicam eſse rem civitatis, aut populi. nam primam fuiſse, ut tu quoque memoraſti, ab Ariſtotele introductam novi; alterius autem auctorem exſtitiſse accepi P. Scipionem Africanum, apud Ciceronem in libris quos reliquiſse ſcriptos de hac ipſa re ipſe teſtatur. nihil plane inter ſe differre, ſed unam eamdemque omnino eſse intelligo. Oportet tamen a nobis lucide, ac perſpicue declarari, quid ſit populus, quidve civitas, ex qua populus omnis. ſecus adhuc verſaremur in tenebris, atque hallucinari poſſemus. Porro ego colligo ex verbis Ariſtotelis, civitatem non eſse omnem hominum coeuntium multitudinem, ſed eam dumtaxat, quæ congregata eſt ad bene, beateque degendam vitam; ut etiam Africanum, populum definiſse audio, non omnem cœtum, ſed illum tantum qui juris conſenſu, & utilitatis communione eſt ſociatus. Vides igitur ex civitatis, aut populi (idem enim ſunt) brevi deſcriptione, in republica exſiſtere quamdam utilitatum communicationem inter eos qui conjuncti, congregatique vivunt. neque tamen propter omnem utilitatem fit hujuſmodi conciliatio, neque ſolum vitæ ipſius cauſsa, ut ſcilicet homines hac conjunctione vitam degere poſſint; parum enim in hoc a ceteris animantibus quæ ſocietate gaudent, differret hominum genus. nam & illa quoque inter ſe multa communicant eorum quæ attinent ad vitam producendam, atque tuendam. nempe nullum animal præter hominem eſt felicitatis capax; quem finem, & extremum eſse civilis ſocietatis omnes cordati philoſophi ponunt; quod eſt non tantum vivere, ſed etiam

bene

bene vivere; ad quod communicatio vitæ & publice, & privatim plurimum confert. communicamus enim inter nos actiones quæ proficiſcuntur ab honeſtate, id eſt a perfecta virtute, quæ circa uſum, & exercitationem verſatur, quam prudentiam appellamus, locatam in delectu bonorum, & malorum, ſemper cum juſtitia conjuncta, ſine qua nulla eſse poteſt communis utilitas; quod quidem exſiſtit illud optimum bonum quod rempublicam gerentibus proponitur, tamquam extremum, & ſummum. Ut enim gubernator propoſitum habet finem ad quem tendit, curſum ſecundum, medicus ſalutem, imperator victoriam, ita moderatori reipublicæ beata civium vita proponi debet, ut opibus, copiiſque, & gloria ampla ſit, atque virtute honeſta. Porro civitatis naturam Ariſtoteles concluſe, & enucleate expreſſit, finem ejuſmodi congregationis, civiliſque ſocietatis includendo, ut ſcilicet cives bene, beateque vivant; in quo quidem ineſt vis, atque ſententia juſti, ac juris colendi, ſine quo nulla humana ſocietas queat exſiſtere diuturna; cujus rei gratia dixit , omnem eam inſtitutionem pertinere ad magiſtratus ordinandos, quorum opera jus in civitate retinetur. omnis namque reſpublica inſtituitur civitatis ordinandæ cauſsa, ex quo ordine omnis provenit civium quies, pax, & tranquillitas. ſine civium enim concordia, ex qua fit quies, & pax, in civitate numquam bene, & beate vivi poteſt; qui, ut diximus, eſt civilis conſociationis finis. concordia profecto nulla erit umquam in ea congregatione in qua jus, & æquitas non colantur; eaque civitas nullo loco eſt habenda, neque recte eo nomine vocari poteſt, in qua illa virtus non regnet quæ conſtat ex hominibus tuendis, ideſt ex ſocietate generis humani conſervanda; quam quidem juſtitiam vocamus, ad quam nati ſumus, & ex qua una virtute viri boni nominamur, quum ſit fundamentum totius boni, pulchri, atque decori; ſed etiam ſine ea nulla humana ſocietas exſiſtere valeat. ſunt namque ea duo inter ſe uſque adeo conjuncta, ac conjugata, ut natura reciprocentur, & alterum ſine altero eſse nequeat. Sicut enim, niſi ſit juſtitia, non poteſt conſiſtere humana ſocietas, ita juſtitia non poſſit eſse in terris ſine hominum ſocietate. ſiquidem homines alius alio participando, communicandoque inter omnes, juſti natura fiunt; ut poſtea latius dicetur. Hinc Herodotus, prudens rerum ſcriptor, ait fruendæ juſtitiæ cauſſa olim reges conſtitutos, id eſt reſpublicas adinventas fuiſse; quarum gubernationem initio omnium penes reges fuiſse, & ipſe, & alii luculentiſſimi ſcriptores literis prodiderunt; ut apud Medos, Perſas, Ægyptios, Mycenæos, Argivos, Bactrianos, Armenios. Nimirum ejus virtutis tanta vis eſt, ut etiam qui maleficio vivunt, haud conſiſtere poſſint ſine aliqua juſtitiæ particula. omnis namque eorum coitio diſsolvatur, niſi in diſpertienda præda æqualitas ſervetur, & cuique tribuatur pro dignitate. uſque

adeò in omni congregatione requiritur juſtitia; quæ eſſe non poteſt, niſi inter eos qui congregati ſunt, æquo jure vivatur. quod ex Platonis republica plane intelligere poſſumus. ambigere enim videtur ipſe philoſophus, aut qui de ejus ſcriptis judicant, utrum nomen, ac titulus ei libro potius congruat, *de republica* ne, an *de juſto*; atque ideo, ne erratum eſſet, utrumque inſcriptum fuit. igitur in definienda civitate, niſi vis juſti, juriſque exprimatur, non includitur civilis ſocietatis finis, quæ eſt communis utilitas; quod per ſe eſt optimum bonum. Planius, explicatiuſque egit Africanus in populo deſcribendo, advertens non eſſe omnem cœtum multitudinis, ſed tantum eum qui eſt juris conſenſu, & utilitatum communione ſociatus. ſane complexus eſt & finem civilis conjunctionis, & id cujus ope, atque præſidiis pervenitur ad finem. hinc colligimus eſſe tunc rem populi, quum bene, juſteque geritur, ſive ab uno, ſive a paucis, ſive ab univerſo populo. Itaque reſpublica ſive ſit inſtitutio civitatis, ſive res populi, ut Africano placuit, niſi juſte gubernetur, non habenda eſt neque reſpublica, neque civitas, neque populus. quod etiam dictum volo de quamlibet ampliſſima provincia, aut regno quod conſtet ex pluribus civitatibus. eſt nempe eadem ratio. ut enim colligitur, civitatem eſſe communicationem quamdam utilitatum inter cives, ut recte inter eos vivatur, & cum virtute, ex qua fit felicitas, quæ eſt opus animi ab ipſa virtute proficiſcens; ita quoque regnum multarum urbium intelligi poteſt, nihilque diſcriminis exſiſtere inter civitatem, & gentem, vel, ut nunc loquuntur, regnum; niſi quod in gente, aut regno eſt major multitudo nobilium, & clariſſimorum virorum conviventium recte, & honeſte, & ad virtutem. eſt namque civitas pars gentis, aut regni. quippe prius domus fit ex pluribus hominibus: ex pluribus domibus, ſeu familiis fit vicus: ex multis vicis conflatur civitas: denique gens, ſeu regnum conſtituitur ex multis civitatibus legum communione utentibus. Idem ſane finis qui eſt propoſitus civitati, debet eſſe etiam toti genti. nec tantum uni provinciæ, ſed univerſo hominum generi, ſi in unam civitatem, aut provinciam poſſint convenire omnes homines, & utilitates civilis conjunctionis inter ſe communicare. Etenim & quilibet civis, & civitas, & gens omnis omnia referre debent ad virtutem, & ex ea agere; reipublicæque moderatorem eniti par eſt, atque animum intendere, ut tam ſinguli cives, quam tota civitas, aut gens univerſa in laude vivant, atque virtute; cujus bono omnes in tranquillitate poſiti ſint felices. felicitatem vero conſequi non valet qui non omnia e virtute agit, ex qua oritur honeſtum illud ad quod, tamquam ad ſignum, omnis rerumpublicarum rectio, ſicut cæteræ quoque actiones, maxime vero hæc, eſt dirigenda. nihil autem honeſtum eſſe poteſt, niſi ſeptum ſit, ac ſtipatum omnium præclariſſimarum virtutum corona; in qua oportet eminere, atque, ut inquit Plato,

præfulgere ipſam juſtitiam, propter quam humana ſocietas, reſpublica, & civitas, omneſque communitates inductæ fuerunt. In illis vero hominum cœtibus in quibus ea quæ dixi, non inveniuntur, nulla exſiſtere poteſt reſpublica, neque illæ civitates ſunt habendæ. Potes denique, Flamini, intelligere ex his quæ hactenus a me dicta ſunt, invectus ne fueris in rempublicam, an in quampiam aliam hominum conſociationem, coitionemve ab hac de qua quærimus, longe ſejunctam; in quo quidem errore tua diutius verſata eſt, atque vagata oratio, & pro republica longis ſpatiis inſecutus fuiſti ejus umbram quamdam, & vanam effigiem, cum qua dimicares. ut apud Homerum Diomedes ratus ſibi eſſe certamen cum Ænea, eumque ſe perſequi, atque urgere, tandem reſipiſcens ſenſit, ſibi rem eſſe cum inani imagine. poteras tute quidem agnoſcere, an ea congregatio de qua loquebaris, nomen reipublicæ mereretur, ex fine ipſo qui proponitur, quove omnium rerum quæ ab arte, & ab hominum induſtria proficiſcuntur, natura, & vis apprime cognoſcitur. Poteras, inquam, ex Africani ſententia liquidius inſpicere, an illa quam memorabas, eſſet res populi, & an ille populus. Hic Priullus, Nollem, inquit, Vida, interrumpere continentem orationem tuam. verumtamen hic, ſi liceret, te libenter interpellarem, ne quis in animo meo ſcrupus reſideat. Licet, inquam, veteris academiæ lege.

Quid eſt eorum quæ hactenus a me dicta ſunt, quod te animi torquet? At ille, Memoraſti tu quidem, inquit, *initio homines* in montibus, & ſilvis palantes, ac diſſipatos ſe oppidis, mœnibuſque ſepſiſſe coeuntes, ut ea ſocietate conjuncti, ac conciliati, virtutis amore inducti vitam beatam agerent, quem finem humanæ conſociationis exſiſtere, plurimis verbis diſputaſti. Omitto, a noſtris, qui CHRISTI ſequuntur inſtituta, iſtis omnino repugnari. nam video, hanc a te diſputationem inſtitutam magis ad placita antiquorum philoſophorum, & ſententias reſpiciendo, quam ad Chriſtianæ veritatis rationem. Plato ipſe, quem philoſophorum quemdam veluti deum vos philoſophi ſuſpicitis, ac colitis, fatetur, nullos, pauciſſimis exceptis, beatos exſiſtere, ne dicam, eſſe poſſe, dum corpori, tamquam ſaxo oſtreæ, alligati tenentur. quæ igitur beatitudo, aut felicitas ſperari poteſt ab illis qui tot numero in communione vivunt? cenſes ne ædificandas tanta molitione, tantorumque operum impenſis ampliſſimas urbes, ut in eis ex tot millibus civium communi jure ſociatorum unus fortaſſe aliquando, aut plurimum duo felicitatem, quæ eſt rerum humanarum finis, conſequantur? Præterea quis credat, rudes illos primos homines ex ultima antiquitate, ignavos, deditos ventri, ac ſomno, indoctos, incultos, literarum, & bonarum artium inſolentes, quorum vitam, mortemque juxta exiſtimandam duco, ex agreſti illa, immanique conſuetudine, virtutis ſpeciem, & pulchritudinem cognitam habuiſſe,

ſe, eamque tanti feciſſe, ut in hanc communionem vitæ honeſti cauſſa concordes convenerint, ſe ſeque legum vinculis colligandos, conſtringendoſque ſua ſponte tradiderint, atque alienæ ſe effecerint poteſtatis? videtur potius eos neceſſitate aliqua adactos fuiſſe, & aliis plane cauſſis impulſos magis ad corporis, vitæque præſentis commoditates, quas adamabant, pertinentibus, quam ad animi bona, quorum penes eos nulla electio eſſe poterat, quum talia, nondum exſiſtente philoſophia, penitus ignorarent. Poſtremo civitatem definis, perinde ac ſi quippiam ſit artificioſum. atqui ſemper equidem audivi, & apud principes philoſophos legi, hujuſmodi hominum conciliationem natura ipſa ſuadente, atque occulta, & tacita quadam vi perpetua, & æterna cogente exſiſtere. Tunc ego, Ad hoc ultimum, inquam, quæ fuit tui ſcrupuli tertia quæſtio, ut præpoſtere reſpondeam, eſt expedita, faciliſque reſponſio; quandoquidem quæcumque ex arte, & hominum cura, atque induſtria efficiuntur, cognoſcuntur plane ex fine, & bono ad quod conſtituta ſunt. licet vero nati ſimus ad ſocietatem, ad quam naturali quodam animi impulſu vehementi, & affectione rapimur, tamen quum civitas ipſa non inſtituitur, aut perficitur abſque hominum opera, atque induſtria, ab arte quodammodo proficiſci videtur. ideo ex fine, & bono, quod eſt ipſum juſtum, & ab Ariſtotele, & ab Africano definita fuerunt & civitas, & populus. Cauſſam vero conſtituendæ civitatis, quæ fuit altera dubitatio, fuiſſe hominibus, ut bene, beateque, ideſt honeſte, & cum virtute viverent, nemo qui rectis utitur ſenſibus, ibit inficias. id omnes plane cordati philoſophi fatentur. non negarim, alias quoque cauſſas permultas ad hos cœtus, & ſocietates conciliandas confluxiſſe; quod & Ariſtoteles, & alii philoſophi quoque concedunt. ſiquidem communio loci una viventibus maximam affert delectationem. homo enim hominem natura diligit, ac gaudet jucundiſſima vitæ ſocietate, neque ullius rei poteſt cuiquam eſſe diu jucunda poſſeſſio ſine ſocio, cujus fide, officio, ac diligentia juvari queat. ipſum vero ſimul vivere, per ſe multarum commoditatum cauſſa exſiſtit, quum ſibi mutuo cives deſervire, prodeſſe, & ſubvenire valeant, tutiuſque ideo vivant. atque ita propter officiorum communionem homines multitudine congregati commodius vivunt, multoque melius tueri ſe valent contra validiorum vim, ferarumque incurſus, quam diſperſi. nam communi malo ſalutem quærentes ſua conſilia in medium conferunt, periculiſque communibus, communicatis opibus, obviam eunt. Proinde cauſſam quoque civili conſociationi attuliſſe potuit quum ſanguinis communicatio per mutua connubia, tum rerum permutandarum, & quavis alia ratione contrahendarum commoditas. bona quidem hæc omnia exſiſtunt, & perquam oppido uſui ſunt hominum generi, quæ ex civili conjunctione proveniunt; & ad ea illi fortaſſe reſpexere, qui primi hanc ſocietatem inierunt, non tamen ut ad ex-

tremum, & ultimum bonum; quod quidem quid aliud eſſe potuit, quam ut bene, & beate viveretur, ideſt ipſa beatitas? quæ eſſe non poteſt niſi in vita honeſtiſſima, atque electiſſima. conſtat autem ex eis actionibus quæ ſunt virtuti, ex qua id quod dicimus honeſtum, oritur, conſentaneæ. Potiſſimum igitur propter vitæ honeſtatem, quæ eſt ipſa virtus, aut quicquid virtute geritur, tamquam propter eam rem in qua re completur illud extremum, atque excellens, perfectum, & abſolutum bonum, conſtituta fuit primum civitas, ut, inquam, homines agerent vitam conſentientem, reſpondentemque virtutibus, honeſtam, conſtantem, & naturæ congruentem; ut utilitas ſecuta ſit civilem ſocietatem, non ſocietas utilitatem. Inter autem omnes virtutes diximus nullam eſſe *illuſtriorem*, nec quæ latius diffundatur, ipſa juſtitia, quæ eſt aliarum *domina*, & regina, conſtatque ex hominibus tuendis, ideſt ex ſocietate generis humani, dum communi utilitate conſervata, ſuum cuique tribuit pro dignitate. quod haud facile fieri poteſt, niſi in congregatione, & cœtu civili, ubi culpæ pœna, atque animadverſio, quæ eſt animi medicina, certa conſtituitur. in quacumque civitate hæc virtus omnia moderatur, eam beatam putant. Raros autem eſſe beatos, ut obiter ad tertiam quæſtionem, quæ tuo ordine erat prima, reſpondeam. erant enim duo illa conjuncta quæ dubitabas, alterumque pendebat ab altero, quod poſt pollutum, corruptumque humani generis ſemen ob principis hominis *omnium* hominum parentis inſignem adverſus Deum fraudem, *atque perfidiam* rari juſtitiæ omnes numeros impleant, pauciſſimique inveniantur quibus nihil deſit eorum quæ ad moralem, ut ita dicam, felicitatem perficiendam requiruntur. nam de ea felicitate, more philoſophorum, loquor quæ in hâc mortali vita haberi poteſt: de alterius vero vitæ, immortalis, perpetuæ, ac ſempiternæ abſolutiſſima felicitate, de qua differunt theologi, alio loco a nobis agendum erit luculentius, lotis manibus, & nudo ab operimento capite, luſtratiſque animi ſenſibus. Licet igitur in communione viventes non omnes felices, aut beati plane exſiſtant, ſpe tamen felicitatis, ac beatitudinis conſequendæ (de probis, & honeſtis civibus loquor) in laude vivunt, & virtute, paucioraque illis deſunt quam improbis, & flagitioſis.

Satis autem feliciter, pingui minerva agens, ego illos in republica vivere ſtatuo qui omnibus detractis vitiis, cumulati omni laude, neque alios afficiunt injuria, neque ab aliis læduntur; quorum alterum quidem homini frugi non omnino difficile, alterum vero eſt difficillimum, niſi ſint omnes boni, poſſintque æquo jure vivere in ea civitate in qua jus, lex, & fas ſunt potentiſſima. Nec vero dubitandum eſt, quin illi primi homines, quantumvis rudes atque agreſtes, virtutis vim præſenſerint, aliquamve prænotionem habuerint, licet ſubobſcuram, & adumbratam. honeſtum enim, & deco-

decorum etiam puerorum animos natura, & ſpecie commovet, quod per ſe ſit pulchrum, & laudabile; licet illis nondum nobilitatum, aut illuſtratum, a nulloque laudatum, ipſum ſua luce, & ſplendore præfulgens. His, Priulle, tibi a me ſatis reſponſum eſſe arbitror ad ea quæ rogaſti. niſi quid vis ad hæc, ad Flaminium revertar, ut ejus oppugnationi reſiſtere pergam. Per me, ut libet, inquit; ego ſane nihil amplius moror. Vides igitur, Flamini, nullam mihi tecum eſſe controverſiam. Ego profecto loquor de matrona ſtolata, atque honeſta: tu contra, de ſcorto, & turpiſſima lupa verba facis. ego poſco hominem: tu affers umbram. nempe quum de republica quæſitum eſſet apud nos, tu quamdam picturam reipublicæ ſqualidam, collapſam, coloribuſque evaneſcentem, quam illuderes, in ſcenam induxiſti. quærebam ego formam reipublicæ integræ, ac florentis: tu mihi attuliſti inane ſimulacrum civitatis vitio temporum lapſæ, corruptæ, vetuſtæ, annis, ac pannis obſitæ, & obſoletæ, neglectæ, ægræ, elatæ, ac comploratæ. Cenſes ne, rogo, rempublicam illam quam accuſatione acerrima proſcidiſti, convenire cum forma illa quam tradiderunt tot illuſtribus literis ſapientiſſimi Græcorum? cur non potius civitatem heroicorum temporum, de qua diſſereres, tibi propoſuiſti? ad fæcem, atque illuviem, ad labem, & lutum hujus temporis te demiſiſti, atque in omnium ſordium ſentina plane demerſiſti, quo tempore non modo ex pulcherrima facta eſt deterrima, ſed potius omnem rempublicam amiſimus, prolapſaque ſunt omnia, uſque adeo, ut homines quaſi videantur converſi in belluas, retenta tantum oris, & humani corporis figura. tute ipſe judicare potes in tanta verborum profluentia, nihil abs te dictum quod tangeret ſententiam meam, fruſtraque te omnem laborem profudiſſe. Verumtamen videbimus quales tuæ fuerint rationes, quam fragiles, quam lubricæ, & inconſtantes. Dirimere conaris, ac demoliri civilem hominum in terris omnibus ſocietatem, quæ vitam omnem continet, ut homines everſis, relictiſque ubique urbibus diſſociati, palanteſque in montibus, & ſilvis rurſus vitam ſolitariam degant. id profecto optimis rationibus probare poſſum, ac cogere, eſſe adverſus naturam ipſam bellum gerere, atque pugnare. conniteris nimirum obſtare, ne ignis, fumus, & odor, atque id genus leviſſima corpora vi ſua, innataqne proprietate ſurſum verſus ferantur, neve rurſus lapides, terra, aqua, & quæ gravia ſunt natura, ſuopte pondere directo deorſum rapiantur. adoreris item fluminum, & aquarum decurſus coercere, ne per declivia labendo, tandem mare influant. iſtuc profecto eſt gigantum nixu in cælum iter affectare, atque moliri. Acta agis. facilius hercle igni vim, & naturam eripies, ne admota calefaciat, aut Soli luminum cæleſtium maximo, ne luceat, quam homini ad ſocietatem nato, ne ſit hominum appetens, neve cum eis libenter copuletur, vel ob eam cauſſam tantum, quod ſit homo, quod, in-

quam,

quam, ſit ei a natura inſitum. quod licet ſit commune etiam aliquibus animalibus præter hominem, ut facile unumquodque cum illis quæ ſunt ſui generis congregentur, aliud quidem alio magis, neque eodem plane modo, attamen in hominibus longe alia ratio. Nempe non ſolum natura homines aptos fecit ad ſocietatem hominum, ſed etiam ita comparatum eſt vitæ, naturæque noſtræ, ut ne quidem ſoli eſſe diu, aut vivere valeamus. quod profecto negare non potes, niſi totam phyſiologian evertere velis. ego vero efficiam ſolidis rationibus, ut ne ſalva exiſtimatione negare poſſis.

Principio arbitror, inter omnes philoſophos convenire, naturam tam providum, ſolertemque artificem, conſilii, & rationis minime eſſe expertem: nihilque ideo eam temere, fortuito, ac ſine cauſſa facere, ſed omnia conſiderate, conſtanterque, & ex judicio moliri. hoc poſito fundamento, res per ſe ipſa manifeſta erit. Exploratum eſt etiam phyſica ratione, omni rei quæ eſt ſecundum naturam, oportere etiam ea naturalia adeſſe ſine quibus exſiſtere, & conſervari non poſſit. parum utiliter namque, incaſsumque laboraret natura, ſi ea quæ facit, nullo modo tueri ſtatum ſuum valerent, ſed ſimul atque orta eſſent, interirent, atque eſse deſinerent. quare quum homini naturale ſit vivere, naturalia itidem illi ea eſse oportet quæ ſunt ei ad vivendum neceſsaria. inter alia autem quæ maxime homini requiruntur ad vitam degendam, conſtat in primis eſſe hominum ſocietatem, ad quam nati ſumus, & ſine qua vivere nequimus. ſequitur igitur, hominem natura eſse ſociale *animal*.

Quod vero humana ſocietas ſit hominum vitæ *neceſsaria*, per ſe liquet, & experimento quotidie docemur, ex *iis* quæ ab ea multifariam vitæ ipſi ſuppeditantur. Porro non prætereundum eſt, in ipſo cujuſque ortu, quam diverſa ſit hominum, & cæterorum animantium conditio. nam muta quidem pleraque, *ſimul* atque materno utero edita ſunt in lucem, erigunt ſe protinus, ita ferente natura, & pedibus ſuis nituntur; incedunt item, & variis diſcurſibus huc, atque illuc jam tum geſtiunt. homo vero invalidus, imbecilluſque naſcens, ſolo projectus multos menſes jacet, neque movere ſe loco, neque per ſe ſtare valet, diutiuſque alienis opibus, ſubſidiiſque, & adminiculis ſuſtentatur. quatuor enim rebus, longe ſecus quam cætera animantia, homo indiget ad vitam tuendam, victu, veſtitu, periculi propulſatione, & diſciplina. Quippe natura cunctis animantibus, præterquam homini, facilem, expeditumque ſe alendi modum, facultatem, facilitatemque elargitur, funditque ex ſe ſe illis nihil laborantibus paſtus varios, varieque abundantes; terra herbas, & fructus nulla eorum cura, atque induſtria ad cibum ſumminiſtrante: flumina, & fontes ad potum. at lupis, leonibus, ac tigribus, cunctiſque illis feris quæ raptu, & ſanguine ſe paſcunt, alias pecudes invalidiores eadem parens, atque altrix ſufficit, quarum carnibus alantur. Humanæ

autem

autem vitæ ſuſtentandæ haud plane ſatis eſſe poſſent per ſe herbæ, aut fructus, pecudumve, aut ferarum carnes, niſi multa arte, multoque opere, atque negotio iſtiuſmodi cibaria mollita eſſent, ſubacta, atque confecta. nempe humani corporis longe mollior, infirmior, atque imbecillior eſt natura, quam cæterorum. idem contingit in veſtitu, quod erat ſecundum. quandoquidem natura ipſa, beſtiarum corpora propriis indumentis texit, ac ſepimentis, ut abſque ulla alterius ope per ſe ſatis cæli vim, atque injurias perferre valeant. alias quidem coriis, pellibuſque duriſſimis munivit, & lanæ velleribus, ac pilorum denſitate veſtivit. aliis plumas dedit, quibus tegantur. aſt hominem nudum, inopem, inertem, alienas opes exſpectantem abjecit. Ad propulſandum quoque periculum, quod a me tertio loco poſitum fuit, mutis animantibus eadem communis omnium mater, & magiſtra largior, atque benignior fuiſſe, videri poteſt, longeque eis conſultius providiſſe. etenim illis cavit, ut ſuis viribus, ſuoque marte adverſus injurias tueri ſe ſe valerent. alia itaque dentibus, alia cornibus, alia unguibus armavit. aliquibus item pedum pernicitatem, & agilitatem corporis dedit, qua ſe quirent ab injecto periculo liberare, & validiorum vim eludere, atque evadere. hominem vero harum rerum inopem, inermem, atque indefenſum reliquit, nihilque ei tantopere proſpexit. Quarta quoque ratio a me propoſita fuit ob diſciplinam; qua ſine intuemur, hominem minime implere poſſe vitæ munia. animantia enim ratione carentia omnia per ſe agunt quæ ad vitæ naturæque conſervationem pertinent, abſque docentis miniſterio, nulla diſciplina, nulla doctrina inſtructa, ſed ſola quadam, magna hercle, & incredibili, naturæ vi, atque inſtinctu. ſiquidem animadvertimus, aves ſub partus tempore ſemper conſtruere nidos, eoſque, quam molliſſime poſſunt, ſubſternere, licet nullas alias umquam ſui generis aves viderint nidificantes. canes præterea quum pariunt, per ſe norunt, quomodo ſe in partu ipſo, in fœtuque educando gerere debeant, tametſi, quod exploratum habemus, nullam umquam aliam canem parientem aſpexerint. Quis etiam docuit, araneas telam ſuam quamque tam molli, tam egregio, tam admirabili opere contexere? De bombyce, tam exigua animante, nemo hercle ambigere poſſit, quin ſolo naturæ inſtinctu, & lumine, nulla alicujus diſciplina inſtructa opus ſuum tam admirandum expleat, quam videmus; ubi tempus lanificii ingruit, fila delicate nere, eademque certa ratione agglomerare, ut materiam textrinæ ſufficiat, quum numquam, jam non dico viderit, ſed neque vidiſse potuerit, quam aliam in hujuſmodi opere imitaretur; quia ei animanti vita eſt trimeſtris tantum, totumque genus a ſtirpe ſingulis annis ſtato tempore ſimul funditus interit, relictis ex ſe dumtaxat ovis quibuſdam tenuiſſimis pro ſemine, quæ ſupremo vitæ tempore pariunt in reparandi generis certiſſimam ſpem. quod nos olim in eo ipſo poemate

mate de hujuſmodi animante expreſſimus. iis plane verbis:

— — — — — — brevis omnibus ætas;
Vix ulli Luna completur tertius orbis,
Et numquam ex ſe ſe prolem videre creatam.
Intereunt omnes, pecus occidit omne quotannis,
Et cunctam evertunt fera fata ab origine gentem.
Immortale tamen reſtat genus his, neque morti
Eſt penitus locus, æternum nam ſemina durant.

Feræ inſuper naturali quadam induſtria norunt herbas quaſdam vim medicamenti habentes, quibus nullo accerſito medico morbo laborantes ſibi ipſæ adhibent remedia, quorum quicquam homo per ſe ne ſuſpicari quidem poteſt, nihilque plane omnium diſtincte, diſcreteque novit, ſed vix rationis lumine res communiter involute, univerſe, promiſcueque cognitas habet. ei enim ad humanas actiones, vitamque bene degendam opus eſt diuturna, multiplicique diſciplina, accedente ad naturam ratione, conformationeque doctrinæ, quam conſequi nequit, niſi ab aliis, quibuſcum verſatur, hauriat. Neque vero ego tamen iccirco umquam crediderim, naturam ipſam adverſus belluas adeo liberaliter egiſſe, & ſe eis tamquam benignam, indulgentemque parentem exhibuiſſe, quod aliqui immerito queruntur, ut hominem tam nobile animal, quem intuemur tamquam regem cæteris dominari, penitus neglectui habuerit, eique maligne ſubveniens nudo, inopique, & alienis opibus obnoxio ſe novercam profeſsa fuerit. Nimirum ſi vitæ præſidia, quæ nobis per manuum miniſterium diſciplina ſuppeditat cum omnibus naturalibus inſtrumentis, quibus, ut memoravimus, muta animantia per ſe ſunt prædita, conferam, hoc uno ea omnia quæ nobis natura negavit, compenſare poſſumus, longeque præclarius nobiſcum actum fuit, atque cum illis. verumtamen nulla primum diſciplina ab homine haberi poteſt, niſi ab aliis accipiat, erudiaturque ab illis quibuſcum verſatur; quod longe præclarius ei contingit, quam cæteris animalibus. Quum igitur (ut hanc rationem denique concludam) homo, cui per ſe naturæ inſtrumenta deſunt, neque diſciplinam, neque cætera vitæ ſubſidia, atque auxilia neceſſaria, quæ modo memorata fuerunt, aliunde exſpectare poſſit, quam ab humana ſocietate, quæ vitam omnem contin[illegible], ſequitur, hominem naturali motu appetere hominum conjunctionem, atque conſuetudinem. & (ut poſtea cogam) neceſſe eſt etiam confiteri, civilem conſociationem, naturæ eſſe conſentaneam. Præterea nullum animal ab alio perfecte erudiri poteſt, niſi ſit rationis, & ſermonis particeps, quibus duobus præclaris, ac divinis donis ſolum hominem natura locupletavit; atque inde eſt omnis diſciplina. neque enim ab illa tantopere extra, quam intus armati fuimus, non tam corporis viribus, quam animi divina quadam vi, & facultate, in qua ſe nobis eo ſe liberaliorem præbuit, quo parcior, &

jeju-

jejunior fuit in corporis præſidiis elargiendis. His duobus enim naturæ adminiculis longe præclarius, ac magnificentius nobis ſupplere, & repræſentare poſſumus omnia vitæ neceſſaria ſubſidia. ex ſermone namque omnis, de qua modo egimus, fit diſciplina, orta quidem primum, atque a ratione profecta. Dedit itaque homini natura orationem, per quam oritur diſciplina, ſine qua hominum genus diu ſtare non poſſit. quare ſi a natura homini eſt datus ſermo, quod eſt firmiſſimum humanæ ſocietatis vinculum, neceſſario eſt etiam ipſa hominum conciliatio, communitas, atque ſocietas ab eadem natura attributa; quæ, ut modo concluſum fuit, nihil ſine cauſſa agit, in quave nulla apparet temeritas. non enim homini dedit loquendi vim, & facultatem, ut ſecum ipſe loquatur, ſed ut cum aliis ſermonem conferat. ſi quidem oratio docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, conſolando, conſulendo, objurgando, arguendo, hortando, judicando, colloquendo incredibiliter conciliat inter ſe homines, & naturali quodam nexu conjungit. neque hercle ego quum loquor, meus ſermo, atque oratio ad me ipſum dirigitur, ſed ad alios potius quibuſcum loquor. Sequitur igitur, humanam ſocietatem natura conſtare; eſtque per ſe conſectarium: Si homini naturalis eſt ſermo, naturale eſt etiam ei vivere in ſocietate, & in communione, ut natura nihil temere, fruſtra, & inconſulte faciat. cujus enim cauſſa hominem loquentem fabricata eſſet, niſi ut is aptus foret ad cœtus, ad concilia, & civitates? Hinc etiam Ariſtoteles arguit, hominem ad ſocietatem, & congregationem aptum eſſe magis, quam apes, quam cætera quæque animantia congregabilia; quod nullum aliud animal ſit particeps, compoſque ſermonis, & orationis, qua inter ſe homines explicare queunt, quid utile, quidve inutile, quid juſtum, quidve injuſtum, non tantum, ut diximus, ſicut belluæ, jucundi, & moleſti ſenſum indicare. Proinde, quia natura omne animal diligit ſemetipſum, non poteſt omnis homo ſibi non carus eſſe, & ſtatum ſuum curare, atque ideo nequit non appetere ea quæ ad vitam tuendam faciunt, ſe ut conſervet; priuſque a ſemetipſo abjungi, atque diſcedere poterit, quam amittere appetitum earum rerum quæ ſibi conducant. Quum itaque convictus humani ſocietas non tantum vitæ hominum ſit utilis, ſed etiam neceſſaria, ſine qua nulla vita hominis eſſe poſſit, perſpicuum eſt, hominem hominum eſſe appetentem, talemque appetitionem ei a natura eſſe inſitam, atque ingeneratam, quia ſe diligit ipſe (ut probatum fuit) atque ita eſt affectus, ut ſe conſervet, ac tueatur, ut etiam, ſicut in pueris animadvertimus, nondum ſe agnoſcat, neque intelligat, quam ob cauſſam id appetat, niſi quod naturalis quidam in nobis inſitus, atque innatus appetitus exſiſtit earum rerum quæ res ſunt aptæ, atque opportunæ naturæ, odium vero earum quæ ſunt contrariæ. quia non tantum hominis, ſed cæterorum quoque ani-

animantium, & etiam, ut quidam volunt, ſtirpium natura eſt ſui ipſius conſervatrix, idque habet apprime propoſitum, ſe ut egregie in ſui generis ſtatu cuſtodiat. Sicut enim intuemur, animantia ſe ſe moventia, ſenſuum diſtributione, & quadam compactione membrorum in vita cuſtodiri, ſic etiam ea quæ terra gignit, corticibus, atque radicibus conſervari. Hac denique ratione nulla poteſt arctius concludi, ſuiſque cujuſque ſenſibus comprehenditur, ut ne quidem audiatur, ſi quis contra velit dicere. quî enim intelligi poteſt, aut cogitari, eſſe aliquod animal quod ſe ipſum oderit, ſibique conſulto obſit, & inimicum exſiſtat? niſi velimus, res inter ſe contrarias convenire, atque concurrere, ut idem animal ſe diligat, ſimulque ſe oderit; quod fieri nullo modo poteſt. Ne quis vero huc objiciat, eos qui ſibi ultro mortem conſciſcunt, laqueoſque, & alia exitiorum genera ſibi ipſi parant. nequaquam ſane illi id agunt, quod ſecum exerceant inimicitias, verum potius errore ducti propter nimiam vel doloris vehementis, vel cupiditatis vim. iracundia quoque ita aliqui efferuntur, ut ea quæ mala exſiſtunt, bona autument, mala contra, quæ bona; fugiantque quæ appetenda; quæ fugienda, appetant. & ſi quando perturbatione rationis, atque ordinis in mala ſcientes ruunt, ſic tamen ſibi uſum eſſe putant, optimeque ita ſibi ſe conſulere arbitrantur. eos namque a recta ratione vitioſa natura detorſit: cui ſententiæ quidem ſatis argumenti eſſe poſſit, quod appropinquante morte unuſquiſque vel ſic affectus exalbeſcat metu, diſſolutionemque naturæ tantopere perhorreſcat: quum neque feræ, pecudeſve iſtius timoris ſint expertes, ipſæque etiam injecto mortis terrore horreſcant, atque refugiant. Alia mihi demum firma, atque conſtanti ratione vinciendus es, quam numquam ſolvere valeas. Nimirum qui convictum humanum, hominumque ſocietatem evertere molitur, ille etiam ſimul juſtitiam ab hominibus tollere nititur, excellentiſſimam unam virtutem, omnium aliarum, ut dixi, dominam, & reginam; de cujus præcellentia non eſt quod hic multa inculcem. ſed revoco te ad ea quæ modo plurima in ejus commendationem ipſe congeſſiſti, cujus ſplendorem Heſpero, atque Lucifero ex Euripidis verſu parem facis, totamque orationem tuam in te revolvo; conſtat enim ex hominibus tuendis, id eſt ex hominum ſocietate. neque eſſe ulla in terris juſtitia poteſt, niſi ſit humani convictus ſocietas; quæ ſi nulla eſset, neque juſtitiæ omnino ullus eſset locus. quod quidem perſpicuum eſt ex ejus virtutis diffinitione, cujus vim atque naturam nemo integre ſatis explicare poſſit, niſi humani convictus mentionem incluſerit. eſt enim, ut definiunt ſapientiſſimi viri, affectus animi ſuum cuique tribuens, & ſocietatem conjunctionis humanæ æquabiliter tuens, pro cujuſque dignitate. ſublata itaque hominum conjunctione, quid opus eſt in juſtitiæ brevi explicatione illis particulis, *ſuum*, inquam, *cuique pro dignitate tribue-*

bue-

buere, & ſocietatem conjunctionis humanæ tueri? ea enim re cujus cauſſa aliquid exſiſtit, ſublata, ſimul tollitur etiam illud. quippe juſtitia exſiſtit ut homines in communione viventes tueatur, quaſi quædam civilis deſcriptio, qua continetur multitudinis conſenſio, quæ pax eſſe dicitur. quippe ea una virtute concordes tenentur civitates; civeſque, quo ad publica attinet, idem volunt omnes: quæ concordia atque conſenſio eſt quaſi quædam civilis amicitia. iccirco eam virtutem Ariſtoteles interdum nominat *popularem*, cujus virtutis fruendæ cauſſa ex Herodoti ſententia idem philoſophus dixit, reges olim fuiſſe conſtitutos, ideſt reſpublicas quas memoravimus, initio a regibus adminiſtratas fuiſſe. uſque adeo humanum genus conjunctum, ac conjugatum eſt cum juſtitia, tantaque nobis eſt ejus cognatio, ut (mitto quod ſine ea homines exſiſtere nequeant) cum ea in lucem editi, ad eamque nati ſimus. neque enim a nobis adiſci poteſt, ſed quædam ejus ſemina cooriuntur in animis noſtris, tametſi nulla ejus ſignificatio eluceat; ſicut in terra abdita latent quædam herbarum ſemina, quæ calore, & humore, adhibita quoque aliqua interdum cultura, in auras eliciuntur; ita illæ quædam quaſi ſcintillulæ exercitatione, & conſuetudine, ut inquit Plato, acquiruntur, legibus videlicet, inſtitutione, & doctrina; ſiquidem natura hominem inchoavit: doctrina deinde perficit, & abſolvit. Atqui inquiet forte quis, Nemo inficias eat, hominem ſocietatem appetere, ut cætera quoque animantia. deſinat enim illico eſſe humanum genus in ſempiternum funditus everſum, niſi ſit maris, & feminæ conjunctio, liberorumque & procreatio, & educatio. neque vero in controverſiam vocari, an conducat, ſuam quemque familiam regere, & cum ſuis in eadem domo conjuncte vivere, Cyclopum, aut Arcadum more: ſed omnem diſputationem eſſe adverſus civitatem, & civilem conjunctionem tantorum malorum conciliatricem; ſicut Flaminius, magis in hac cauſſa, contentionis, quam veritatis cupidus, conatus fuit probare. Eamdem equidem rationem dico eſſe, quo ad hoc attinet, & familiæ, & civitatis; atque ad utramque natum eſſe humanum genus conſtat. Porro ſi mihi das, hominem natura eſſe aptum ad aliquam ſocietatem, ut ſolidis argumentis pervicimus, fateare etiam neceſſe erit, eumdem aptum eſſe naturaliter ad civilem conſociationem, quæ communitas non modo continet, & complectitur omnes alias communitates, ſed etiam fit ex illis, ut dictum fuit. ſemper enim ab uno incipit multitudo, neque intelligi poteſt, ut cujus omnes partes ſint naturales, totum, & univerſum illud non ſit itidem. Quin etiam civilem conjunctionem eſſe maxime naturalem fateri cogimur, ſi ad finem, & extremum reſpiciamus ad quod aliæ communitates referuntur. nam quicquid eſt finis aliquorum naturalium, conſtat id quoque eſſe naturale; eſt enim forma, & ipſa eorum natura quorum eſt finis. convenit au-

tem inter nos, communitates domus, & vici homini exſiſtere naturales, non tantum, ut modo diximus, quod inde in diem ei ſuppeditari poſſunt aliqua neceſſaria, ſed etiam quoniam communitates illæ quæ perficiunt domum, viri, inquam, & uxoris, domini, & ſervi, patris, & filii, exſiſtunt ſecundum naturam. idem de vico dicimus. fit enim ex filiorum, conſobrinorum, ſobrinorumve, & vernarum, atque nepotum in una, eademque domo ſoboleſcentium propagatione; quæ quidem principium, & quaſi ſeminarium civitatis exſiſtit. eos namque quum una domus capere nequit ob nimium incrementum, fabricant ſibi alias, atque alias domos propinquas, atque contiguas, in quas exeant, tamquam in colonias; quarum multiplicatio affert rebuſpublicis originem. quippe ſicut ex multis familiis fit vicus, ita ex pluribus vicis evadit tandem civitas, quam faciunt propinquitates, conjugia, & ſacra, mutuæque conſuetudines; ad quam, tamquam ad finem, referuntur, & propter quam exſiſtunt & domus, & vici communitates. quamobrem dixit Ariſtoteles, hominem eſſe civile animal, civitatemque vehementi animi impulſione, atque libidine ſummopere appetere. civilis enim ſocietas eſt perfectio, extremumque omnium aliarum ſocietatum, ducta a prima communitate naturæ, aſcendenſque multis gradibus, & ad ſummum perveniens, maximeque iccirco expetenda. ſiquidem domus ipſius communitas ſubminiſtrare quædam poteſt dumtaxat in diem ad neceſſitatem vitæ, quibus ſingulis diebus nobis eſt opus. prima hæc hominum ſocietas familia dicitur, quos, quoniam ex una, atque eadem penu vivunt, Charundas *ὁμοσιπύυς*, Epimenides vero *ὁμοκάπνυς* vocabat, quod eodem lare, & taberna coutantur. pluſcula deinde vitæ præſidia, & paullo magis abundantius ex vici, ſeu pagi, quam ex domus communitate ſufficiuntur. At vero omnium rerum quarum vita humana indiget, expletionem civitas affatim ſuppeditat, ut ibi homines non tantum vivere, ſed etiam bene, & beate vivere poſſint in omnium rerum abundantia, & copia, quæ non modo pertinent ad victum, ſed etiam ad ſplendorem, & cultum. omnia namque hominum victui neceſſaria nequaquam in uno vico reperiri poſſunt, quæ habentur in multis. ſua enim quæque ars in ſingulis vicis exercetur, in alio textrina, in alio fabrilis, cæteræque in aliis, atque aliis, in ſuo quæque inſtituuntur. Cæterum bene, & beate vivere recte dicitur congruenter naturæ, ſecundum quam non eſt vivere in ſolitudine. nam eos qui parent rationi in expetendis, fugiendiſque rebus, convenienter naturæ vivere dicimus; & id hercle fieri longe melius, atque commodius poteſt ubi præter victui neceſſaria haberi poſſunt virtutum exempla propter facta, & conſulta fortium, & ſapientium virorum, ubive legum imminent imperia, quibus diverſa ratione homines informari poſſunt ad virtutem, ut humana vita ſit omni bonorum genere cumulate expleta; atque ab ipſis naturæ initiis pro-

profecta, deinde ſenſim progreſſa, non ſolum corporis, ſed etiam animi bonis perfruatur; quorum expletionem nulla alia communitas ſuppeditare valet. Conſtat ſiquidem homo ex animo, & corpore, tamquam ſuis partibus; neque minus animi bonis, quam corporis, ad ſummam felicitatem indiget. Quum igitur omnis homo natura ſe ipſe diligat, neceſſe eſt diligat quoque omnes ſui partes, conſectarieque naturali libidine, atque appetitu in ea feratur ex quibus poſſint neceſſaria præſidia utriſque ſui partibus affatim ſumminiſtrari, quo ſe integre conſervare, ac tueri poſſit. quum vero id ex nulla alia communitate præterquam civili conſequi valeat, liquido apparet, hominem naturalem libidinem ad civilem ſocietatem habere, civitatemque ideo denique naturalem communitatem exſiſtere. Hinc Ariſtoteles dixit, civitatem quidem principio conſtitutam fuiſſe ad vitam degendam, deinde ad bene degendam proceſſiſſe. quod ita intelligo: initio quidem homines, audita non oratoris cujuſpiam luculenti, ut ajunt, ſed naturæ ipſius voce, in cœtum, & concilium ex vicis, & pagis in unum conveniſſe, eademque natura duce, ac perſuaſtrice, ut communitatem jam inchoatam perficerent, eique faſtigium imponerent, civitatem primum inſtituiſſe, quo ex ea communione uberius, commodiuſque vitæ præſidia habere poſſent. deinde vero, jam conſtituta civitate, mœnibuſque circumſepta, eadem natura impellente, ſemperque paullo magis ſe mentibus humanis ratione explicante, cives quoque animum adjeciſſe ad virtutes, quæ mentes noſtras mirandum in modum ſuapte ſpecie, & pulchritudine commovent; quarum ſemina dixi eſſe in nobis, atque in animis noſtris cooriri. Quandoquidem in omnium rerum principiis ſuo more natura ſe occultat, atque retrudit, neque tunc primum ſubito ſinit ſe facile perſpici, aut cognoſci; atque iccirco quæ facit, haud ſtatim perficit: ſed progredientibus ætatibus, quæ inchoaverat, paullatim, tardeque abſolvit: quod quidem in omnium animantium ortu intueri poſſumus, hominis præſertim, qui recens ortus, uti exanimis, jacet, neque ex eo loco in quo eſt natus, ſe commovet: deinde accedente in dies paullatim firmitudine; & animo, & ſenſibus utitur, connititurque, ut ſe erigat, & etiam manibus adjuvatur, antequam norit, quem ad uſum ſibi datæ ſint manus. incipit etiam commentari, & aliquid diſcere, primum quidem ea quæ ad corporis tutelam, conſervationemque pertinent. nihil enim tunc altius cogitat, ſed tantum proxima illis quæ videt, & ſentit, & dumtaxat corporis bona cognoſcit. vim vero animi, infirma, imbecillaque adhuc mente obſcure, quaſique per nebulam, & caliginem percipit. quo autem plus ætate progreditur, eo magis naturam ſuam, & quaſi ſe ipſum agnoſcit. diſpicit, & ſentit, quid ſit, quantumque a cæteris animantibus ratione non utentibus differat: incipitque non tantum de corporis commodis cogitare, ut in prima commendatione

ne naturæ, quum, inquam, primum nos nobiſmet ipſis concredidit, ut ſalvum, & integrum ſe quiſque conſervet, qui primus in nobis eſt appetitus, ſed etiam de animi bonis, ad quæ nati ſumus, aliquid ſuſpicatur. jamque electione, rejectioneque utens, ſtudet honori, dignitati, atque exiſtimationi: demum id appetit quod bona animi affatim expleat, quæ eſt naturæ ipſius ſumma perfectio, atque abſolutio, ad quam omnia quæcumque ipſa agit, referuntur, quod eſt rerum omnium expetendarum extremum, ſummum, atque ultimum. id ipſum procreationi civitatis contigit, quoniam nihil umquam ſimul inventum, & perfectum exſtitit. Nam primo humani generis ortu rudis illa, & inſciens multitudo congregata in cœtum convenit, tum per ſe occulta quadam vi impellente natura, tum præſidia quiſque urbium quærens, ſpe cuſtodiæ, & conſervationis ſui, ac rerum ſuarum, quam in mutuo ſinguli auxilio locabant. quæ quidem nihil, aut certe parum ad animi bona attinent. mox vero eadem congregatio, ſe ſe paullatim aperiente natura, disjectaque ea quam diximus, animorum caligine, divino atque mirabili rationis utentes dono, abſtraxerunt cogitationes ſuas a rebus humilibus, in quas ſe abjecerant, mentemque ab oculorum conſuetudine avocarunt, ſentientes, ſe natos ad majora, longeque magnificentiora, nec tantum ad corporis quiſque ſui conſervationem, & tutelam, verum etiam, & in primis quidem, ad animi cultum, & ornatum; atque edocti fuere, multo inferiora eſſe corporis, quam animi bona, ut in quibus ſint maxima momenta non tantum ad bene, ideſt commode, ſed etiam ad beate vivendum. id autem cumulatur ex corporis incolumitate, & mentis ratione perfecta. continet enim vitam omnem. neque id ulla civitas conſequi poteſt, niſi plurimis virtutum fulta adminiculis, ad quas virtutes homines ſic natura aptos animos habent, ut non modo ad eas percipiendas, exercendaſque procreati videantur, verum etiam, ut a contrariis ſint alieni. Itaque, quonam ea ſocietate conjuncti eſſent, conſiderantes, ſentienteſquo ſanctam eſſe iſtiuſmodi communitatis conjunctionem, Deo interpoſito & teſte, & judice, pulchrumque & decorum eſſe vivere in cœtu æquo jure cum multis, ſcireque in civitate & imperare, & ſua voluntate parere, atque uti illis quibuſcum congregantur, moderate, ac ſcienter, & in pulcherrimis muneribus reipublicæ cum dignitate verſari, vitamque decore, & ſplendide agere; cogitantes item, non tantum ſe ſibi eſſe natos, ſed & patriæ, & ſuis, & eſſe pulchrum, ac ſumma laude dignum multos juvare, & humanæ ſocietati ſervire, civium, inquam, ſaluti conſulere, quod eſt plurimis prodeſſe, nemini nocere, & communem utilitatem ſuis commodis anteponere, ac non modo labores adeundos communis commodi cauſſa, verum etiam, ſi opus ſit, vitæ non parcendum. id propter coercere cupiditates oportere, quæ in nido animi deliteſcunt, domitaſque habere libidines,

nes,

nes, ſua tuendo, ab alienis mentem, oculoſque, & manus abſtinendo. Jamque altiora, & quædam ſupra ſe ſapientes, Deo tribuere honorem rerum omnium effectori, & cum juſtitia religionem colere aſſuefacti fuerunt. hinc conditæ leges, hinc magiſtratus, & judicia conſtituta, unde orta eſt reſpublica, ut ſua quiſque retinere poſſet, præſcripta quadam recte, honeſteque vivendi forma. hinc haberi cœpta fuit ratio æquitatis, fidei, dignitatis, juſtitiæ, atque officii, id eſt cunctarum virtutum; & quam natura inchoaverat, ratio, quæ eſt lex divina, & humana, civitatem abſolvit, ut in ea non tantum bene, ſed etiam beate vivi poſſet, & ipſam felicitatem aſſequerentur homines, quoniam eſt opus animi ſecundum virtutem. ex convictu enim bonorum, ut dixit Theognides, fit exercitatio virtutum. Communitas nempe civilis non præſens tantum commodum, ſicut cæteræ ſocietates, reſpicit, ſed in longitudinem conſulit, & in omnem vitam; quam tam animi, quam corporis omnibus bonis, atque virtutibus expletam, ac munitam eſſe convenit, ut inde haberi queat illud excellens bonum quod rerum omnium expetendarum extremum eſſe diximus, omnium bonorum expletione cumulatum. quod eſt congruenter naturæ vivere, quæ in ſuo quodque genere perfectioni intendere voluit, & quod inchoavit, adumbravitque, ab infimis per media gradiens, ſemperque ad ſummum tendens perficit, & ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemque perducit, expolitque, & adornat, ut aptum ſit undique, & abſolutum, expletumque omnibus numeris, & partibus, ut nihil addi poſſit, nihil quod redundet, demi; ſemperque ad perfectionem reſpicit. Vides, jam arbitror, non tantum primas communitates humanæ vitæ eſſe a natura, ſed etiam, & illuſtrius quidem, & maxime, civilem ſocietatem; quod firmiſſimis rationibus, quas nemo refellere, aut diluere valeat, confecimus, ac coegimus. Jam ne ſentis, Flamini, quantum facinus facere adortus fueris, qui civilem hominum convictum, quoad in te fuit, dirimendo, juſtitiam quoque tam egregiam virtutem, quam hominum ſocietas procreavit, e terris ſtirpitus ſuſtuliſti? cum ea quoque pariter neceſſe ſit * ſplendidus honeſtiſſimarum virtutum chorus, quæ cum ipſa juſtitia conjugatæ ſunt, evertatur. Proinde nullus erit poſthac, te cauſſam tam injuſtam obtinente, beneficio locus. nulla inter mortales promerendæ gratiæ dabitur occaſio; atque, ut video, humanum genus omnibus plane virtutibus ſpoliare niteris. Incaſſum laboras; contra naturam ipſam pugnas. Prius concidat omne cælum, omnis natura eſſe deſinat, quam non exſiſtant hominum cœtus, concilia, & civitates, quæ plurimum ſunt non modo naturæ conſentaneæ, ſed penitus hærent in ipſa infixæ. Omitto nunc propter neceſſitatem vitæ, cui a civili ſocietate, ac conjunctione plurima ſunt parata præſidia, atque auxilia, commoditates, & opportunitates, quibus ſine nulla foret vita. nihil namque eſſent homines

ſine

ſine hominum præſidiis, & adjumentis, ut luculenter demonſtravimus, eſſetque vitam e vita tollere propter multiplicem uſum, ac fructum generis humani, quem ex ipſa civili communitate percipit. id profecto eſt æterna quadam vi, & lege ſancitum, ut homo hominum ſit appetens: audeoque affirmare, etiam ſi homines mutuo auxilio, atque opitulatione non indigerent, adhuc tamen appeterent vitæ ſocietatem. Proinde æterna lege natura præſcripſit, ut homo homini, quicumque ſit, conſultum velit, vel hac tantum cauſſa, quod ſit homo: ab eaque impellimur, ut invicem docendo, conſulendo, admonendo prodeſse velimus, & id quidem ex affectione quam mutuam inter nos habemus. Hic eſt ille animi impetus, & vehemens quidam amor quem Ariſtoteles ſolertiſſimus *naturæ* ſpeculator dixit, innatum eſse omnibus hominibus ad communitatem, civilemque conjunctionem, quæ eſt communis hominum inter homines qui convenienter naturæ vivere volunt, commendatio. Jucundiſſimum eſt adeo per ſe homini hominem juvare; ex quo efficitur, ut ille qui ſit naturæ obediens, non poſſit homini nocere, quum ſe ad homines tuendos, conſervandoſque norit eſse natum, idque exſiſtere naturæ conſentaneum. Quid porro in vita jucundius, magiſque expetendum, quam amoris, benevolentiæque remuneratione ſtudiorum, atque officiorum viciſſitudo? eſt enim cujuſque natura ſui ſimilium vehementer appetens, rapitque ad ſe ſui generis omnia: quod quidem perſpicuum eſse *poteſt* ex benevolentia, & affectione quam non modo ad præſenres, *ſed* etiam ad poſteros habemus, quibus tanta caritate proſpicimus, alii aliis, ut ajunt, tedas tradentes. hine teſtamenta, & ultimæ morientium voluntates, legitimæque commendationes tanta diligentia relictæ. illorum vero ſceleratam vocem omnes odio, atque omnibus probris inſectantur, qui nihil ſua intereſse dicunt, ſi ipſis mortuis ſtatim univerſi orbis conſequatur deflagratio. quod vulgato, & pervagato Græco quodam verſu eleganter exprimitur. cauſſa autem tantæ caritatis non aliunde porro, quam ab ipſa natura proficiſcitur, occulta quadam vi ad id nos impellente; nemo enim velit vivere in ſolitudine etiam omnibus bonis affluens, & in infinita rerum copia poſitus, ſibi negata aſpiciendi hominis poteſtate. Quæ, obſecro, tam ſuavis voluptas, qui rerum optimarum adeo jucundus fructus eſse poſset, quem non ei omnem inſuavem, injucundumque efficeret ſolitudo, quum, inquiunt, non haberet quicum partiri, atque communicare tot ſua poſset bona? Natura enim, quæ ſemper fugit malum, nihil amat ſolitarium, ut diximus; ſimile ſui quærit, tamquam adminiculum cui innitatur; quod per ſe ſatis eſse poſset argumentum ad conficiendum, homines ad civilem ſocietatem eſse natos. Atqui forte etiam hic occurris, repertos eſse aliquos qui viverent in agris, & in ſolitudine, congreſſuſque hominum, & ſocietatem defugerent. ea vero quæ nobis natura inſunt,

con-

convenire ineſse ſemper, & in omnibus. Omnes ſane homines aptos ad civilem ſocietatem naturam procreaſſe dicimus, hujuſceque communitatis appetitionem cunctis eamdem ingeneraſſe, ut liquido jam apparet; poteſt tamen quis aliqua fortuna, vique, aut caſu impediri, ne in civitate vivat. egeſtate enim aliqui adeo laborant, ut eis opus ſit perpetuo in agris manuum mercede inopiam tolerare: nonnulli etiam reperti ſunt qui, quoniam jus æquum cum multis vivendo pati nequirent, fugerint non modo civitatis communionem, ſed etiam congreſſus hominum, & ſocietatem ſumme oderint, quaſique adverſus naturam obluctantes, omnibus legum, atque officiorum vinculis exſoluti, vitam inæqualem, & confragoſam, procul a magiſtratibus, atque judicibus in ſolitudine duxerint. tales profecto neque pudet quicquam, neque metuunt quemquam, neque legem ſe putant tenere ullam, exiſtimati ſimiles volucrum illarum quæ libero cælo volantes, ſanguine ſe paſcunt. quod quidem evenit perturbatione rationis, & ordinis, & quia porro ſint a ſanitate alieni. hos tu vero homines, ducas? Ego ſane eos feras etiam aſperitate anteire, ſtatuo. nulla enim tam aſpera, tam trux, & immanis eſt bellua, quam feritate homo exlex, & a recto remotus non vincat, quod præ cæteris animalibus ſenſu, & intelligentia præditus ſit, quibus in contrarias partes, ut libet, uti poſſit. iis ſi recte utitur, nihil eo melius queat cogitari; ſi perverſe, nihil immanius; quod dici ſolet de juſtitia, quam munitam, ſtipatamque armis eſſe convenit, ſi illa arma, abjecta ratione, ad injuriam, & vim converterit. Proinde ſunt etiam qui ſe ipſi plurimum confidunt, quique uſque adeo muniti ſunt virtute, & ſapientia, ut nullius ope, nullius ſubſidiis, nulliſque adminiculis egeant, & ſe ideo a cœtu, atque hominum convictu avocant, totoſque ſe dedunt cognitioni, univerſæ naturæ, rerumque admirabilium contemplatores. hos ſane exiſtimant pluſquam homines exſiſtere, & quoſdam quaſi mortales deos habendos. propterea de iis, & illis conſiderantes philoſophi, eos dicunt nullam eſſe civitatis partem; ſed aut deos, aut beſtias exſiſtere. Cæterum, finem illorum qui in ſocietate civili vivunt, oportet eſſe aliquem, ad quem omnis vita uniuſcujuſque, & actio ordinatur, quum homo agat per intelligentiam, cujus opus ſemper finem reſpicit. at vero diverſa eſt hominum vita, variæque exſiſtunt actiones, & ſtudia. neque ab omnibus in multitudine proceditur eodem modo ad propoſitum finem. opus eſt itaque ei multitudini aliquo tamquam rectore, & duce, a quo cuncti eodem dirigantur, ut ſocietas conſervetur. neque enim navis quam in medio mari in diverſa ferunt venti, ad optatum portum umquam perveniret, niſi gubernatoris opera, atque induſtria accedente. dilabatur namque, diffluatque populus, niſi adſit rector, & quaſi gubernator qui eum contineat. Quippe quum ſuæ quiſque rei ſeorſum, ſejunctèque ſtudet, in di-

verſa diſtrahantur omnes, nemine exſiſtente qui bonum commune curet, tueaturque, & in medium conſulat. Publici nempe cura civitatem conjungit, atque connectit: privati vero ſtudium, & amor disjungit, ac diſſipat; ut fit etiam in corpore cujuſvis animalis, quod plane diffluerct, diſſolvereturque, niſi princeps aliqua vis regens, atque gubernans præeſset, quæ omnium aliorum membrorum ſaluti, atque incolumitati proſpiceret. Hanc autem rectionem eſse a natura, nemo ambigat qui aliquid ſentit, aut intelligit. Sic eadem ratione Deus præpotens non tantum generi humano, ſed etiam cunctis cæleſtibus animis imperat. ſic etiam quum homo, ut diximus, conſtet ex animo, & corpore, animus præcipit, præſcribitque corpori, tamquam dominus imperans obedienti. rurſus in animo ipſo ratio, quæ eſt princeps pars, vitioſis partibus præeſt, iramque, & libidinem temperans refrenat, atque utramque ſub ſigna vocat, & totius animi motus regit. in corpore quoque inter membra unum membrum obtinet principatum, quem alii cordi, alii cerebro attribuunt, cunctaque movet, ac regit. denique eadem ſimilitudinis ratio exſiſtit in omni communitate. in qua neceſse eſt ſemper unum excellere, qui director rerum prudens, vel perpetuo, vel ad tempus quoddam certum, ac præſtitutum invicem alios gubernet. hunc penes, ut cæteri omnes ſint in officio, oportet ſit omnis imperandi, præcipiendique poteſtas; ejuſque officium eſt, ut, ſicut cives ſua quiſque curant commoda, ita ipſe rei communi proſpiciat, ſuæ utilitatis pæne oblitus, pacemque, & concordiam inter omnes in civitate conciliet, atque conſervet; quod minus commode fieri poſſit, niſi penes unum ſit principatus, ut præſcribere valeat, dirigere, ordinare, jubere, atque imperare. Icciroo concluſum eſt, initio vocata in concilium rudi illa, & agreſti multitudine, ad prudentiorem aliquem qui eſset omnium præſidium, & columen, delatum ultro fuiſse principatum, ſola natura impellente: ſecus eos non potuiſse umquam in populi unius corpus coaleſcere. quandoquidem natura compatatum eſt in hominum genere, ut quod eſt potentius, imperet imbecillo. ita feminis præſunt mates. quod perſpicue videmus in primis communitatibus, quas a natura introductas, & eſse naturales mihi concedis. vir enim uxori imperat, dominus ei qui eſt natura ſervus, pater liberis, majores natu minotibus præſcribunt. quum potentiam dico, & imbecillitatem, non tam corporis, & membrorum vires, quam animi, & ingenii vim, & facultatem intelligo. Nempe, ut memoravimus, homo licet a quibuſdam ſilveſtribus animalibus corporis viribus antecellatur, tamen omnibus ille dominatut, quod ratione, conſilio, induſtria, atque ſolertia omnia alia animantia anteeat. neque id tantum in hominum genere animadvertimus, ſed etiam in cæteris animantibus. qua ratione Pindarus ſuis Thebanis ptobat, principatum eſſe a natuta, juſtumque ideo regnum, quod ſcilicet etiam in animalibus ratio-

ne

ne non utentibus perſpicua imperii ſigna dignoſcantur, quum ſemper ea quæ ſunt validiora, tenujoribus, magiſque imbecillis imperent; idque innatum eſt omni plane animantium generi. Quod ſi Flaminius apud ſe exſiſtens cogitaſſet, non hercle tam acerbe omne imperii, atque rectionis genus probris omnibus, & contumeliis conſcidiſſet, neque rempublicam omnem a finibus naturæ exterminaſſet; quoniam nullo pacto poteſt ullum animal non appetere id quod videtur accommodatum eſſe naturæ; vidiſſetque quam multa ſequerentur incommoda, & abſurda, niſi natura ſuadente aliqui parerent inter homines, aliqui imperarent. quod ni ſit, auſim iterum, atque iterum dicere, atque adeo libera voce affirmare, neceſse ſit omne cælum, munduſque ipſe, & cuncta natura intereat, quum videamus, univerſa ita divina providentia ordinata, atque directa fuiſse, ut inferiora ſuperioribus, cunctaque uni ipſi Deo, ut diximus, obediant; niſi id quoque negare velis, Deoque rerum omnium molitori imperium in homines, cæliteſque ipſos in perpetuum abrogare adoriaris, ne forte cogaris fateri, hominem addictum eſse ſervituti, quum Deo, divinæque legi naſcatur obnoxius. Vide vero, iſtuc ne ſit, Titanum more, contra Deum, naturamque bellum gerere. Verum tandem videamus, quænam ſit iſta ſervitus quam uſque eo deteſtaris, ut omnem civilem ſocietatem, univerſumque hominum genus dirimere, diſcerpere, ac diſſipare tam impotenter molitus fueris. Primum equidem fateor tecum, ſervitutem poſtremum eſſe malorum omnium, etiam bello, & morte repellendum, omneſque homines merito libertati ſtudere, & jugum acerbiſſimum ſervitutis, ut morbum, ut peſtem, ac famem, odiſſe. ajo vero, non omnem quam tu vocas ſervitutem, eſse contra naturam; quod neque Plato, neque Ariſtoteles, tam præſtantes philoſophi, inficias eant. negoque, omnes qui alicui parent, recte ſervos dici. Nempe aliqui naſcuntur, tuo modo, ſervi, quibus & utilis, & juſta eſt illa ſervitus. hi quidem corporum viribus, atque muneribus opportuni exſiſtunt, mentis vero ratione, atque conſilio non ita. qui ideo ſibi ipſi ad vitam tuendam haud ſatis eſse poſsent ſine alterius opibus, atque præſidiis. Natura itaque eorum corpora fecit firma, atque robuſta ad labores, & ad uſus vitæ neceſsarios, ut in graviorum operum functionibus durare, & adverſus onera reſiſtere valerent: dominis vero quibus iſti hujuſmodi ſervitutem ſerviunt, data ſunt corpora ut elegantiora, ita plerumque graciliora, invalidioraque, ad iſtiuſmodi munera, & opportunitates minus utilia. verum quod eis corporis virium natura detraxit, mentis, animique ſolertioris compenſatione mitigavit. exſiſtunt enim ad civilia munera, ad pacis, bellique opportunitates, ad rerumque indagandarum cognitionem aptiores. Utriſque igitur utraque utilis eſt conditio, ut alter imperet, alter pareat; neque eſt illa ſervitus quam, ut mortem, deteſta-

teſtatur natura, quum ſit juſta, utilis atque admodum hominum generi neceſsaria. Ea vero omnia quibus cuncti inſectantur, deteſtanturque ſervitutem, in illam ſervitutem dicuntur quæ haud natura, ſed hominum opinione inducta fuit, gentium, inquam, conventis, & communi conſenſione, ut victi, captique in bello, victoris fierent poteſtatis, eique ſervitutem ſervirent, ſi ab eo in vita ſervati eſſent; unde ab antiquis ſervos dictos eſse volunt; nec tantum in victoris eſsent poteſtate, ſed etiam illorum quibus eos ipſe addixiſset, & jure nexi, atque mancipii per æs, & libram obligaſset. iſtuc ſervitutis genus odit merito, atque avertitur natura, in eamque gentium legem philoſophi invehuntur, ut iniquam ſuaſoris iniqui rogationem; quoniam perſæpe evenit, fortunæ in rebus humanis ludentis arbitrio, ut viri nobiles, & ſapientes ſerviant ignobili, atque inſipienti. Hoc itaque capite nonnullis viſum eſt, jus naturale a jure gentium ita disjunctum exſiſtere, ut invicem contraria eſſe, ac *diſparata* ſuo loquendi more dixerint; quoniam hoc modo parere, & imperare, non conducit utrique. nam qui paret, haudquaquam id ſua ſponte facit, ſed vi, atque iniqua coactus conditione. Ex iis quæ dicta ſunt, jam intelligere potes, alios aliis parere non ſolum non eſſe contra naturam, ſed etiam naturæ eſſe valde conſentaneum. quod ni ita ſit, multa abſurda incurrat hominum genus eſt neceſſe. neque iccirco libertas eſt adeo omnibus cara, quod cuique liceat facere quicquid velit, neque adeo abhorret natura quod quiſque transformet ſe in mores *alienos*, dum tamen ille in cujus mores quis ſe velit induere, ſapientia, & virtute præſtet, ſitque talis, a quo erudiri, & juvari queat; quod expedire, & utile eſſe, intueri poſſumus etiam in iis rebus quas terra gignit ſolo affixas. amputatis enim, atque reciſis naturalibus ſilveſtrium, ſteriliumque arborum ramis inſeruntur generoſi, ſelectique generis ſurculi; & planta quæ erat plane ſterilis, in frugiferæ, ac felicis naturam, & conſuetudinem coaleſcit. multa quoque quæ in uno bona ſunt natura, alterius virtute, atque induſtria perſæpe fiunt meliora. hanc ob rem mortales illi priſci parere regibus cœperunt. quod imperii genus initio delatum fuit ad unum juſtum ſimul, & ſapientem habitum, ut ille præeſſet cæteris, exſiſteretque unus in civitate juſti, & æqui cuſtos, ac vindex; quæ ſunt firmiſſima vincula civitatum; gereretque unus civitatis perſonam, & communi utilitati ſerviens, cives ſibi ſubjectos æquitate, & fide defenderet, eſſetque cæteris virtutis ſpecimen. Tali viro ſponte ſua, ac voluntate parent, boni præſertim, & innocentes, quod id ſibi ſalutare eſſe intelligunt: quum animi mortalium fere omnium nimia libertate inſoleſcant, cunctique plane licentia deteriores fiant. At vero, ſi quis exſiſtat qui neque vereatur quemquam, neque lege ſe teneri ulla arbitretur, ſine freno, ſine modo, belli cupidus, pacis, & quietis inimicus, hunc omnes defugiunt, averſantur, atque devitant;

tant;

tant; cujus quidem ſi cuncti homines exſiſterent ſimiles, humanum genus, Platonis ſententia, parum abeſſet a feris. quanto melius cum illis agitur qui cum multis æquo jure in civitate viventes, ſe, ſuaque omnia prudentiorum conſilio, ac fidei committunt, jurique, & legibus, hoc eſt rationi, ſua voluntate, libentibuſque animis parent! quum inde nihil non æquum, aut juſtum exſpectare, aut metuere queant.

Equidem haud uſquam quemquam eſſe, duco, ita ab humanitate remotum, qui ſi ſuo arbitratu, atque ut cuperet, actiones ſuas dirigere valeat, & penitus conſequi quæ vellet, nolit magis vivere ſecundum virtutem, quam a recto alienus. Principes enimvero, & qui aliis præſunt, tales eſſe oportet, ut cogitent, civium ſe potius patrocinium ſuſcepiſse, quam imperium, aut dominationem; taleſque rectores Plato idem non dominos, ſed reipublicæ ſervatores vocat, in quorum tutela tuto, ac libere vivitur, nulliuſque rei illis cura major incubat, quam civium libertatis, quæ ab æquitate proficiſcitur, cujus nihil eſt magis proprium, quam pari jure vivere in multitudine. Nonne, quemadmodum apud Xenophontem pater Cyrum admonet, qui ægrotant, advocant medicum, cujus ſe committant voluntati, præſcriptoque pareant, ut ejus præceptis ſanitatem recuperent? Tranſituri quoque mare ſcientiſſimo gubernatori ſe totos tradunt, qui non ignarus locorum, ac regionum, exploratam habeat anni rationem, & temporum; cælique naturam, ac ſiderum, ventorum, & omnium quæ pertinent ad artem nauticam, calleat; neque umquam ab ejus præſtituto diſcedunt. Verum hæc plane ſunt humana, & humi jacentia; nunc a terra nos abſtrahentes, paullo altius evehamus rationes. CHRISTUS, cujus natura non tantum erat hominis, ſed ſeorſum quoque divina, ac cæleſtis, aſcenſum in cælum ad patrem moliens, Simonis Petri cuſtodiæ, curæ, ac diligentiæ concredidit manum illam, ac multitudinem, tam quæ promiſsa ſua, auctoritatem, & fidem ſecuta fuerat, quam quæ in poſterum erat ſecutura, Eccleſiamque, ideſt bonorum ſelectam congregationem, nominavit, eique voluit unum ſemper caput præeſse vicaria poteſtate, ad quod cætera illius corporis membra reſpicerent. Videmus quoque, in ſacrarum literarum monimentis, ſeu potius oraculis, perſæpe cælitum concilium, cæleſtem civitatem vocari. ad cujus rationem, niſi me impediſses iſto tam importuno intercurſu, humanam, & terreſtrem rempublicam temperandam eſse, eram diſputaturus. quod Homerus ipſe etiam videtur non omnino ignoraſse, ubi ait, quod ſit in hominibus, eſse Dei ſpeciem, & imaginem. ipſe item Deus & homo CHRISTUS in veræ ſapientiæ effatis toties regnum cælorum nominans, innuit, in cælo quoque exſiſtere imperium, & regendi vim, ac poteſtatem. Inſuper & ipſe heros noſter Petrus, cujus vicariæ fidei concreditam memoravimus Chriſtianam rempublicam,

blicam, nominat regale ſacerdotium. Mitto, eumdem Homerum, excellentem naturæ pictorem, non ſolum Jovem ſæpius deorum omnium, atque hominum regem, ſed etiam in omni quaſi pagina Agamemnonem vocare ποιμένα λαῶν; totius, inquam, Græciæ exereitus paſtorem, atque rectorem, ad cujus nutum, atque arbitrium cæterorum ducum conſilia reſpicerent; quod quidem neceſse eſt in omni fere belli expeditione tam terreſtri, quam maritima, in omnique congregatione; in qua niſi emineat aliqua poteſtas quæ aliis præſit, ae præſcribat recta, & cum ratione præeipiens, ſtatim dilabatur, diſsolvaturque manus illa, ac multitudo. nemo tamen iccirco neque Græcorum, neque quorumque aliorum milites, dueeſve alios in exercitu ſummo imperatori ſubjectos, recte *appellârit* ſervos, quod pareant duci illi ad quem totius imperii ſumma ſpectat. opus eſt igitur in omni conſociatione rectoribus, & gubernatoribus, ſine quorum prudentia, diligentia, æquitate, ac fide nulla communitas ſtare queat; illiſque præſertim recta jubentibus parere omnes oportet. quod qui non faeiunt, ſed prineipibus, ac magiſtratibus, quorum deſcriptione omnis reipublicæ moderatio continetur, adverſantur, eos Plato e Titanum genere exſiſtere arbitratur. Quando autem pauci adeo inveniuntur qui virtute excellant, non multi admodum idonei exſiſtunt qui rempublicam eapeſsant, ejuſque præclaris muneribus præſint. Ne tamen hie, Flamini, erres, & tragœdias uſquequaque decantes, *in* tyrannicas rectiones ſine cauſsa invectus, hanc omnem obedientiam, voluntariam eſse oportere dicimus; atque ita tua omnis oratio extra ſepta, & cancellos vagatur, fruſtraque laboras, & inanem umbram perſequeris. dividit nempe Plato omnem rectionem in violentam, & voluntariam. violentam vocat tyrannidem, & factionem: voluntariam vero, regiam, ac eivilem nominat. differtque rex a tyranno, quod hic volentibus, ille invitis, ac coactis imperat. hinc eſt quod libertatis tempore ſemper potentiora ſunt, ae validiora legum imperia. parent autem volentes populi, tunc quum imperium eſt magis gratia ſubjectorum, quam imperantium. ſecus enim illi qui prineipibus, ac magiſtratibus obediunt, ſervi eſſent. bene ideo ſe habere eivitatem, recteque adminiſtrari dieimus, quum non minus eorum qui ſubjecti ſunt, quam eorum qui præſunt, utilitas quæritur, immo maxime, & in primis populi commoda attendenda ſunt. inde nihilominus ſequitur etiam privata regentium utilitas, quæ ſemper conjuncta eſſe debet cum publica, nec ſine ea ſalvis rebus exſiſtere poteſt. Sic navarehus maxime nautarum, & eorum qui ſunt in navi, incolumitati ſtudet. ex qua diligentia nihilo ſecius ſuæ quoque ſaluti conſulit. nam ipſe etiam evadit incolumis, & portum cum vectoribus tenet. Ac in hoc ſane agnoſcimus, paſtores diſtare a civitatum rectoribus, quod paſtores in primis utilitatem ſuam, non ovium, ſibi propoſitam habent: at guber-

gubernatores reipublicæ præcipue commodorum civium rationem ducunt; ſive unus, ſive pauci, ſive multi principatum tenent. neque enim ulla rectionis forma reipublicæ recte dici poteſt, niſi in qua illi qui præſunt, publicæ utilitati, communibuſque civium commodis in primis ſtudent, volentibuſque ideo imperant. Quum vero qui regunt, imperium ad ſuam, ſuorumque domeſticorum, ac propinquorum, amicorumve tantum utilitatem dirigunt, ea rectionis forma multum abeſt ab optima gubernandi ratione, eamque verius tyrannidem, aut factionem, aut popularem licentiam nominamus. Oportet autem maxime a juſto imperio omnem vim abeſse, dominandique libidinem, cunctamque ſuſpicionem avaritiæ; qua nulla peſtis magis eſt contraria imperio, ac majeſtati. ſed qui imperat, ſit nullius rei egens, aut cupiens, ſed, inquam, plane exſiſtat ſe ipſo contentus, & ex ſe totus pendeat.

Hic vero Flaminius arridens, Exſpecto, inquit, quorſum tandem hæc tendat oratio. nam, ut video, cauſſam meam agis, teque ipſe induis in idipſum quod maxime effugere niteris; & dum te expedire tendis ex laqueis mea oratione tibi injectis, arctius te ſemper involutum conſtringis, teque ipſe configis tuamet confoſſione jugulatum. Servitutem ego tibi objeci, pervicique, nos manere in civitatis communione non poſse, niſi projecta, amiſsaque prorſus libertate, niſique fecerimus noſmetipſos poteſtatis alienæ, & alteri ſervitutem ſerviamus. id ipſum idem tu aperte, palamque confiteris, dum reges gubernatores, imperatores, rectores, & magiſtratus, tamquam dominos in cervicibus noſtris collocas; qui quo plures exſtiterint, eo magis nos in ſervitutem redigis, graviorique dominatu premis, & quot rectores das, totidem nobis imponis tyrannos, & quo minime vis, eo revolveris. Ad ingenium redi, excute hic tandem intelligentiam tuam, & complicatam animi tui ſententiam evolve, teque, ſi potes, explica. Explicabo medius fidius, inquam, teque, & omnes qui in civitatibus æquo jure cum multis vivunt, in libertatem, cui tu adeo metuis, vindicabo, atque quacumque oratio mea pertranſierit, perque volaverit, omnibus ſolvam compedes, atque ergaſtula, libertatis ubique ſeminator, ut ne minimum quidem uſpiam relinquatur ſervitutis indicium.

Erras non parum ſæpe, Flamini, in hac autem re maxime, qui non vis intelligere, quantum ſit diſcriminis inter eos qui ſua ſponte, & voluntate parent, & illos, ſicut diſtinguendum eſse diximus, qui id inviti faciunt, quum proprium ſit libertatis munus, ut per eam quis agat quicquid velit, liberque plane exſiſtat quiſquis nihil facit, aut dicit invitus. Qui enim ſervi illi haberi debent qui ſuorum commodorum gratia obtemperant magiſtratibus recta ratione in jubendo, & vetando utentibus? tibi res plena periculi videtur eſse, quod nos ipſos ſubjicimus arbitrio a-

lie-

lieno, alterique ita addicimur, ut in nos ille interdum vitæ, ac necis videatur habere poteſtatem. falleris hic ſane maxime; nempe, quum ſub jus, judiciumque venimus, addicimus nos, noſtraque non alicui homini, ſed legibus aut a rege juſto, aut a civitate non oppreſsa tyrannide latis, quia magiſtratus, gubernatores, regeſque obediunt quoque ipſi legibus, ideſt rectæ rationi; nihilque ab illis eſt agendum quod non dici poſſit recte, & ex ordine factum, & ſumma ratione obvallatum. Porro regem ipſum non ſubjici legibus, ſceleratam vocem eſse clamant, & deteſtantur omnes. namque, ut eſt apud Xenophontem, leges non modo parere docent, ſed etiam imperare. Ne igitur magiſtratus quoque, & qui populos regunt, in jubendis, ac vetandis *rebus* errarent, neve quicquam agerent ex libidine, conditæ fuerunt mira omnium gentium conſenſione leges, ſapientiſſimorum hominum cogitata, atque inventa, quibus jura, ac judicia deſcribuntur. unum, idemque nempe propoſitum legum, & magiſtratuum eſse debet, eademque voluntas, & ratio. hinc aliqui magiſtratum, legem loquentem, legem vero, magiſtratum mutum eſse dixerunt; quæ luculenter diſserit Theophraſtus in eo libro in quo de officio legum, & magiſtratuum copioſe agit. Legum ſane præſcripto qui judicant, quique rempublicam temperant, numquam deflectere poſſunt a recta ratione, quæ eſt ipſarum legum non modo conſervatrix, & emendatrix, verum etiam eas generaſse quodammodo videri poteſt; & earum eſt, ut ita dicam, quaſi anima, atque medulla. his porro dominantibus, nullus eſt gratiæ, aut odio locus. non hæ moventur ira, aut cupiditate ulla, ſemper eædem, & æquæ omnibus, nemini ſuccenſent, nihil cupiunt, nihil dolent, nihil metuunt, aut ſperant, numquam lætitia efferuntur, numquam ſtomachantur, neque faſtidiunt, neque *defeſsæ* oblangueſcunt, neque obdormiſcunt, ſed ſemper una, atque eadem voce cum omnibus loquuntur. Eas itaque in civitate dominari, non magiſtratus, quos potius par eſt ipſis legibus, & majorum ſapientiſſimorum hominum inſtitutis apprime obedire, ab illiſque ne tranſverſum quidem unguem diſcedere. Miſeram nimirum congregationem illam ubi leges parum poſsunt, ſed ipſæ potius magiſtratibus ſerviunt! Felicem, contra, illam, ac beatam civitatem, ubi leges ipſæ magiſtratibus dominantur, & omnia poſsunt! Plato inquit, illi reipublicæ affore multa bona quæ dii dant civitatibus. Porro legibus, ac moribus neceſſe eſt contineri omnem civitatem, quorum unum ſine altero eſse non poteſt.

Hæc duo niſi eſsent, homines vi uterentur ad cibum, & ad maris, ac feminæ conjunctionem, cunctaque ex libidine fierent. hinc dicimus conditas fuiſse leges ad ſalutem civium, vitamque omnium quietam, ac beatam, ad compeſcendamque improborum licentiam, ut oderint injuſtitiam, juſti autem naturam diligant,

atque

atque ut homines ab injuria inter ſe attemperent, ut ſuumque cuique tenere liceat, neve improbi magno cum bonorum periculo, & detrimento, nimium poſſint. eſt enim lex, eorum quæ juſta ſunt, & eorum quæ injuſta, recta diſtinctio, auferens injuriarum, ſcelerumque licentiam. Niſi enim natæ fuiſſent in animis hominum cupiditates, tamquam in humida materia quædam caries, nihil plane opus erat legum ſcriptarum promulgatione, quæ ſicut ſupplicio afficiunt improbos, ita bonos defendunt, emendatrices vitiorum, virtutum commendatrices. nihil hercle namque opus eſſet legibus, ſi æqui, & boni eſſemus omnes. Siquidem cupiditates prius fuiſſe neceſſe ſit, deinde leges adinventas, quæ illis modum facerent, quæ furari, rapere, latrocinari, fraudare, adulterarique vetarent, juberentque ſua re quemque contentum eſſe, a vi, aque injuria omnino abſtinere, ad recte facta vocantes, devocanteſque a peccato. Nempe lex, vinculorum, verberumque, & mortis minis providet non tantum ne quis rem alienam rapiat, ſed etiam ne alterius lædat famam; cui optime majores noſtri in XII. tabulis conſultum eſſe volentes, capite ſanxerunt, ſi quis occentaſſet, carmenque edidiſſet quod infamiam alicui afferret, ut omnium indemnitati, & ſecuritati, honori, atque exiſtimationi cautum eſſet; iiſque vinculis improborum, inſolentiumque, & petulantium coerceretur licentia. recte itaque lex a ſapientibus dicitur populi ſalus, quæ vult, pauperes æque, ac divites poſſe in civitate. minatur enim pœnas, ac mulctas, quibus ſaltem improbi ab injuria, & ſcelere deterreantur. Hinc Romani imperii illi pleni majeſtatis faſces, tremendæque ſecures, lictores, atque apparitores. Elaborarunt autem ſummopere, ut pœnæ inflictæ vim haberent ſalutaris cujuſdam medicinæ; juſtæque, ac debitæ eſſent; neve major pœna, quam culpa, ſed noxia mulctæ par exſiſteret. Hinc tot leges, quibus omnes nationes pariter utuntur, quæ ſcilicet verſantur circa illud jus quod gentium dicitur, cui æquum eſt acquieſcere omnes populos, ac nationes, & ſine quo haud commode genus humanum exſiſtere poſſit. inde etiam leges ſcriptæ, quæ dicuntur populares, ſingulorum, inquam, populorum inſtituta, quibus tamquam firmiſſimis vinculis continentur ſingulæ civitates. quod enim rex ſanxerit, ſenatuſve creverit, aut populus juſſerit, legem eſſe convenit. quod nomen illis ſcitis maxime congruit quæ ſapientes viri alicujus populi, aut principum juſſu ſtatuerunt, ut in Græcia, ſicut tu modo recenſuiſti, multi fuere legum latores. Noſtra tamen civitas obtinuit, ut jus quo ipſa utebatur, receptum eſset a cunctis fere civitatibus, utque civile ubique vocaretur, quum ob ingentis imperii majeſtatem, tum propter ſummam diligentiam conjunctam cum ſumma prudentia in condendis legibus. Nempe noſtros X. viros, qui Romæ conſcripſere XII. tabulas, neceſse eſt fuiſse homines prudentiſſimos, quod tantulis tabellis tanta reſpu-

blica diu ſtetit, neque poſt multos annos ullæ aliæ adjectæ fuerunt leges; donec improborum hominum audacia, atque intemperantia eo pervenit, ut calliditate leges latas evaderent, atque eluderent. inde referti fuerunt tot formulis juriſconſultorum libri, excogitatæque ubique tot leges ſcriptæ, æreve inciſæ, tot rogationes, ſenatus conſulta, prætorum jura, atque edicta, plebiſcita, & prudentum reſponſa; quæ omnia uſquequaque Flaminius faſtidiens, ac nauſeabundus tantopere carpit; cujus acerbitate coactus fui quæ hactenus dixi de legum natura, latius proſequi quam fortaſse locus poſcere videatur. illa tamen ſcita fuerunt, atque inſtituta, ut eis omnino juſtitia in animis hominum, vellent, nollentve, retineretur; ut ſaltem improborum vis, frauſve, ex quibus duobus fontibus oritur injuria, coerceretur, ne bonis nocere valerent: ſed juris, & judiciorum æquitate ſuum quiſque tenere poſset, & neque tenujores propter imbecillitatem a potentioribus opprimerentur, circumvenirenturve, neque locupletibus obſtaret invidia ad ſua vel tuenda, vel recuperanda, utque omnes in civitate tam tenues, quam locupletes æque poſsent. Aſt Flaminius hic libertatem mordicus tenet; urgetque, & identidem inſtat, non conducere, nos, quos natura liberos creavit, vinculis legum conſtringi, & in ſervitutem addici, nititurque, & omnem lapidem movet non veræ libertatis ergo, ſed obumbratæ cujuſdam ſpecie, ut non tantum liberum, ſed ſolutum plane ſit, & exlex ubique humanum genus, ne quid a quoquam metu fiat, *qui parum* abeſt a vi, unde omnis ſervitus inducitur. ut *hic* exſultat! ut hic volitat! ut triumphat! iſtæc plane ratio eſt major illa, & validior machina, ultimumque tormenti genus, quod expugnandæ civitati admovere poſſit. hic eſt ejus Achilles, quem adverſus Trojanorum ingruentium vim, atque impreſſionem extrema *fortuna* exanimatus opponat. atque hic hercle tandem aliquid dicere videtur. Quoniam hoc itaque eſt ulcus, ad quod aperiendum non acu, aut chirurgi lanceola, ſed alio ſit opus ferro longe validiore, ac robuſtiore, ſude, inquam, ferrea, aut gladiatoris lancea; in ejus curatione etiam ſi longiuſculus viderer, eſſem omnino a vobis ferendus, quod hic tota legum natura evolvenda eſſet: verum ex his me expediam quam breviſſime potero, haudquaquam imitatus improbum medicum, qui quotidiani lucelli, & ſordidiſſimi quæſtus gratia de induſtria ægrotationes alendo, comperendinandoque, curationem quantumlibet producit atque prolatat. Perge tuo commodo, inquit Cervinus; ſiquidem vacua eſt penitus ab interventoribus dies, quam neſcio, in quibus aliis colloquiis melius ducere poſſemus. delectant me hercle jucundum in modum iſta, quæ longe ſecus tractari ſolita ſunt in ſcholis ab illis qui dicuntur juris prudentes. itidem ſpondere auſim pro ambobus collegis meis, & pro iſtis; neque enim Flaminium ipſum excipio, licet tibi vehemen-

hementer, & præfracte adverſari videatur. quem intus ſecum geſtientem videre videor, quod te elicuerit ad hæc tam plane, tamque concluſe diſſerenda. Tunc ego, Hac venia, inquam, a vobis conceſſa, agam aliquanto liberius. Quis enim, quæſo, dicebat Flaminius, non metuat, ac reformidet iſtas tam imperioſas reginas & dominas, quæ cives damnis, mulcta, ignominia, exſilio, vinculis, verberibus, ſupremoque interdum ſupplicio afficiunt? quis non horreſcat ſuperbiſſimas illas ſecures vinculaque carnificum, crucem, & arborem infelicem, miſerique cruciatus carmen, & quæ plurima in oratione ſua non modo laute, ſed etiam libenter commemorabat? Addidit inſuper, quod uſquequaque inculcabat, leges eſſe hominum adinventa, quum jus tamen non ſit hominum opinione, ſed natura conſtitutum. jocularia profecto ſunt iſta, riſu potius, quam oratione ejicienda; quibus tamen ego reſpondebo, non quod Iſæum dicere ſolitum fuiſſe tradunt, leges quidem acriter ſtatui, mitius vero quam jubent illæ, pœnas ſumi oportere. verum dico, atque aſſero, probos viros parere legibus non vi, aut metu: ſed quod jus cogit, eos ſua ſponte, & voluntate faceſſere, legeſque ipſas vereri quum honeſti cauſſa, tum quia id eſſe ſalutare, ſibique maxime conducere intelligunt. nihil enim viri boni faciunt umquam, nihil cogitant, niſi volentes, & ſuapte ſponte; neque qui obtemperat legibus, idcirco dici poteſt alicui poteſtati addictus, nexuque, aut aliquo jure civili ſervus, &, ut ſunt dominorum mancipia, ſuo ſpoliatus eſſe arbitrio. quippe eadem ratione omnes qui honeſta ſequuntur, quique ex natura vivunt, quia obtemperant legi naturali, ſervi erunt, naturæ dominatu preſſi. Quid aliud eſt enim legibus parere, quam philoſophiæ præceptis obſequi, & obtemperare? atque, ut natura flagitat, vivere, ac virtutibus omnibus non modo vitam ſuam ornare, verum etiam ſe eis addicere? quod quidem ſponte ſua fit; nec quiſquam umquam bonus virtutem ſequitur coactus, aut invitus. Itaque ſicut honeſtum, ita & jus eſt ultro, & per ſe expetendum, quod ſe in omne honeſti genus, in omneſque virtutes fundit; legeſque ipſæ ſunt totius honeſti præceptis accommodatæ, jubent enim ea quæ ſunt viri non ſolum juſti, verum etiam fortis, prudentis, temperantiſque, & quæ ſunt manſueti, & mitis animi; idemque facit in cæteris virtutibus, ac vitiis, hæc jubens, illa prohibens: menſque legis latoris naturam juſti, & æqui ſemper ſpectat, eoque quæcumque jubet, aut vetat, dirigit, donec omnia hauriat quibus juſtitia abſoluta perficitur. hanc nos quidem *legem* nominamus, & a legendo nomen fecimus, quam Græci *νόμον* dici maluerunt, quod per eam unicuique ſuum tribuatur. illi ſiquidem in legis nomine, æquitatis vim; nos vero delectus naturam attendimus. ut ut ſit id, ſi recte perpenditur, nihil plane aliud eſt, quam ipſa ratio humanas actiones ad ſignum dirigens, omnium domina, atque regina,

quam oportet eſſe in omnium animis, & cum ea nos conſtat eſſe natos. unde ſi rectis ſenſibus ire volumus, unuſquiſque poteſt eſſe ſibi ipſe legis lator, ſibique honeſta, & juſta præſcribere, prohibereque contraria. Quum igitur lex ſit hominum generi a natura data, nemo non a mente alienus eam jure accuſare poſſit, aut inſimulare, ſervituti nos addicere, quum ſervitutem ipſa per ſe natura oderit, ſemperque libertati ſtudeat. legem porro nobis a natura datam, ita probare ſolent: ajunt enim, nobis a natura datam eſſe rationem; ſi ratio, etiam rectam rationem. at lex nihil eſt plane aliud, niſi recta ratio inſita in natura, in jubendo, & vetando, honeſta imperans, turpia prohibens: & ubicumque lex ipſa dominatur, omnes ſunt in officio, recteque ſe habent, & ordine adminiſtrantur omnia. quoniam nutu rationis res fluunt, ratioque ipſa potius, quam lex dominari videtur. Quapropter niſi lex ſcripta accommodata exſiſtat ad naturam, quæcumque ea ſit, eſt magis quidvis aliud, quam lex, minimeque legis nomen meretur. Lex enim eſt recta ratio profecta a natura, ad recta faciendum impellens, & a delicto avocans; quæ non tunc eſſe cœpit quum fuit ſcripta, ſed potius intelligi poteſt fuiſſe ſemper una cum mente divina, quæ ſemper exſtitit, & numquam eſſe cœpit. quod præſtantiſſimus theologorum omnium inter noſtros innuere videtur, quum ſuam theogoniam ita alte exorſus, ut vix nos humi ſtrati intelligentia capere valeamus, inquit: ΕΝ ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. quum ea enuntiaret de unigena Dei filio, qui eſt patri coæternus, vera ratio, vera lex, intimum animi verbum, abſtruſaque cogitatio, ſententia, voluntas, mens, atque conſilium. Cæterum tamen hic diſtinguendum, quum de lege loquimur, ne genera confundentes, obſcuritate involvamur. Sicut enim jus, juſtumve eſt tum naturale, tum civile, quod legitimum vocamus, ita de lege quoque plane dicendum eſt. nempe alia eſt naturalis, alia civilis, aut ſcripta. quum legem nomino, de eo imperio intelligo quo non tantum civitas, ſed domus etiam omnis, & familia continetur; ſine qua nec gens ulla, nec mundus ipſe, nec univerſa natura ſtare poſſit; qua omnia Deo, rationique obedire, eſt neceſſe. Naturalem quidem illam, principem, & ultimam legem, mentem eſſe dicunt omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei, ad jubendum, deterrendumque idoneam, non ingeniis hominum excogitatam; neque ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quoddam, quod univerſum mundum regit incredibili imperandi, prohibendique ſapientia: neque eam opinione hominum conſtitutam, ſed divinitus exſiſtentem, diffuſamque in omnes, conſtantem, immutabilem, perpetuam, ſempiternam, quæ ad officium tacite nos, & ad rectum vocat, jubendo, vetando, a fraudeque, & ab injuria deterrendo. huic legi qui obtemperat, non indiget neque Lycurgi, neque So-

lonis,

lonis, neque Charundæ legibus. habet enim in ſe ipſe legem ſibi ſemper præſidentem, præſcribentemque quomodo ſe gerat, primum erga Deum, quem colere in primis cuncti debent, quo deinceps jure vivat non modo cum illis quibuſcum ſocietate aliqua jungitur, ſed etiam cum univerſo hominum genere. ea profecto docet, noſtra lucra alienis incommodis non quærenda, vetatque ne alteri noceamus noſtri commodi cauſſa; noſtrumque potius feramus incommodum, quam quicquam de alterius commodis abradamus; deteſtaturque vehementer omnem detractionem, appetitionemque alieni; quam ſcientiam, ac notionem ipſa per ſe natura inſevit in animis noſtris; neque quiſquam eſt omnium qui non ſecum tacitus hæc ſentiat, ac videat; & huic quidem legi ſua ſponte obtemperant cuncti, atque obediunt. Alterum legum genus in diviſione fuit quæ civiles, atque humanæ dicuntur. & harum quidem ſunt duo rurſus genera, unum quidem earum quæ haud ſcriptæ exſtant, ſed tacita gentium conſenſione ab omnibus ſervantur, vocaturque jus gentium, quo jure omnes gentes inter ſe utuntur, ac vivunt. neque eſt ulla fere tam barbara, tamque remota natio apud quam id non valeat tam belli, quam pacis tempore, non adeo multum diſtans ab eo quod dicimus naturale, ut etiam a peritis naturale interdum nominetur, quod qui violârit, ſceleſtus, impiuſque ab omnibus ubique judicatur. hoc ſecundo jure munitæ, tutæque ſunt legationes, fœdera ſtabiliuntur, ſolidantur pacta, & omnes contractus tam in emendo, & vendendo, locando, & conducendo, quam in cæteris contrahendis, tranſigendiſque rebus firmantur. Tertium genus eſt earum legum quæ ſcripto habentur, a ſapientiſſimis viris legum latoribus excogitatæ, rogatæ, atque latæ: juſſa, & vetita populorum vocant; quibus in ſingulis civitatibus, totaque interdum provincia, & nonnumquam latiſſimis regnis reſpublica continetur. Illa porro princeps, ac ſumma lex, æterna exſiſtit, & neque tolli ulla lege alia, neque abrogari poteſt. eſt enim in natura infixa, atque ingenerata. quippe quæ natura exſiſtunt, ſunt immutabilia, & ubique valent; ut ignis, ſicut apud nos, ita apud cunctas gentes adurit. Eſt igitur illa diffuſa in omnes gentes, perpetua, conſtans, ſempiterna, quam nemo ignorat, cui tam dii, quam homines, ut ajunt, ſunt obnoxii. Eſt enim illa quam Pindarus in quodam cantu, ubi de Hercule agit, canit eſſe reginam omnium mortalium, atque immortalium, quæ jus ubique dicit præpotenti manu. eam autem Empedocles, ut refert Ariſtoteles, appellavit æthera, quod perpetuo diffundat ſe in omnia, per inexplicabilem claritatem. Gentium vero conventa, id eſt perpetua illa cunctarum nationum conſenſio, licet nulla alia umquam lege abrogentur, tollanturve, tolli tamen poſſent, ſi denuo inter omnes gentes ſecus conveniret, quod quia difficillimum factu exſiſteret; ſumma enim ratióne, quæ eſt lex divina, & humana, in eas leges cunctæ gentes conſenſere;

hoc

hoc ideo quoque jus dicitur quodammodo immutabile, perpetuum, atque æternum. At ſcita populorum, quod fuit tertium in diviſione, quæ, inquam, ſinguli populi ſanxerunt, ſcribique mandarunt, quo in ſingulis civitatibus in pace viveretur, alia lege, novoque ſcito tolli poſſunt, & plerumque tolluntur, ſi aut non jure rogatæ fuerunt, eaſque uſus coarguit, ut Romæ novimus Sejas, Apulejas, & Livias, centumque alias; aut ſi eas aliquis ſtatus reipublicæ inutiles fecit. Namque earum quædam latæ ſunt perpetuæ utilitatis cauſſa, in ſempiternum tempus valituræ, ut aliquæ cum ipſa urbe natæ, cunctæque leges XII. tabularum, quarum nullam umquam abrogatam fuiſſe legimus. quædam vero earum quas crevit ſenatus, populuſque juſſit, aliquibus temporibus reipublicæ deſideratæ ſunt quodammodo mortales, & pro temporum varietate mutabiles. nam ſicut in navis gubernandæ ratione, alia in proſpera navigatione, alia in adverſa tempeſtate uſui ſunt, ita in adminiſtratione reipublicæ belli tempore leges ſciſcuntur in populis, quæ poſt ſecutam pacem abrogantur, & plane inutiles fiunt. quod etiam de omni temporum mutatione, inclinationeque intelligo. Sunt etiam aliquæ quas in dies ætas retractat, expolitque, & in meliorem rationem mutat. namque humana ſolertia non omnia quæ cogitat, illico perfecte videt, ac ſentit, verum in dies hominum ingenia magis, ac magis acuuntur, atque illuſtrantur, & perſæpe quæpiam quæ animus tuus heri, & nudius tertius ignoravit, hodie ſcire *incipit*. natura enim paullatim nobis ſeſe detegit, atque enudat. *iccirco* quotidie, prout tempus deſiderare videtur, novæ conduntur leges. nam quicquid ſenatus crevit, populuſque juſſit ad civilem, popularemque uſum, lex habetur. Etenim, ut in humanis corporibus pro ratione morborum nova ſunt ſemper admovenda remedia, ita in adminiſtranda republica ad coercendam improborum *civium* licentiam, leges rogandæ, ac ferendæ ſunt tempori congruentes. Ciceronis ætate, ut ipſe refert, nondum decem, & centum anni exierant ex quo de pecuniis repetundis a L. Piſone lata fuerat lex, nulla antea quum fuiſſet. Cæterum leges quas tu carpis, varias eſſe coarguens, atque invicem ſibi contrarias, nullo pacto leges exſiſtere cenſemus, eaſque magis populi favore, quam merito legum nomen tenere, arbitror. Formulas vero illas, ut ad omnia a te objecta reſpondeam, tam ſtipulationum, quam judiciorum, quæ tenui de cauſſa, nimiſque exili, atque abjecta ſcriptæ tibi videntur, ut de ſtillicidiorum, parietum, & aquarum jure, de cloacis, deque domorum, & prædiorum ſervitutibus, non parum neceſſarias priſci illi noſtri exiſtimarunt ad tuendam civium pacem, ac quietem, qui perſæpe iſtis de rebus inter ſe controverſantur, & litigant, ad jurgiaque, & ad manus veniunt. Multa tamen, fatendum, peſtifera, & perniciosa interdum in populis ſcita fuiſſe, vel principum ſcelere, vel populorum ipſorum negligen-

gentia, aut avaritia, quæ quodque aliud potius ſunt, quam leges; ut ſi non totius civitatis, ſed principis dumtaxat, aut unius tantum partis civium gratia conſtitutæ fuerunt: aut ſi non majori ſaltem parti, & in ſummum proſunt, fraudes potius corruptæ, & depravatæ civitatis, quam leges dicendæ ſunt. quandoquidem oportet leges, & jura conſentanea eſſe naturæ, ac rationi, quæ omnibus univerſe eſt eadem. & ut tandem breviter, ſicuti res eſt, eloquar, illa princeps, ſumma, & ultima lex a Deo ipſo lata, & in cordibus noſtris infixa, nobiſcum naſcens, ſi recte, atque perfecte a nobis intelligeretur, vellemuſque congruenter naturæ vivere, nemo noſtrum alia lege ſcripta indigeret, eſſemus enim omnes natura juſti. juſtis autem legem non conſtituendam nemo eſt qui neſciat. quum, ſicut dixi, illa ſit juſti, atque injuſti diſtinctio. continet namque in ſe, atque complectitur omnes leges quum ſcriptas, ſi recte, optimoque jure rogatæ fuerunt, tum eas quas omnes gentes diuturna conſenſione approbarunt; tam juris publici, quam privati: ab eademque natæ ſunt apud nos primum quidem XII. tabularum leges, deinde aliæ permultæ, quibus ais confertos eſſe conſultorum libros. ſumma enim illa tamquam genus univerſum ſe virtute fundit in omnes, fons publici, privatique juris, ad officium, ad recteque faciendum impellens, & a delicto avocans; cupiditates, quæ naſcuntur in animis, tamquam quoſdam morbos coercens, atque refrenans, bene facere jubens quibus poſſumus, prohibenſque ne cui noceamus, commodi præſertim noſtri cauſſa; ſed quales ſe gerere erga nos cæteros mortales cupimus, tales nos itidem erga alios omnes eſſe, potenter imperans. Huc porro ſpectant omnes leges. id unum incolumem, quietam, beatamque ſervat, ac tuetur civitatis conjunctionem: id firmiſſimum eſt non modo rerumpublicarum, ſed totius humani generis vinculum. Quoniam vero ea quæ ſunt a natura, hominum induſtria plerumque meliora fiunt (etenim quæ natura inchoat, hominum ſapientia perficit, quæve confuſa, & quaſi per caliginem, ac nebulam quamdam nobis oſtendit, nos diſtinguentes illuſtramus) ſapientiſſimi homines legum latores, quorum antiquiſſimi fuerunt in Græcia Minos, & Rhadamanthus, philoſophiæ lumine adjuti, juris, ac juſti, quod erat plane involutum, naturam, ac vim mortalibus oſtenderunt, & quæ natura fuſe, & libere animis hominum ſuggerit, illi articulatim, diſtincteque dividentes in genera, plurimos ab eo fonte rivulos deduxere, legeſque, judicia, & jura enucleate deſcripſere; ut agnationum, gentilitatum, tutelarum, ſocietatum, fiduciarum, mandati, creditæ, depoſitæve pecuniæ, uſucapionum, alluvionum, ſervitutum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, multorumque aliorum; declarantes, quæ publica, quæve privata; quæ teſtamenta rupta ſint, quæve rata; quid ſuum cujuſque, quid alienum; quid ſacrum, quid profanum; qui civis, qui

qui peregrinus; qui liber, aut ſervus. & quoniam delictis pœnæ conſtituendæ ſunt, ut quos natura, aut ipſa turpitudo, & pudor ab injuria arcere nequeunt, pœna ſaltem, & ſuppliciorum metus deterreat; ne magiſtratus, & qui rempublicam gerunt, improbis ignoſcendo, bonos perditum eant. (quæ enim, rogo, eſſet hominum vita? quomodo res ſe haberent, ſi omnibus propoſita eſſet agendi quicquid collibitum animo eſſet, impunitas?) quum igitur delictorum diſtincta ſint genera, diverſa quoque legum capita conſcribenda erant propter eos qui nihil timent, niſi teſtem, & judicem, neque honeſto ipſo quicquam moventur, ut boni ſint, & innocentes; quo noxiæ par eſſet pœna, atque animadverſio. quod probari poteſt in tribus delicti generibus, quæ quum paria judicentur, una eademque animadverſione in XII. tabulis antiqui coercenda ſtatuere, parique ſupplicio eorum reos afficiendos; proditorem patriæ, ſacrilegum, & legum everſorem. Si nullum exſiſteret jus ſcriptum, errari poſſet in multis, non tam opinionum vanitate, aut quod non omnes jus naturæ per ſe nullo docente ſentiant (æquitas enim per ſe omnibus elucere poteſt) quam quia homines aliqui inducti ſpecie alicujus commodi, recuſent vivere congruenter naturæ, & juri naturali parere. Quoniam item interdum contingit, ut ea quæ aliquando juſta ſunt, procedentibus ætatibus, aut aliquo caſu mutari poſſunt, & eſſe minus juſta, opus fuit lege ſcripta, quæ tum improbos ab injuria deterreret, tum ab errore avocaret *ignorantes*. Atqui forte inquies, Ergo omnia eſſe juſta *defendis quæ* poſita ſunt in populorum inſtitutis, & legibus? id hercle ego minime. interdum enim errant homines, etiam qui habentur ſapientiores. nemo namque præter Deum eſt vere ſapiens, qui neque errare, neque falli poteſt. Porro leges condere, res eſt ardua, quæ non modo conſilio, atque prudentia plurimum indiget, ſed etiam, ut ſenſit Plato, ſine divino favore, atque præſidio, ſeniorumque conſilio id munus perfecte minime impleri poteſt. Iccirco facit, Socratem ante ſuarum legum promulgationem cæleſte auxilium implorare, & invocare Adraſtian, quam dicebant immutabilium legum eſſe reginam, cujus reginæ nec oculos, nec manus alicui licebat effugere. Hanc vir prudentiſſimus fingitur ſibi aſſiſtere voluiſſe, ne forte in deſcribendis legibus erraret; quem errorem idem Plato plurimis verbis vehementer deteſtatur. Perraro tamen ſolerti homini contingit errare, ſi in ferendis legibus nihil ab illa principe, & ſumma lege deflectat, quam ſequi debet, & ad illam cynoſuram curſum tendere; ſicut in omnibus etiam rebus induſtria, & ſolertia humana, quoad poteſt, imitatur naturam. quamobrem civitatum ſcita, & inſtituta nihil aliud eſſe videntur, quam illius æternæ legis quædam quaſi explanatio, atque illuſtris explicatio, quæ eam omnibus apertam, & dilucidam reddit, in qua dixi fuſa conſiſtere omnia jura, & juſta, quaſi legum occulta quædam ſemina.

Digitized by Google

na. neque abſurdum cuiquam videri debet; quum in aliis quoque rebus permultis humani ingenii ſolertia naturæ latebras, & obſcuritatem ſcrutetur, atque adhibito rationis lumine illuſtret; quando homo homine acutius videt, & unus interdum perſpicit, atque intelligit quæ nemo aliorum omnium ullis umquam ætatibus intelligentia conſequi potuit. Verumtamen niſi leges omnes quas quiſque tulerit, ad illam principem referantur, ad illamque reſpiciant, & illi ſint omnino conſentaneæ, & ad naturam, quæ nihil niſi juſtum admittit, accommodatæ exſiſtant, nullo pacto leges ſunt habendæ, neque hoc nomine dignæ cenſentur. Igitur omnis legiſlatoris mens, & ratio huc dirigenda. cujus officium eſt de honeſto, bonoque, & juſto conſiderare, eaque populis qui ſunt futuri felices, proponere, & legum quaſdam quaſi formulas, quas illi ſciſcant, deſcribere, ut rerumpublicarum adminiſtratio recta, vitaque civium ſit prudens, fortis, temperata, & juſta, cæteriſque munita, atque adornata virtutibus, in quas, ut diximus, omnis lex naturalis ſe fundit. hæc vero omnia complexi uno verbo, honeſta dicimus. Nihil porro præclarius, quam videre civitatem optimis florentem moribus, & inſtitutis, virtutibuſque ornatam, quas leges ipſæ ſingillatim nobis proponunt. Jubet lex naturæ ea quæ ſunt hominis fortis; quod quoniam late patet, conſtituunt diſtincte legum latores, jubentque præſtituta, ac deſcripta pœna, ne quis in acie locum deſerat, neu fugiat, neu arma abjiciat. rurſus eadem natura jubet ea quæ ſunt temperantis. apertius illi vetant adulterari, vetant quoque convicio quemquam verberare, & ab omni petulantia per ſingula genera diſcurrendo abeſſe, eaque omnia perſequuntur in quibus notari poſſit intemperantia. itidem pariter in omnibus virtutibus, & vitiis ſe gerentes faciunt, & a virtutibus legum ſuarum ſemina eliciunt. Leges vero quæ variæ ſunt, inconſtantes, invicemque ſibi contrariæ, cenſeo omnino tollendas eſſe, aut utraſque, aut alterutram, illamque quæ a juſto diſcedit, ac ratione penitus vacat. Nam omnino iniquas a tyrannis civitati impoſitas, atque inuſtas, in quibus non proponitur utilitas, neque commoditas ſaltem majoris partis civium, ad ipſorum tyrannorum commodum tantum latas, nullo pacto leges habendas diximus, nullamque omnino rem, aut rationem eſſe nobis cum tyrannis in hoc tam præclaro negotio pertractando. reddidimus etiam cauſſam, cur mutabiles eſſent aliquæ, quareve quæ promulgatæ initio mirum in modum placuere omnibus, poſtea procedente ætate antiquentur, abrogenturve, non modo illæ quæ non ſunt perpetuæ ſed ad tempus introductæ, verum etiam in æternum latæ. quod nulli mirum adeo videri debet qui norit omnia hæc humana, atque infera perpetuo eſſe in motu, ut Platonem dicere, tu quoque ipſe adverſus te pro mea ſententia confeſſus fuiſti; uſque adeo, ut quidam philoſophi ambigant, an eadem hodie ſit reſpublica, aut

civitas quæ heri, & nudius tertius. ſicut etiam de fluminibus quæ perpetuo fluunt, quæri ſolet ab iis qui naturam ſpeculantur; & idem ſignificantius natura exprimit in animis noſtris. Siquidem perſæpe quod heri mihi conſilium mirum in modum placebat, hodie non ita; illudque aut prorſus abjicio, aut ſaltem aliquibus vel additis, vel detractis excultum perpolio, exornoque, & in melius refero. Draco, fateor, apud Athenienſes leges ſcripſerat, quas deinde Solon fere omnes ſuſtulit, quod in illis mors erat definita pœna tam iis qui furati eſſent olera, quam ſacrilegis, & patriæ proditoribus; peccataque omnia, perinde ac ſi eſſent paria Stoicorum ſententia, ultimo ſupplicio mulctaverat, tam capitalia, quam illa quæ aſperſione aquæ, vel dierum numero tolli dicuntur. propterea ferunt, Demaden quemdam acute dicere ſolitum, non atramento, ſed ſanguine, Draconem leges ſuas exaraſſe. Recte vero excogitatas, ſcriptaſque leges illi ſupremæ, ideſt menti divinæ conſentaneas, ac naturæ congruentes nemo umquam vere redarguere poſſit. liquet namque eas ad hominum ſalutem, civiumque, & ſocietatum incolumitatem, & ad eorum quietem, tranquillitatem, ſecuritatem conditas fuiſſe, ut illi non tantum commode, tutoque, ſed etiam honeſte, ac beate viverent. ſunt enim ad naturam accommodatæ, eamque adjutant, excolunt, atque adornant. Neque eſt quod civitatibus propter leges ſervitutem objicias. Nos legibus libenter, noſtraque ſumma voluntate ſervimus, omnes ut liberi eſſe poſſimus, quibus qui parent, rationi obtemperant, quæ eſt legum ipſarum procreatrix, emendatrix, conſervatrix, juſta, & injuſta dijudicans, injuriæ, & pravitatis vindex. qui vero eis non obediunt, ad naturam propius belluarum, quam hominum accedunt. His coercetur improborum licentia. hæ vocant ad recte facta: a peccatis avocant. hæ cavent ne improbi nimium poſſint cum bonorum periculo, ac detrimento. hæ volunt, divites, & tenujores æque poſſe in omni cœtu, ac civitate. harum ope hominum animi nimia libertate non inſoleſcunt. his potiſſimum homines a pecudibus differunt, neque vi utuntur ad cibum, aut ad libidinem, fraudeque invicem abſtinent. hæ ſupplicio afficiunt improbos, bonos vero defendunt, confirmant, commendant, augent. Quæ ab eis pœnæ conſtituuntur, infliguntur que, ſunt quædam quaſi ſalubres animorum morbis adhibitæ medicinæ. his ſummi, & infimi juxta parent. magiſtratus quoque eiſdem, principes, imperatores, & reges ipſi obediunt. his ſine neque latronum ſocietas diu ſtare poſſit. Parva perſequor. legis imperio, mediusfidius, cælum ipſum eſt ſubjectum, univerſuſque mundus, & omnis natura obtemperant. Hæc, viri ampliſſimi, coactus fui de legum natura altius fortaſſe quam exſpectabatis, repetere; in qua re non ſum judicandus fuiſſe multus, quum, etiam ſi non Flaminio reſpondendum fuiſſet, haud plane de republica diſſeri poſſit, niſi vis legum prius

expli-

explicetur; quibus tamquam firmiſſimo fundamento omnis ipſa reſpublica nititur, fulcitur, ac continetur ; legeſque ad omnem civitatem fundandam, temperandam, ac conſervandam non tantum ſint utiles, ſed omnino neceſſariæ : quæ in quocumque hominum cœtu, aut ſocietate parum valent, nulla ibi eſſe poteſt reſpublica, aut civitas. Veteres ideo dixerunt, eas vinculum eſſe totius dignitatis quam tenemus in republica, eaſque vocarunt tum fundamentum libertatis, tum fontem æquitatis, in eiſque mentem, & animum, conſilium, & ſententiam civitatis poſitam eſſe; & ut corpora noſtra ſine mente, atque animo, ſic civitatem ſine legibus, ſuis partibus, ceu nervis, & ſanguine, ac membris uti non poſſe. Ex his, Flamini, quæ a me hactenus dicta fuere, omnes tuæ argumentationes, cunctæque rationes cuique æquo rerum æſtimatori, recteque intelligenti profligatæ, proſtratæque jacere videri poſſunt, confectumque negotium. Verumtamen conferamus propius, & tua argumenta ad veritatem revocemus, ad ſingulaque quæ reſtant, a te objecta, nonnulla breviter, & concluſe dicamus. At vero quoniam tua prope omnis oratio verſata eſt circa deformitatem morum, jactavitque ſe tota in rebuſpublicis, & civitatibus ubique terrarum prolapſis, ac depravatis, quæro de te, autumes ne, tempus umquam fuiſſe ullum quo civitates, & reſpublicæ toto orbe fuerint meliores? arbitraris ne, rempublicam inter omnes gentes florentem moribus, & inſtitutis, omnibuſque virtutibus ornatam formari poſſe, atque inſtitui, ut detractis cunctis vitiis pulcherrima ſit, & impleat omnes numeros, omni laude cumulata? Non potes hercle negare, ſi quid plane perfectum fuit umquam in rebus humanis, & abſolutum, poſſe quoque etiam nunc exſiſtere. quod etiam viſus es fateri, quum diceres, philoſophos eas reſpublicas deſcripſiſſe in fortunatorum inſulis, quæ magis fingi poſſunt, quam reperiri. Quæſo rurſum. numquid illi philoſophi qui inſtituunt reſpublicas, præcipiant civibus qui futuri ſunt beati, ea quæ effici poſſint, licet factu difficilia, an quæ nullo pacto fieri queant. ut ſi mihi quis deus ſummam cæleſtium felicitatem ſpondeat, ſi viribus corporis annixus Ægæum mare tranſvolavero; quod quidem irritum foret, vanum, & nugatorium. Primum quidem credendum eſt, ſapientiſſimos viros tam in Græcia, quam alibi, quos ſua quemque ætas vehementer admirata fuit, ut in quibus exſiſteret ſummum ingenium, ſummaque prudentia, non ea præcepta vivendi tradidiſſe quæ nullo modo homines obire poſſent. nugari enim, & jocari in re tam ſeria, & gravi inepte, atque intempeſtive omnibus viſi fuiſſent. nempe civitates, ac reſpublicas ea abſolutione, ac perfectione inſtituerunt, ut facile in eis bene, & beate vivi poſſet. Si igitur tales eſſe queunt civitates, aut reſpublicæ, fuiſſe etiam aliquando, aut nunc eſſe, aut futuras fore fatendum eſt. fuiſſe certe non negabit, qui ad civitatis noſtræ,

populi, inquam, orbis terrarum principis prima illa tempora feliciſſima reſpexerit, quum *res*, ut ait Ennius,

Moribus antiquis ſtaret Romana viriſque.

quum populi ſumma poteſtas eſſet, ſumma ſenatus auctoritas. qua republica nullam umquam neque majorem, neque ſanctiorem, neque bonis exemplis magis abundantem fatebitur, qui apud optimos ſcriptores legerit, quæ vita civium,, qui mores fuerint, quibus artibus & domi, & militiæ Roma creverit, partumque ſit, & auctum imperium; quum domi, bellique boni, inquam, mores colerentur, hominesque malarum artium eſſent plane inſolentes; in quorum domibus memoratur nihil ſplendidum fuiſſe præter ipſos. nondum in civitatem avaritia, & luxuria immigraverant: voluptatibus, & cupiditatibus nullus erat tunc locus; quibus nunc laxatæ ſunt habenæ, hominesque fere converſi ſunt in belluas. Itaque ſi aliquando fuerunt aliquæ reſpublicæ bene inſtitutæ (nempe qui colligunt annales urbis noſtræ tam Græci, quam Latini, hujuſmodi Romanam civitatem fuiſſe pleno ore conteſtantur, priſcorumque temporum, quum res eſſent optimo ſtatu, laudes inſatiabiliter deprædicant) poſſe etiam ſperari futuras fore non negabit. De injuſtitia vero, avaritia, ac rapacitate Romanorum, quos tu inſimulas omnia omnium regna, atque imperia vi, & armis ad ſe tranſtuliſſe, nihil magnopere hic laborandum eſſet, quum luculenter proditum ſit memoriæ tot doctiſſimorum hominum literis, nullam uſpiam nationem fuiſſe juſtitiæ, æquitatiſque ſervantiorem; ut neque mea, neque alterius cujuſpiam indigeat propugnatione. Attamen ego, Cremonæ in honeſtiſſima Romanorum ipſorum colonia Romanis progenitoribus natus, non poſſum pietate ſalva deeſſe antiquæ patriæ defenſioni, in tam manifeſta præſertim calumnia, tamque acerba impugnatione; quod neque cuiquam veſtrum moleſtum fore duco, quum nemo ſit de quo aliquopere non benemerita fuerit ea civitas, aliqui etiam in ea rem ſuam bene geſſerint, multoque melius fortaſſe geſturi ſint in poſterum. Ac ne cui loco, Flamini, videatur a me non reſponſum tuæ criminationi, dico primum, falſam eſſe vulgi veterem opinionem, Nullam rempublicam poſſe adminiſtrari ſine maxima injuria; quam ſententiam audio confutatam fuiſſe olim, proſtratam, ac protritam pluribus & illuſtribus literis a P. Scipione apud M. Tullium Ciceronem contra Philonem inductam perſonam, ut nihil mihi ſit opus hac de cauſſa nunc privatim adverſus te dimicare, quum ex iis quæ hactenus a me fuerunt dicta, poſſit videri, etiam ad hanc rem univerſe ſatis reſponſum fuiſſe. Quatenus vero attinet ad populum Romanum, equidem fateor, eam civitatem exiguis profectam initiis eo opum, ac fortunarum crevisſe, ut Roma, Dei optimi maximi favente numine, ne dicam, antiquorum more, fatis volentibus, atque ferentibus, totius orbis terræ imperii ſedes fuerit, nullæ-

nullæque humanæ opes armis Romanorum reſiſtere valerent. neque ſane inficias ierim, Romanos armis univerſa, & terra, & mari ſuæ ditionis feciſse. fuerint primi tantæ urbis conditores, ut libet, paſtores, & fugitivi; pejor etiam, & ſordidior, quantum vis, illa omnis convenarum manus, dum tamen eorum ducem, ac regem propter præclare facta deum deo prognatum patre crediderit omnis antiquitas. Defendimus vero, nihil ab eis Romano imperio adjectum quod non optimo jure, & ſumma æquitate quæſierint. Principio quidem contemti, ſpretique a finitimis populis præ ſuperbia renuentibus cum gente nova ſanguinem, & genus per nuptias commiſcere, addita etiam id ſummiſse petentibus verbis contumacibus, atque procacibus contumelia, eorum virgines utcumque ad ſe ſe illectas ſibi copularunt, ne ſublato feminæ uſu, omnis ſpes futuræ civitatis funditus interiret, fruſtraque moliti eſsent tantæ urbis fundamenta. Quod quidem factum jure naturæ defendere poterant, quæ ſemper intenta eſt cujuſque generis per continentem ſobolis procreationem conſervationi; communiterque inſitum eſt eadem natura omnibus animantibus, ut habeant libidinem procreandi; quum raptas præſertim mulieres in matrimonii legitimam conjugationem duxerint, in ſocietatem, inquam, eas acceperint non modo civitatis, ſed etiam fortunarum omnium, & liberûm ipſorum, quo nullum vinculum arctius eſse poſſit, nulla caritas ſanctior. Quicquid ei urbi jam opibus validæ deinde accrevit, Dei evenit ipſius propitii favore, atque propenſa benevolentia, accedente populi ipſius virtute. nam multi circum populi ſe ſe Romanorum virtuti ultro dedidere, ut Collatini, & Campani a Samnitibus oppreſſi, multique per varias ætates alii. Plurima præterea & geſsere, & confecere Romani bella, irritatis circumquaque finitimorum animis, ægre ferentium, neque patientium, tantam molem prope res ſuas conſurgere. nullum tamen bellum ex tot ab illis umquam ſuſceptum fuit non juſtiſſimis de cauſſis, non ſumma æquitate, quæ apud eos optimo jure ſanctiſſime præſcripta erat; bellumque gerebant ut quieti communi conſulerent, ut, inquam, pia, & æterna pax eſset, & nihil in poſterum haberet inſidiarum. Religioſiſſime adeo is populus jura belli ſervavit, ut nullum juſtum duellum eſse ducerent niſi quod ante rebus repetitis denuntiatum eſset, riteque indictum, vel niſi pro rebus ablatis, vel de imperio gereretur contra eos a quibus ipſi prius injuria fuiſſent laceſſiti, vel qui jus, & fidem, fœderaque religionum, & deos ipſos neglexiſsent, ne quid tale ipſi poſtea committerent, cæterique tardiores eſsent ad injuriam. In bello quoque movendo ſicut ſumma æquitas procul ab omni dolo malo, ita etiam ſumma erat obſervatio, ut viderentur non hoſtilem in modum agere, ſed patriis legibus cum hoſpite, ac peregrino civilem in morem domeſticam rationem contrahere. Ideo qui olim cunctis populis

Lati-

Latinis perduellis erat, ipſis placuit mitigato vocabulo vocari hoſtem, quod nihil differt ab hoſpite. Nempe deos prius ſemper teſtes faciebant tanta cerimonia, ac religione, ut propius ad ſuperſtitionem videretur. Siquidem cum patre patrato res agebatur, interpoſitis fecialibus oratoribus belli, & pacis, fœderum, & induciarum judicibus, ac diſceptatoribus, aut verius ſacerdotibus, tot verbenis, tot graminis puri, cæterarumque herbarum velamentis, tam multis ultro, citroque repetitis rogationibus, tot legibus ſolenni ritu recitatis, tot imprecationibus, exſecrationibuſque contra eos qui fallere mente agitarent. Hinc jus feciale inductum, quod deinde ab omnibus gentibus receptum fuit, tamquam ſumma æquitate præſcriptum, ſanctiſſimeque conſtitutum, quo in hanc uſque diem reges, populi, nationeſque etiam longinquæ utuntur. cum omnibus fœdera religionum, quibus cum hoſte devincitur fides, ſancte ſervabant, uſque adeo, ut ſinguli nefas ducerent cum non legitimo hoſte ſoluti ſacramento pugnare, & quod aliquis temporibus adductus hoſtibus ſpopondiſset, in eo ipſo fidem ſervandam voluerunt; multique ideo duces hoſtibus a patre patrato dediti fuere publico conſilio, qui privata temeritate contra publicas rationes aliquid cum illis pepigiſsent. nonnulli quoque quum jure jurando tenerentur, aut ipſi fide pleni ad crudeliſſimum hoſtem, ut promiſerant, ultro redierunt ad certum, paratumque ſupplicium, aut jurati ſua ſponte non redeuntes, a ſenatu vincti remiſſi fuere, ne conditiones, pactioneſque bellicæ privato *perjurio* perturbarentur. mandatum quoque literis fuit, ſæpius imperatores noſtros proditorum ſcelere dolo malo potuiſse facile vincere, & conficere maxima bella, verum abſtinuiſse; quod eſse viri probi, ac fortis ducerent conſequi quod vellent, virtute conſiliiſque honeſtis, non fraude, aut malitia: ipſoſque proditores, tamquam ſocietatis humanæ communes hoſtes, ad ſuos in vinculis cenſuere deducendos. Innumerabilia hic mihi memoranda eſsent de populi Romani iſtius generis æquitate, ſi id in præſenti maxime agerem; quæ omnia omitto, quum ad eos viros loquor qui multa & audierunt, & legerunt ipſi quæ populus omnium gentium victor terra, marique facinora præclara fecit. Unum vero ſatis exſiſtat pro omnibus argumentis Romanæ æquitatis probandæ, quod memoriæ proditum fuit, Quinti Fabii Labeonis arbitri a ſenatu olim dati Nolanis, & Neapolitanis de finibus utriuſque populi judicium publica auctoritate ab omnibus improbatum, repudiatumque; quoniam, licet ſpeciem aliquam publicæ utilitatis præſeferret, ab honeſto tamen, & ab æquitate recedere judicatum fuit. Exitus quoque bellorum ipſorum illis victoribus aut mites erant, aut neceſſarii. quandoquidem, ubi de imperio decertabatur, lenius cum victis agebant, modumque ſervabant in puniendo, memores ſemper rerum humanarum. atque animadverſum eſt, nulli populo de hoſti-

hoſtibus mitiores placuiſſe pœnas. plurimos enim populos armis ſubactos, atque devictos conſtat ab eis in ſocietatem, atque in civitatem etiam, & communionem rerum omnium ſuſceptos fuiſſe, ut Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos, cæteroſque non parum multos tum Latinos, tum Hetruſcos, & complures alios. Nempe alia ratio erat ubi inter duos populos certabatur, non uter imperaret, ſed uter eſſet. interdum eos adegit neceſſitas, ut in victoria ſuæ manſuetudinis paullum obliviſcerentur, ſicut olim contra Senones, & Gallos, maxime contra Pœnorum perfidiam, Numantia, Carthagineque dirutis, atque deletis, toties ab hoſte ſuperbiſſimo neglecta fide, violatiſque fœderibus, ac deceptis diis. In cæteris omnibus bellis mitius ſemper egerunt; ut ejus populi proprium, & germanum eſſe videretur quod a prudentiſſimo poeta uno verſu elegantiſſime concluſum fuit,

— — — — regere imperio populos,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

proinde ſocios, fœderatoſque, & quicumque ultro dediti recepti eſſent in fidem, contra vim externam piis armis defendebant. Hinc factum eſt, ut Romæ videretur ipſius juſtitiæ, atque æquitatis poſitum eſſe domicilium, eoque confugiebant exteri, reges, populi, nationes, & quicumque inter ſe habebant controverſias, ut eas de ſenatus ſententia finirent: portuſque erat, & refugium omnibus gentibus Roma, atque illud vere nominari poterat non tam imperium, quam totius orbis præſidium: noſtrique imperatores in maxima laude ponebant, quum ſocios, provinciaſque, & gentes longinquas æquitate, & fide defendiſſent, & quos juſto, ac legitimo bello populos ipſi ſubegiſſent, eis ſe plerumque perpetuo patronos, ac defenſores præſtabant, illudque patrocinium etiam ad poſteros, & hæredes interdum manabat. Nonne T. Quintius populi Romani imperator, Philippo rege, Macedonibuſque devictis, ſenatus auctoritate in Nemeæorum ludorum celebritate plurima frequentia imperato tuba ſilentio, totam Græciam a ſervitute tyrannorum ereptam libertate donavit, juſſitque Græcas omnes prope civitates vivere ſuis ipſarum legibus ſub tutela Pop. Rom. liberaſque, & penitus immunes deducto undique Romano præſidio reliquit, mirantibus cunctis, & vix credentibus, eſſe aliquam uſpiam terrarum gentem quæ ſua impenſa, ſuo labore, atque periculo bella gereret pro aliorum libertate in regionibus longinquis, valdeque a ſe tot terræ, mariſque ſpatiis disjunctis; curaretque, ac provideret tanta diligentia, ne quod uſquam injuſtum eſſet imperium, ſed ut ubique jus, fas, lex omnia poſſent? His porro artibus, atque virtutibus effectum eſt, ut ubique maximæ provinciæ in tutela, atque præſidio Populi Rom. eſſe expeterent, atque omnia ſua ejus virtuti, fidei, ac felicitati commendarent, ſeſeque ultro tam miti, juſtoque imperio, ac poteſtati ſubjicerent. quumque

que

que uni civitati ſua voluntate cunctæ fere gentes obtemperarent; viſi ſunt Romani, quod tu reprendis, toto orbe terrarum omnia omnium regna, atque imperia ad ſe tranſtuliſſe. Præterea urget idemtidem, ac clamat Flaminius, In omnibus rebus publicis & civilibus congregationibus peſſime ſe habent mores, demerſæ ſunt leges, & tyrannorum opibus, atque potentia tremefacta libertas jacet, magnaque in omnibus ferme civitatibus ſecuta eſt perturbatio, atque confuſio, eaque fiunt, ut ab omnibus fere deſitum eſſe videatur e virtute agi, utque omnis civilis conjunctio magis exſiſtat hominibus impedimento, quam ulli uſui. iſta eſt ſane ratio hominum parum conſiderate loquentium, atque ignorantium quæ fieri ſolent in omnibus rebus publicis inclinationes, mutationes, & temporum momenta; quæ omnia diligenter colligit Theophraſtus, & hujus rei præclare cauſſas reddit. Fatemur quidem, reſpublicas, quæ erant olim pulcherrimæ, nunc turpiſſimas, atque deterrimas principum per ætates negligentia, aut ſcelere factas eſſe, & quæ olim in civitatibus gerebantur bene, recte, frugaliter, & honeſte, nunc male, prave, nequiter, turpiter adminiſtrari, imperiumque in cunctis ubique civitatibus, omnibuſque ferme regnis ex juſtiſſimo, atque optimo intolerabile factum eſſe, atque in ſuperbiam, meramque dominationem converſum dolemus. Fatebor quoque, ut etiam de noſtra, qui hic ſumus, ſanctiore republica loquamur, quæ quondam non tam imperio, & bellica laude, quam ſummæ ſanctitatis fama, quam miræ probitatis gloria, quam omnibus egregiis artibus floruit, certe eam non habemus omnino qualem ego vellem, ſed vix ejus evaneſcentem umbram, & præclara quondam labente diſciplina, morum, & temporum vitio ubique debilitatam, dilapſam, delumbatam, & fractam tenemus, remiſſa paullatim ſeveritate, effœtaque quodammodo patrum virtute. Verum nunc primum mihi aliqua ſpes oboritur poſſe aliquando rem in melius referri, & in priſtinam dignitatem, ac ſplendorem reſtitui, ſi umquam ad quemquam veſtrum, qui hic tres adeſtis, vel potius ad omnes, ad alium poſt alium admirabili ſucceſſione ſumma tam auguſti imperii, tamque ſacroſanctæ auctoritatis ſummum columen, Dei immortalis res humanas miſerantis munere, pervenerit. quod ut me adhuc vivo eveniat, Deum ipſum nuncupatis votis etiam, atque etiam quæſo. Hæc, & pejora nos quoque haud negamus ipſi, dolemuſque, & inani lamentatione cum bonis non parum ſæpe comploramus. Non tamen proinde nomen reipublicæ, aut civitatis cuiquam videri debet ita deteſtandum atque tu arguis, neque adeo projiciendum, neque oblivione ſempiterna obruendum. Nec vero eorum vitiorum quæ tu innumerabilia ad unum religioſe collegiſti, conjunctionem hominum cauſſam fuiſſe concedimus, ut etiam ſi non in cœtum congregati eſſent, ab eis non fierent pejora, atque immaniora. Quid porro crudelius, truculen-

culentiuſve illa agreſti, barbara, atque inculta antiquitate, quam tu fabuloſam nullo auctore innixus autumas, ætatem jam olim fuiſſe auream, & juſtitiam in terris tunc verſatam inter homines falſo inculcans? Falleris profecto, & vehementer erras, ſi tamen iſta ex animo enuntiaſti, neque ætates diſtinguis, ſed confundis tempora, omnes illas laudes attribuens aſperæ illi, rudi, atque immani ætati, quum genus hominum eſſet ſolutum plane, aut verius diſſolutum, ſine legibus, ſine moribus, ſine conſilio, antequam civilis conjunctio inter homines eſſet ulla, quæ dicta fuerunt de felicitate illorum temporum quum primum conſtitutis civitatibus, poſitiſque urbibus orta eſt reſpublica; nam tunc poetæ, quibus vehementer inniteris, juſtitiam inter homines verſatam terras canunt incoluiſſe. quum ſcilicet Saturnus regnaret, quod aperte memorant; quem etiam primum congregandorum hominum in cœtus, & conventicula auctorem fuiſſe tradunt. Quiſquis noſtræ huic ſententiæ refragatur, legat hiſtoricos qui res Romanas ſcribunt, Polybium (loquor enim de iis quorum monimenta nunc exſtant) Salluſtium, & T. Livium: intelliget, quantis laudibus proſequantur Romanæ reipublicæ incunabula, conferentes cum forma reipublicæ ſuæ quiſque tempeſtatis prima illa tempora, quum civitas optimis moribus floreret, quum poteſtas omnis, ut dixi, eſſet in populo, in ſenatu ſumma auctoritas, continentiſſimique eſſent majores noſtri, domi modici, militiæ, & in publicis muneribus ampliſſimi, qui quanto minus virium, atque opum habebant, tanto minus in illis erat avaritiæ. Quod Romæ contigit, idem fere omnibus civitatibus, & rebuſpublicis eveniſſe, exploratum habemus. Ita enim natura humanæ res ſe habent, ut omnia initio optime conſtituta, progredientibus deinde ætatibus, hominum negligentia, animorumque remiſſione in pravitatem dilabantur, paullatimque optimis conſuetudinibus de via deflectentibus, dum ſuavia quæ ſunt, prima mortales habent, neque conſulunt in poſterum, cuncta fiant deteriora. videmuſque, ut ait Virgilius,

— — — — — — — — Omnia fatis
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri;

præſertim ſi, ut idem ſubjicit poeta, humana induſtria non occurrat, atque adjuvet. Neque enim vero nos defendimus, reſpublicas perennes eſſe, immutabiles, ſempiternas, immortales: neque ignoramus, eas continenter fluere, & labi, ac numquam eodem ſtatu permanere. Sola ſupera illa immortalis reſpublica, cæleſtiumque auguſtiſſima, atque ampliſſima civitas, ad quam nobis viventibus obſtructus eſt aditus, quæve fugit noſtram aciem, & humani oculi obtutum, ut pulcherrima, & ex omni parte omnium bonorum confertiſſima, ita prorſus eſt immutabilis, æternis legibus firma, atque robuſta, ſemper eadem, ſemper ſui ſimilis, procul omni morbo, ac ſenio, neque cariem, neque labem ſentit ullam; qua nihil exactius,

nihil perfectius, nihil amplius cogitari poteſt. Inferæ vero plane omnes, quæ nobis ſunt aſpectabiles, hominum inſtitutis fundatæ, ac conſtitutæ, non modo obnoxiæ ſunt, ut videmus, mutationi, mobilitati, inconſtantiæ, omnique motui, inclinationi, atque momento ſubjectæ, verum etiam interdum ſtirpitus convulſæ, atque everſæ intereunt, ſuntque illis etiam ſua, ut ita ego quoque dicam, fata lege æterna naturæ, ut nihil humani ſit ſempiternum, ſed quicquid exſiſtere cœpit, aliquando eſſe deſinat, omniaque orta intereant. quod nemo non videt qui non ſit plane a ſanitate alienus: ſed præclare cognitum fuit ex cunctis tam Græcarum civitatum rebus publicis olim florentiſſimis, quam ex barbarorum opulentiſſimis regnis, quæ nihil hic attinet ſingula memorare, quum hanc conditionem neque ipſa Romanorum res princeps, & caput orbis terræ evitare valuerit. quandoquidem quum jam nihil mortale ejus armis reſiſtere poſſet, ipſa magnitudine, vi, ac mole laborans ſua in ſe ipſa concidit, & quadam quaſi labe corruens deſedit.

Neque vero id fatendum eſt de ſolis civitatibus, rebuſque publicis, verum de univerſa hominum inter homines conjunctione, deque omni humano genere, quod interdum uſque eo inſoleſcit, in eamque morum, ac vitiorum omnium ſentinam dilabitur, ut opus ſit maximo illi rerum omnium effectori, ac gubernatori præpotenti manu maximarum terræ partium, ac denique univerſi orbis eluvionibus, exuſtionibuſque, mortalium nequitiam ubique coercere, totumque hominum genus pauciſſimis exceptis delere, atque exſtinguere, æternæ cujuſdam, & inexplicabilis juſtitiæ ſeveritate id exigente, ut nova ſoboles in mundo renaſcatur. Atque in oraculis veræ ſapientiæ ad æternam vitam editis continetur, ad extremum fore, ut terræ omnes ubique conflagrent, totuſque igneſcat mundus, unoque, & eodem occaſu omnia generata, orta, atque concreta funditus intereant, ut plane terminus, & finis ſit naturæ, atque mortalitati. in principe enim humani generis parente, ipſius fraude, atque perfidia, ut memoravimus, depravata fuit hominum natura, caroque humani generis corrupta, cui animus adhæreſcens corporis contagione non parum vitioſitatis contraxit, quæ naturæ ita affectæ contagio latius, tamquam ex traduce in cunctum hominum genus univerſe dimanavit. & licet divinæ, atque cæleſtis victimæ ſanguine admirandum in modum humani animi penitus expiati, ſacraque lavatione luſtrati, extra omnem plane culpam poſiti fuerint, attamen affectio quædam, quaſique decoloratio, ejuſce infectionis veluti veſtigium, in ſingulis ob corporis ſocietatem remanſit. Quippe eo facile omnis rei natura prolabitur, atque incumbit, quo ſemel inclinata fuit. ceu ſi ab arida materia ignem forte illapſum excutias, in ea tamen labefacta, atque præuſta reſidet adhuc quodammodo fomes, qui de facili, celerrimeque admotam

tam flammam rapiat, atque comprendat. ſic profecto res ſe habet in animis noſtris. iſtiuſmodi enim naturæ infectione ad nequitiam promtiores exſiſtunt homines, ut niſi domitas cupiditates habuerint, ſtrenueque, & naviter illecebræ reſtiterint, quæ vetuſtate carnis in nobis poſt reditum cum Deo in gratiam remanſit, voluntati noſtræ quantumvis liberæ appoſita, luxuria, atque laſcivia diffluant, ſuiſquemet ipſorum ſordibus inquinati perſæpe non modo freno, & caſtigatione, ſed etiam purgatione indigeant. Haece de cauſſa dixit Plato, quod tu non tacuiſti, omnes reſpublicas ſui temporis improbas eſſe, corruptis civitatum moribus, avaritia, ceteriſque appetitionibus in animis hominum victa, jacenteque ratione dominantibus. Non eſt hic locus ut cauſſas perſequar quibus reſpublicæ immutentur, & deteriores fiant; qui locus a Græcis copioſe, luculenterque tractatur: & huic diſputationi commodius fortaſſe tempus dabitur, ſi umquam poſthac denuo convenerimus, & de his rebus ſermonem inſtitutum proſequemur. Satis nunc ſit oſtendiſse, omnem rempublicam, ut cæteras quoque res, pulcherrime inſtitutam, tam eorum qui præſunt, quam qui parent, nequitia fieri poſse peſsimam, ac flagitioſiſſimam. quod quum contingit, non perinde ſtatim accuſanda eſt, deteſtandaque hominum conjunctio, atque conſociatio, quod tantorum malorum cauſsa exſiſtat, ſed potius obviam eundum cunctis opibus, ut quæ dilapſa ſunt, reſtituantur, & in priſtinum ſplendorem vindicentur; quod Socrates, Plato, Xenocrates, Ariſtoteles, Xenophon, Theophraſtus, nonnullique alii fecere, & omnes qui Politica ſcripſerunt. neque, ut tu cenſes, ab hujuſmodi ſcriptione deterrendi ſunt, detrahendique viri docti. Quid eſt, obſecro, in rebus humanis tam egregie, tamque præclare initio formatum, confectumque, & elaboratum, quod ſemper ſplendeat, neque aliquando vetuſtate obſoleſcat, priſtinumque nitorem non tandem amittat? omnia, mihi crede, aſſiduo temporis decurſu, longoque uſu debilitantur, franguntur que, & deteriora paullatim facta collabuntur in pravitatem, cunctaque tam quæ vivunt, & ſentiunt, quam vita, ſenſuque carentia, vetuſtate, diuturnitateque extabeſcunt. Quid ni? agri ipſi fruticantur, plantæque, & vineæ ſilveſcunt: metalla æruginem contrahunt: ipſaque divorum templa, ſanctiſſimaque delubra ſeneſcunt, & corrumpuntur. haud propterea tamen ſtatim evertenda, ſed potius fulcienda, ſuſtentandaque ſunt hominum cura, atque induſtria. tergentur crebro aquæductus, & rivi, foſsæque purgantur. ferrum a rubigine vindicatur, ac colluſtratur, & ſi opus fuerit, recoquitur, ac denuo conflatur, ipſaque artium inſtrumenta perſæpe reficiuntur, atque reconcinnantur; quod probe videre potes in calamo, qui niſi retuſus crebro temperetur, acuaturque, ſcribentis voluntati minus reſpondebit. Multa iſtiuſmodi perſequi poſsem, ſed genus videtis. Ubi igitur civitatis mores deformati ſunt, reſpublicaque a magi-

ſtratibus, aut a principibus non recte adminiſtratur, non iccirco probris inſectanda eſt civilis hominum conciliatio, neque illico demigrandum ad ſolitudinem; ſed cenſemus potius enixius occurrendum eſse, ac ſubveniendum moribus in præceps dilabentibus, fulciendamque adminiculis rem inclinatam, funditusque collapſam erigendam denuo, ac reſtituendam. Quæ enim, per Deum, hominum inſcitia eſt, res apprime utiles, ſummeque neceſsarias continuo damnare, & a ſe projicere, ſi forte interdum caſu aliquo, & non ſine noſtra culpa eas nobis obeſse contingat? Forte fortuna quiſpiam equo illatus, parieti, aut ſolo caput illiſerit, latusve offenderit; nemo propterea poſthac equum aſcendet? nemo equo vehetur, ſed potius iter pedibus ingredietur? Ferreis item inſtrumentis, quæ ad vitæ commoditates ſunt inventa: ceu cultris, aut ſecuribus, ſarculiſve, & raſtris non utetur amplius, ſi quis forte imprudenter, perperamque aliquo eorum utens ſibi ipſe digitum, aut pedem, aliamve corporis partem vulnerarit? Ne innumera iſtiuſmodi hic colligam, quid igne hominum vitæ magis neceſſarium? igni tamen interdum maxima incendia excitantur, quibus totæ civitates, & magnæ terrarum partes ambuſtæ conflagrarunt. rurſus, ſine aquæ uſu vita hominum eſſe nequit: aqua tamen, ſi quando flumina, aut lacus inundarunt, interdum quoque cladem affert populis late accolentibus. Sol quoque æſtivis menſibus ſæpe agros, & ſata perurit, atque devaſtat. Solem ideo, ſi *poſſimus*, cælo deripiemus? nec potius a nobis æqua æſtimatione ratio *inibitur* quantorum bonorum, ac commoditatum fons ille lucis ſuo lumine cuncta illuſtrans, ſit omnibus ubique mortalibus? Idem dicere poſſem de eloquentia nobis a natura ad ſalutem noſtram, & aliorum multorum data, quam Stoici unam de ſummis virtutibus eſſe exiſtimabant, quum ſit copioſe loquens ſapientia: ſæpiſſime tamen eadem non modo civitatibus, publiciſque rationibus plurima detrimenta invexit, ſed etiam ipſis ea præditis fuit pernicioſa. Idem denique de multis rebus quæ in nobis exſiſtunt, arguere poſſumus. Quoniam namque interdum multa videmus, atque audimus, quæ videre, atque audire nollemus, ergo optandum erit nobis privari videndi, audiendique poteſtate, tam præclaris ſenſibus, qui ſunt nobis a natura attributi, ut eſſent rerum interpretes, nuntii, & ſatellites animi, in capite, tamquam in arce, mirifice collocati? innumerabilia ſunt hujuſmodi; nec omnia perſequor quæ ſuapte natura, atque per ſe optima ſunt: eis tamen ſi homines abutantur, peſſima fiant, & pernicioſiſſima. Si igitur diligenter, recteque perpendimus id quam rempublicam vocamus; atque hominum ejuſmodi conciliationem jure ſociatorum, ab omni culpa natura vacat, & nihil prorſus per ſe affert mali, modo bene inſtitutæ civitatis leges, mores, & conſuetudines ſerventur: plurimorum potius bonorum, & commodorum mortalibus generatrix

trix exſiſtit. At vero eadem labefactata ubi in tyrannidem prolapſa eſt, in multa mala, & detrimenta incurrimus; quæ non eſſent, ſi numquam hominum genus in cœtus, & concilia coactum fuiſſet. Iſta ratio eſt non aliuſmodi atque illa:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes!

Cætera noſtis apud vetuſtiſſimum poetam. Non committam ut hic in diſcrimen vocem, & contentionem, plus bonine, an mali invexerit hominibus civitatum, & rerumpublicarum conſtitutio, plurave ſint inde ſecuta adjumenta vitæ, atque præſidia, quam detrimenta, & incommoda. Poſſem inſuper facile probare, etiamſi vitioſa ſit reſpublica, ac depravata, longe ſatius adhuc eſſe ita nos in ſocietate, quam diſcerptos, ac palantes in agris vivere ſolitarios. atque in tyrannide, recte ſubductis calculis, eſſe plus boni, quam mali. ſed tu quæ laudanda inſunt, ſilentio obruis; ſola vitia inſectaris, & acutius illa vides quæ prava ſunt, quam quæ recta. comparanda tibi erant ſaltem, quæ luculenter enumeraſti iniquiſſimus rerum æſtimator, cum magnitudine utilitatum. nam incommoda vitæ civilis, ſi ulla eſſent, commodorum compenſatione lenirentur. Eſt profecto non ferenda prætermiſſis bonis malorum excerptio, ac omiſſis virtutibus vitiorum collectio. iſto nempe modo cunctæ prope res incidere poſſent in aliquam vituperationem. Loquor tamen hic, quod vos velim in omni oratione meminiſſe, de republica collapſa, ac depravata. nam ubi de integra, & incorrupta loquemur, nulla iſtiuſmodi ratio ineunda erit. itaque in civium conjunctione, ac civitate quantumlibet corrupta, locus adhuc eſt rationi, qua dicitur, Optima de malis. Verum objicis Dicæarchi Peripatetici librum de hominum interitu, nullum vitæ majus periculum imminere homini, quam ab homine. Quæſo te, in agreſti illa, atque immani vita, in ſolitudine, inquam, exiſtimas tuti eſſent homines ab hominibus, quos nulla lex, nullus pœnæ metus a maleficio arcerent? Procul dubio quum homo hominem conſpicatus eſſet, prædam ſe ſuam nactum duceret, nec ſolum feris, quas a corporibus noſtris murorum oppoſitu, & multitudine freti removemus, eſſemus obnoxii, ſed etiam omni homini. nec tyranni, quos nobis inculcas, omnia rabide inexplebili cupiditate appetentes tantum obeſſe poſſent, dum eorum poteſtati ſubjecti eſſemus, quantum proſunt civium inter cives multa adjumenta, atque præſidia. Poſſunt quidem tyranni aliquamdiu civitatem ſervitute oppreſſam tenere: ſed eorum qui vi ſubjectos ſibi populos coercent, omnium fere denique unus, & par eſt exitus. eorum ideo vitia, ſicut etiam improborum magiſtratuum, tolerari poſſunt, quod plerumque injuſta imperia magis acerba ſunt, quam diuturna. Tyranni namque, ut quotidie videmus, aut ex inſidiis paucorum intereunt, aut tota civitas in liber-

ber-

bertatem erecta, conſentienſque, & conſpirans in eos impetum facit, paucique admodum in lecto ſuo cubiculari confecti morbo moriuntur. Cum tyrannis item minus periculoſe vivi poteſt, atque cum belluis, quibuſcum humano generi nulla plane eſt ſocietas. belluas hic intelligo non tantum ratione, & ſermone carentes animantes, quibus expoſiti eſſemus niſi viveremus in ſocietate, oppidis ſepti, atque obvallati, verum etiam homines agreſtes, atque immanes tango, quos nulla humanitas, nulla vitæ cultio mitigaſſet, parum a feris diſtantes, quales fuiſſe tradunt, antequam concilia, cœtuſque jure ſociati eſsent ulli, quum nullæ latæ eſſent leges, ſed vi agerentur omnia, ſemperque validioris eſſet melior, & ſuperior conditio; quando non vis ad fabulas trahi, quum homines humanis carnibus veſci ſolitos fuiſse memorant, quod tamen & Plato, & graviſſimi philoſophi aſseverant. Quin & tyranni ipſi quoque habent leges, licet haud plane æquas, quas ſibi proponunt ſervandas in ſibi ſubjectos populos, ne ſoli relinquantur. atque ſub illis tametſi civitates non ſint liberæ, vivitur tamen tolerabili ad tempus conditione ſervitutis, civeſque prudenter ferunt illorum potentiam, donec repellendæ ſervitutis ſe ſe tulerit occaſio. Atqui adverſus immanitatem illorum hominum quos nulla diſciplina molliverat, nulla proderat imbecilliorum tolerantia, nulla patientia, aut prudentia; ut hæc ſententia valeat non ad æquitatem rationis, ſed ad, id quod ajunt, minima malorum eligenda: eſt namque inculcata omnium auribus ea ſententia, de qua ſupra, Homine bono nihil melius, malo autem pejus nihil eſse poſse. Cæterum miror te, alioqui doctum hominem: ita rudes illos mortales ultimæ antiquitatis ornas, ut qui te audierit, non eos homines, ſed quoſdam quaſi deos terreſtres, ac mortales fuiſse arbitretur, probos, ſanctos, integros, ſimplices, innocentes, abſtinentes. & ſecula quo antiquiora, eo meliora, ac feliciora fuiſse contendis. periculoſum hercle argumentationis genus. Æquum ſaltem erat te meminiſse, principem hominem humani totius generis parentem ita fœde adverſus Deum procreatorem ſuum ſe geſſiſse, ut propter ejus noxam, atque fallaciam non modo in ipſum ſceleris auctorem parum obedientem, & noxium ſeveriſſime animadverſum fuerit, verum etiam ab ejus liberis, nepotibus, pronepotibuſque, & poſteris omnibus perpetua ſerie futuris, ab univerſoque hominum genere juſta, debitaque pro tanti delicti gravitate pœna expetita ſit. Quid? nonne qui primus humano ſemine maris, & feminæ commiſtione editus fuit in lucem, ob invidiam melioris fortunæ germanum germanus ſceleratiſſimo parricidio interemit, quum nondum civitates exſiſterent ullæ, ſed una tantum toto orbe terrarum eſset familia, & una domus, quatuorque homines eatenus, non plures, procreati eſsent? ut intelligas minus conſtare, quod ais a vulgo uſurpari, Quo paucio-

ciores, eo beatiores: neque rudes illos homines ante inſtitutas civitates adeo ſanctos, atque innocentes fuiſse. Lege librum genealogum apud Hebræos, quorum literis antiquioribus, ideſt ſimplici veritati nos, qui a CHRISTO illuſtrati fuimus, maximam fidem habere oportet. intelliges, in ipſo naſcentis mundi exordio humanum recens genus jam tunc pollutum fuiſse, hominesque cum ſuis cupiditatibus natos. non enim pateris, te vocari ad fabulas. ne tibi memorem Cælum Æthere, & Die genitum a filio Saturno regni cupiditate exſectum fuiſse. mox ipſum Saturnum a filio Jove vinctum, paremque injuriam metuentem profectum eſſe in exſilium, & in Latio diutius delituiſse. Alia ejuſdem generis flagitia, atque portenta tibi remitto, quæ poetæ, fabulis tamquam integumentis maxima myſteria involventes, commenti fuerunt plurima. nos autem philoſophi & ſumus, & tecum eſse volumus. illud unum affirmare poſsumus, una cum humano genere poſt primi hominis ex argilla ficti noxiam, & fraudationem ortas fuiſse cupiditates omnes, quæ hominum animos huc, & illuc rapiunt, & a recta ratione ſæpius devocant, & homines cæcos reddunt, nec ſuæ quemque dignitatis memores eſse ſinunt. Plura porro ab illis peccari neceſse ſit qui animi morbis, atque ægritudinibus nullam medicinam admovere norint; ſtudiis namque, & artibus, quæ traditæ ſunt nobis ſapientiæ diſciplinis, conſtat nos fieri poſſe meliores. eas vero nullas fuiſse nemo neget quum adhuc homines disjecti diſcerptique in agris, & montibus vitam ſolitariam degerent, cunctique viverent in diem, quum potius noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debeant. Atqui, inquis, inventi ſunt ſapientiſſimi viri qui cœtus hominum, & concilia, multitudinemque omnino defugerent, &, quod intolerabilius videtur, quum præcepta adminiſtrandarum rerumpublicarum tradidiſsent, ipſaſque inſtituiſsent reſpublicas, & civitates illuſtribus ingenii monimentis, ſe tamen plane ab earum gubernatione avocantes, in otium, & ſolitudinem contulerunt. Duplicem te ſcire arbitror eſſe vivendi rationem, alteram agendi, alteram cognoſcendi. harum utra ſit melior, res eſt adhuc controverſa, & plena diſsenſionis, aliquando fortaſse a nobis, qui hic ſumus, ubi locus erit, judicanda. Porro quoniam non omnes apti ſunt ingenio ad rerum occultarum, & admirabilium indagationem, pluresque ſemper reperti fuerunt in omni ætate, qui facilius rempublicam capeſsere poſsent, & in ejus rectione, ac gubernatione occupari, ponentes curas omnes in ea gerenda, ſollicitudineſque, labores, & vigilias pro adipiſcendis honoribus, & imperiis perferentes, iccirco philoſophi illi quos objicis abſtinuiſse ab earum rerumpublicarum adminiſtratione quas ipſi inſtituiſsent, quum eis eſset admirabilis incredibiliſque vis ingenii, ſcirentque, ſe natos ut plurimis quamplurimum prodeſsent, poſtquam rectas in communione vivendi

vias

vias tradiderunt, quas ſui cives facile ſequi poſſent, relinquentes ipſi uſum aliis, reique adminiſtrandæ poteſtatem, & gloriam, ſibi tantum ſcientiam retinentes, ut magis in commune prodeſſent, abduxerunt ſe penitus ab omni rerumpublicarum curatione, a vulgique commercio, & ad altiora ſe retulerunt, cæli, totiuſque naturæ contemplatores, perſcrutatione rerum cognitione digniſſimarum delectati, quarum notitiam, atque ſcientiam multis traderent, quo mortales immortalibus, diiſque ſimillimi fieri poſsent. in quo ſtatu collocati, ſicut ultro non requirunt honores, ita neque tamen mandatos labores omnino recuſant. Intelligis itaque, præſtantiſſimos viros ſe a pulcherrimis reipublicæ muneribus*, non quod eis in ſocietate vivere parum placeret, ſed ut civibus ſuis eo genere vitæ magis conſulerent, deque hominum genere præclarius mereri poſſent, relinquentes aliis civibus eas artes, ac ſtudia quorum uſus eſt communis, fructuſque omnis in exercitatione, & conſuetudine conſiſtit: ipſi ingenii perſpicacia, & mentis acie delectati, ea indagare maluerunt ad quæ perſpicienda datum eſt paucis aſpirare.

Quærenti ideo olim Socrates, ut refert Xenophon, quid, quum tanto ſtudio conaretur alios efficere optimos civitatum gubernatores, ipſe tantopere abſtineret ab ejuſmodi gubernatione, neque umquam rempublicam capeſſeret, reſpondit: Ecquid ipſi videretur magis conducere, ſi aut unus ipſe publicam rem adminiſtraret, aut plurimos eamdem adminiſtrare doceret. Itaque, quod tu eis vitio vertis, non capeſsunt rempublicam niſi coacti. Quamquam, ſi recte cujuſmodi ſit iſte coactus intelligeres, non ita reor umquam excanduiſses. Nx in civitatibus inſtituendis philoſophi ab illis qui rempublicam gubernant, omnino removent ambitionem æque, atque avaritiam, duas peſtes civitati pernicioſiſſimas, ſummeque improbant, ac notant eos qui tempore comitiorum ad honores petendos moventur, atque ambitioſius quam eorum honos poſtulat, ſe inferunt, atque intrudunt ad reipublicæ gubernacula, circumeuntes vicatim, & in foro omnibus inſpectantibus blandius petentes, ſummeque contendentes ut ad imperia nominentur, anteferantur, eligantur, indigniſſimum quemque ſalutando, prenſando, amplexando. Plato igitur conſpicatus, ſuis temporibus nimium mores ad ambitionem incubuiſse, cenſuit, philoſophum, ideſt graviſſimam perſonam, in poteſtatibus, magiſtratibus, & imperiis adeundis minus decere ad honorum ſtudium cupiditate duci, atque non propenſius ſenatus, populique ſuffragiis vocatum, illatumque, & quodammodo arreptum rempublicam accedere, ſed ſenatui deníque parendum, ne non obtemperando majeſtas imperii ab ipſo videatur minui, modo id rogatus faciat, & quodammodo recuſans. coactum enim hic intelligit id quod magiſtratus, & leges jubent. Icirco idem ipſe Plato ad hoc optimam ſimilitudinem inducit: Non ſecus facere eos qui in republica de muneribus fungen-

gendis inter ſe certant, quam ſi duo nautæ contenderent, uter iſorum potiſſimum gubernaret. Nam quæ de philoſophorum ambitu plurima cavillatus fuiſti, verborum contumeliis eos inſectatus, convicia iſta quidem ſunt, & maledicta, non accuſatio. & in eo ipſo de quo (o dii immortales!) Platonem philoſophorum principem reprendis, homo ſanctiſſimus potius ſummam laudationem meretur, qui in Siciliam profectus magnos labores adiit, cunctaque eſt conatus, ut tyrannum crudelem, ac tetrum, ſi poſset, molliret, & ad humanitatem revocaret. Illos vero quos civitates ſuas in turpiſſimam ſervitutem adduxiſse memoras, eaſque diu oppreſsas crudeli dominatu tenuiſse, defendimus, non tam fuiſse philoſophos, quam homines potius quoſdam fallaces; callidos, inquam, tectos, verſutos, & veteratores maximos, qui philoſophiæ ſimulatione, ſub ſordidoque palliolo, viam ſibi ad dominationem præſtruxere; cujuſmodi non parum multos quotidie conſpicimus fictæ, atque adumbratæ probitatis ſpecioſa imagine, ſplendidis, inquam, verbis, atque illuſtribus vitia maxima occultare, ſimiles pomparum ferculis, novaſque, & inuſitatas ſanctimonias, & religiones uſquequaque architectari, ac nihil umquam boni agere ſine venditatione, & populo teſte, ut iis artibus facile in republica ad honores irrepant; quos humani generis liberator, dum in humanis ageret, probe noſcens, eleganter, apte, atque rotunde deſcripſit, nunc extrinſecus ovis mitiſſimæ pecudis pelle tectos, interius lupum agere, lupinamque rapacitatem ſub lanæ molliſſimis velleribus occulere, id eſt, alia loqui, alia ſentire; nunc nobilium virorum ſepulcris aſſimiles memorabat, quæ quum extra magnificis operibus cælata ſint, affabreque facta, colluſtrata, ac ſplendida tranſeuntibus videantur, intus tamen cadaveribus conferta, tabo, illuvieque, & odoris intolerabilis fœditate omnes ab aſpectu deterrent. iccirco tam deteſtandæ ſimulationis artifices ſæpiſſime exagitabat, exſecrabaturque tamquam illis additus, & ſemper incumbens, ſuiſque cavendos, & remis, ac velis fugiendos ſummopere, ſummaque auctoritate denuntiabat, præmonebatque, caute agendum, neque facile cuique paſſim habendam fidem. fraudis, perfidiæ, & inſidiarum plena eſse omnia; ut ejus etiam teſtimonio veriſſima ſit illa ſententia, Nullam capitaliorem injuſtitiam, quam eorum qui quum maxime fallunt, id tamen agunt, ut in eo ipſo æqui, bonique viri videantur. Quod vero attinet ad eos qui omnia communia ita in republica eſſe voluerunt, ut nihil quicquam prorſus cujuſquam eſset privati, aut ſeparati, ut ne uxores quidem ipſas, neque liberos a communitate exciperent, ſummeque beatas reſpublicas fore putarunt, ſi cives in commune etiam videant, audiant, tangant, guſtent, lætentur, doleant, & ſpirent, ſenſuſque omnes, & affectiones habeant communes, nihilque ſeparatim agant, aut cogitent; facilia quidem potius dictu, quam re, aut

factu. Non ſum is qui defendere velim omnes omnium philoſophorum opiniones, cunctaſque legumlatorum ſententias. Erraverunt illi quidem perſæpe, haud leviter in multis hallucinati, neque quicquid Socrates, aut Plato, aut Ariſtoteles dixit, oraculum habendum cenſeo. Secus nihil opus fuiſſet, CHRISTUM ſummum illum legislatorem, quem unum non tantum ſequimur, ſed etiam pie, ſancteque colimus, precamur, ac veneramur, circumſcriptis omnibus rerumpublicarum formis a philoſophis uſque ad ſua tempora adinventis, novam ipſum rempublicam & civitatem inſtituere ad cæleſtis civitatis rationem, quatenus humanis divina conſentiunt. Damnat quidem Plato, & inſectatur in libro quarto de legibus venationem aquatilium: at CHRISTUS plane contrarium ſenſit. Statuit ille, mendicos omnino urbe expellendos, ne tale animal, ut ipſe ait, in civitate numeretur: hic vero ſumma humanitatis caritate, atque miſericordia benigne accipiendos præcipit. Plato item lege cavit, ne quis cum ſerva coeat, niſi id ita occulte faciat, ut reſciat nemo: at CHRISTUS teſtatus fuit, nihil uſquam adeo abditum eſſe, atque abſtruſum, ut non aliquando detectum palam fiat. Innumera ſunt præterea illius philoſophi, & aliorum iſtiuſmodi ſcita, aut placita quibus in veriſſimis divinæ ſapientiæ inſtitutis aperte contradicitur. Nempe ea illi dixerunt aliqua rationis probabilis ſpecie inducti, quæ poſtea alii, uſu, & tractatione edocti, tamquam inutilia, damnarunt. Porro niſi tu mihi occurſaſſes, largiter diſputaturus eram in utramque partem de hac Socratis communitate, quemadmodum etiam de plurimis aliis opinionibus ad civitatem pertinentibus facturus eram. multa enim hanc materiam tractanti intercurrunt ſcitu, atque explicatu digna, quæ vix omitti poſſunt; ceu, exempli cauſſa, conducat ne ab optima lege, an ab optimo rege rempublicam gubernari, & an ſatius ſit ejuſdem adminiſtrationem eſſe penes unum, aut plures. deinde ſi penes unum, utrum præſtet, cum hæreditario jure, originiſque, & generis beneficio majoribus ſuis in regno ſuccedere, aut comitiis habitis, initiſque ſuffragiis judicio, & electione civitatis in demortui regis locum ſuffici. rurſus ſi res ſit penes plures uno, a paucis ne prudentioribus, an ab univerſo populo melius ſit eam adminiſtrari. utrum item ſit laudabilius, honorabiliuſve in vita, rempublicam capeſſere honoribus, imperiiſque adipiſcendis clarum; an abditum, & ab oculis ſemotum, pauciſque contentum judicibus, & ſpectatoribus in cognitione rerum, & naturæ contemplatione verſari. tum ex iis ambabus vitis utrum una ſine altera exſiſtere poſſit: plurimæque aliæ id genus quæſtiones, quas fortaſſe, ſi umquam otium nacti fuerimus, aliquando ſuo quamque loco proſequemur; latiorem enim ſpeculationem requirunt. Nihil eſt præterea quod magnopere reſpondere laborem ad ea quæ memoraſti de illis qui judicati fuerunt humani generis inimici, & plane hoſtes,

quod

quod congreſſus hominum, & ſocietatem, tamquam morbum, & peſtem, defugerent. hos tu tuo arbitratu tibi affingis tales fuiſſe quod minus probarent civitatem, civiumque ſocietatem, ex qua, ut erant viri ſapientiſſimi, non ignorarent omnium malorum fontem exſtitiſſe. De ſenſu tuo iſtuc comminiſceris, nulla ratione, aut auctoritate ſuffultus, contra omnium ſententiam. Ego vero, cum ſapientibus, illos potius judico fuiſſe ea aſperitate, & immanitate naturæ, feros, atque adeo inhumanos, ut nequirent ſe dare in alicujus familiaritatem, neque cum ullo conſuetudinem jungere; & id propter videbantur hominum genus odio proſequi, ſe uſquequaque in ſolitudinem immergentes. Equidem quoſdam hujuſmodi auſteros novi, qui in frequentiſſimis civitatibus viventes, atque in collegiis etiam ſummorum virorum cooptati, neque, quo magis miror, a quodam literarum genere plane abhorrentes, ita tamen anguſto animo, ea ingenii forma, rudi, inquam, atque impolita, uſque adeo aridos, atque jejunos, ut neque in collegarum conſuetudinem, & familiaritatem, cum quibus neceſſitas vitæ, & muneris ſocietas eos copulabat, ſe inſinuare poſſent, aut certe ſcirent, totius humanitatis expertes, & ad humanam conſuetudinem ineptiſſimi, ut ſui ipſorum ignari, inconditi, inconcinni, ſine ſenſu, ſine ſapore, tardi, elingues, ſtupidi, ac bardi. & ſi quando iſtiuſmodi aliquem neceſſitas cogit ob publica munera, aut rei ſuæ cauſſa, cum aliquibus congredi, videas illum etiam in turba, ac multitudine plane ſolitarium, defixum, & quaſi modo naſcentem, ſemper hæſitantem, implicitum, impeditum, moroſum, ſuſpicioſum, ſemper aliquid violatum exiſtimantem ab illis quibuſcum ei eſt res, atque negotium. illum omnes fugiunt, atque devitant, & ſolum relinquunt ſibimetipſum inimicum, & cum ſuis ipſius moribus confligantem, neque ulli ſermonis ejus duritiam, & inclementiam ferre queunt. Tales ſunt illi quos tu ſapientes eſſe exiſtimas, a republica civitateque, & ab hominum conjunctione alieni. Eorum naturam, & conſuetudinem pluribus quam par erat, fortaſſe verbis, perſecutus fui: ſed mihi licuiſse arbitror, propter tam apertam, frigidam, & jejunam calumniam, quam per ſummam injuriam contra rempublicam adhibuiſti. cujus item modi eſt illud quod in philoſophos homines graviſſimos, integerrimoſque, quos inſimulas ambitionis, retorſiſti. Cupere, inquis, eos dominandi libidine, rempublicam aut a philoſophis gubernari, aut eos qui gubernant, philoſophari. Hæc calumnia eſt eorum qui cuncta, quantumvis benefacta, ac laude digna, in deteriorem partem ſemper detorquent, quique, ut inquit Prophetes maximus, quod bonum eſt, malum dicunt, quod item malum, bonum videri volunt, omnia pervertentes. Næ Plato, qui illud a diis optaſſe dignoſcitur, ab adminiſtratione reipublicæ, a turbaque, & a ſubſelliis curiæ abjunctiſſimus fuit, in otioque, & in literis perpetuo

involutus vixit, in ſtudiis cognoſcendi ſemper aliquid occupatus. At Theſeum Athenienſes, nonnullique alii populi ſuos legumlatores in exſilium projecerunt. iſtuc equidem non diffiteor: ſed factum fuiſſe contendo propter eorum aſperitatem, atque inſaniam qui potentiores antea fuerant, quive olim ſoluti legum vinculis ſoliti erant in ſumma licentia vivere, ſuamque voluntatem, atque libidinem pro lege habere. illis enim haud adeo facile erat ſtatim aſſuefieri humanitati, & grave videbatur æquo jure vivere cum multis, præſenteſque voluptates, ac brevem cujuſvis objectæ utilitatis ſpeciem amittere, nihil in poſterum longius conſulentibus. hanc, non aliam, ob rem eos ſtatim pœnituit civitatis.

Vides igitur id evenire hominum, non rerum vitio, civium, inquam, magis inſcitia, aut malitia, quam civitatis, hoc eſt ipſius hominum conjunctionis, natura. iſtiuſmodi multa temere in populis fiunt, ut civium excellentium ejectio ad quoddam tempus, quem Græci ὀστρακισμὸν vocant, qui in populari gubernatione introductus fuit. nec mirum, ſi neque omnium juſtiſſimo Ariſtidi pepercerint Athenienſes. Tute ipſe ex Platonis ſententia in libro qui Epinomis inſcribitur, innuiſti, quod ego quoque paullo ante confeſſus fui, humana eſſe mutabilia plane omnia, perlevique temporum momento maximas ſæpe fieri inclinationes, & uſquequaque cuncta ſurſum, deorſum ferri, turbari, miſceri. Quid mirandum, ſi civitates quoque in temporum motu, & converſione rerum, aut perturbatione verſentur? Quippe natura ipſa cuncta ciens motibus, & mutationibus ſuis, nihil mortale patitur diu eſſe idem, atque immutabile, variaſque ſemper converſiones molitur. Quid? nonne, ſi quis etiam ſolus vivit, diverſos intus motus, & mutationes in animo ſecum ſentit? agitatur enim ſemper animus motu interiore, præſertim illa pars quæ ſenſum, & appetitum habet, hoc eſt, motus intimos turbulentos, rationique non obtemperantes, ut modo hæc, modo illa, contraria etiam interdum velit, neque ſibi conſtet, & perſæpe ſecum ipſe impacatus pugnet. Hæc unica ratio ſatis per ſe eſſe poterit contra illa omnia quæ tu de malis memoraſti quæ fiunt in civitate. quod quidem ſolatio eſſe debet omnibus in ea congregatione conſiſtentibus ubi depravati, deformatique ſunt mores, & omnia in deteriorem partem mutata exſiſtunt. Hac reſponſione totus ille liber quantuſcumque magni illius Peripatetici de hominum interitu corruit, & profligatus jacet. hac item eadem refellimus tyrannorum omnium objectam injuſtitiam, atque crudelitatem; omnia itidem omnium regum, populorum, & gentium bella, quæ etiam interdum non cupiditate, aut libidine temere, ſed pro totius reipublicæ ſalute, conſulto, neceſſarioque, ſuſcipiuntur. tum quoque eadem ratione reſpondemus ad civiles diſſenſiones, civiumque diſcordias, ſimultates, odia, inimicitias, ſeditiones, ſeceſſioneſque, & civium cupiditates, libidines, magiſtra-

Digitized by Google

ſtratuum avaritiam, judicum injuſtitiam, militum quæſtum, & crudelitatem, cæterorumque hominum tam locupletum, quam tenuium improbitatem, furta, rapinas, dolos, fraudes, injurias, cunctaque flagitia, & ſcelera, quæ tu ſingula ſatis ſtudioſe ad unum enumeraſti. Hanc ob rem quoque Plato dixit, cunctas ſui temporis reſpublicas ſibi videri improbas, atque intolerabiles, nempe collapſas, & depravatas. Ariſtoteles quoque poſt illum omnes omnium rerumpublicarum inſtitutiones carpſit, aut verius evertit. Hinc item videtur, quo magis hominum genus diſtat ab illa rudi, ac ſimplici antiquitate remotum, eo depravatius evaſiſse. Hinc Actii verſus, Multos iniquos, atque infideles regno, paucos vero bonos. Hinc juſtitiam ipſam terris exceſſiſse dicitur, majoreſque noſtri viſi ſunt abſtinentius, innocentiuſque rempublicam geſſiſse. Hinc denique colligis, vitia omnia ex contagione diſſeminari, propagari, diffundi, atque increbeſcere in populis, & frequentibus hominum conventibus, & niſi eſsent civitates, ac reſpublicæ, haud tantam putas vitiorum ſegetem, ac ſilvam in hominum genus invaſuram fuiſse. Sic enim mordicus pugnas uſquequaque inſtans, & urgens, idemtidemque, corruptos, & depravatos civitatis mores eſse fremis, & tempora iſta calamitoſa mihi objectas, quibus funditus everſa eſt reipublicæ gerendæ ratio; atque impreſſione me pæne cogis deſcendere, quo minime volebam, ad eam rationem, ut vitia ætatis, & mala, virtutum, bonorumque compenſatione lenienda defendam, & longe plura adjumenta, atque præſidia ſubductis rationibus ſuppeditata eſse humanæ vitæ ex hominum conciliatione, quam detrimenta, multoque plus boni hominibus inde invectum, quam mali. Nam ſi in diſcrimen, & contentionem veniant utræque mundi ætates, præſens ſcilicet, in qua lapſorum morum ruinam perpetua lamentatione comploramus, atque illa in qua nulli erant mores, ſed homines vi, atque impetu omnia agebant, neque multum aberant a belluis, nemo erit ſuæ mentis compos qui non longe malit his temporibus, quam illis ſe natum fuiſse, ſit depravata res quantum libet; dilapſa, deformata, delumbata, demerſa jaceat. Centies dicam, nihil in rebus humanis eſse ita abſolutum, ita ſyncerum, ut nullis plane intercurrentibus malis ſit omnino cunctis bonis cumulatum. nihil tamen obſtat quin res illa dici poſsit bona, expetenda, atque eligenda. Etenim in hominum convictu quædam adeo præcellentia bona exſiſtere intuemur, ut ſi quæ ſunt mala, ex altera parte ponantur, ne appareant. Quis, quæſo, ſi fertiliſſimi campi ſegetem ſpicis crebris, atque uberibus lætiſſimam viderit, non laudet agri illius nobilis fertilitatem, tametſi interdum avenam raro uſpiam ſubortam inſpexerit? neque deſinet ieciręo mercatura eſse quæſtuoſa, quod maximis in lucris interdum aliquid damni contrahat. Sane eſt comparatum natura cunctis rebus, ut ſemper ex maxima parte

de tota re judicetur, & illi qui recte loquendi rationem tenent, totam rem nominant ex eo quod latius funditur, & majores partes continet. Ponantur igitur in una libræ lance bona, & commoda quæ ad nos perveniunt ex hominum æquo jure ſociatorum convictu, in altera contra, mala, & incommoda; procul dubio lanx bonorum terram, & maria deprimet omnia. ſed numquam efficies, ut ad hanc collationem, concurſationemque deveniam. nolo tantam injuriam facere Deo quidem primum hujus univerſitatis quaſi parenti, cujus providentia civilis vitæ induxit exordium, tum naturæ, cujus inſtinctu, atque impulſu cœpti ſunt primum homines congregari. Quis, quæſo, ferat, niſi fortaſse ad oſtentationem ingenii, conferri hanc magnificentiam tot rerum illuſtrium, vitæque ſplendorem cum ſqualida illa, agreſti, atque immani vita, quæ eſse poterat communis cum belluis, ſemiſomni, & plane mortua? nollem nimis creber inculcare, nullam eſse poſse hominis vitam ſine hominum adjumentis propter artes victui perneceſsarias, niſi unuſquiſque ſibi eſse poſset Elæus Hippias, ut omittam, ſolitarios nullis humanis præſidiis ſeptos, multis injuriis expoſitos fore, cavendaque eis plurima, tum ab hominibus ipſis, tum a beſtiis. Porro humana vita multarum rerum indiget, quæ haberi nequeunt niſi multorum hominum in communione viventium opes accedant. Quæ, per Deum immortalem, in vita illa rudi, & agreſti exſiſtere poterat valetudinis curatio, quum nulla adhuc adinventa eſset medicina? quæ navigatio? quæ mercatura? quomodo fruges, fructuſque colligi, ac conſervari poterant, quum nondum ulla inducta eſſet agri colendi ratio, nihil inter ſe homines contraherent, nihil tranſigerent, nulla eſset, quam alter alteri haberet, fides, nulla ſpes, quam ponerent in mutuis præſidiis, nulla caritas. hoſpitalitati quoque locus ubi eſse poterat, quæ tantopere a Theophraſto laudatur? aberat beneficentia, aberat liberalitas, bonitas; maximæque hujuſmodi virtutes non agnoſcebantur. nulla erat gratia, officiorumque remuneratio, ac viciſſitudo ſtudiorum; quæ ſunt vincula concordiæ. nondum auditum erat inter mortales dulce nomen amicitiæ, quæ conflatur conſuetudine mutua, morumque, & ſtudiorum ſimilitudine inter homines, quorum conſpiratione, atque conſenſu efficitur, quod innuit Pythagoras, ut e pluribus unum fiat ex beneficiis ultro, citroque datis, atque acceptis. nihil profecto ſuavius conjunctione bonorum, & homo ſine amicis, etiam ſi omnibus rebus affluat, vitam ſibi ingratam putet. Quæ enim, quæſo, illa eſset vita? quam parum abeſset a pecudum natura! nemo alteri conſuleret: indigenti, aut vim patienti nemo opitularetur: nulla eſset liberalis educatio: abeſset ſapientia omnis, quæ eſt in cultu hominis occupata, data ut eſset naturæ comes, & adjutrix: nulla vigerent ſtudia ingenuarum artium, nullæque plane eſsent artes: nulla exſiſteret ratio,

tio, & inſtitutio vitæ, nulla rerum neque cæleſtium, neque humanarum ſcientia; neque ſophia, Græcum nomen, umquam introductum fuiſset. Carendum nimirum omnino nobis fuerat in ſempiternum ornatrice univerſæ vitæ, omniumque recte factorum, atque dictorum parente philoſophia. caruiſsemus penitus literis; quæ quam ſint hominum vitæ neceſsariæ, nemo neſcit, inventæ ut ſubſidio oblivioni eſse poſsent, exſiſterentque cujuſque hominis voluntatis notæ, & ſcita poſteritatis cauſsa ſcriberentur. non aqua, non igni, non aere, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam literis. nullus eſset ingenio, judicio, induſtriæ, virtuti locus.

Cogitate animis veſtris duos homines, alterum agreſtem, ferum, immanem, inculto, & vaſto, ac torrido corpore, hirto, aſpero, & incondito capillo, fluentibus buccis, vultu, ac facie plane ruſtica, atque illiberali, habitu obſoleto, ſentum, ſqualidum, pannis obſitum, neglectum, multaque illuvie, & incuria ſcabrum, atque immundum, quales fuiſse neceſse eſt rudes illos ultimæ antiquitatis homines; qui neque jus, neque bonum, atque æquum ſciebant, melius, pejus, prodeſset, obeſset, nihil videbant. Contra vero, animo volutate alterum cultu digno homine libero, honore, dignitate, gratia ſpectabilem, in omnique judicio elegantem, qui vel ipſo oris habitu, ac ſpecie præſeferat omnia ſigna liberalis animi, facilitatis, manſuetudinis, comitatis, dignus, ut ajunt, cui regina matrimonio ultro copulari velit, quales pleroſque nunc habent honeſtæ civitates. utrius, quæſo, iſtorum unuſquiſque veſtrum mallet eſse ſimilis? Neceſse erat profecto errare in multis rudem illam antiquitatem. ad id namque ſolum quod aderat, quodque præſens ante oculos habebant, ſe quiſque accommodabant, parum admodum in poſterum conſulentes. omnia fortuitu, & ut ſenſus ferebat, agebant: nihil conſulto, nihil mature, nihil prudenter. nondum artes ullæ erant, quæ naturam adjuvarent, quæ ſine illis plane iners exſiſteret, atque otioſa, ut quæ ſemper exſpectat humanæ induſtriæ adminicula. Porro ſæpius audivi, hominum ingenium eſse ſicut ferrum, quod quidem alio ferro, uſuque aſſiduo acuitur; ita conſuetudo hominum inter ipſos excitat, acuitque intelligendi prudentiam, alterque alterius cogitata adjuvat colloquendo, conferendo, commentando, diſputando, & alii alia uſquequaque adinveniunt, ſemperque aliquid jam olim adinventis additur a poſterioribus, ſi qua forte ratione vitæ bene, beateque degendæ in hac mortalitate omnium commoditatum, ac bonorum expletione, ac cumulo addi poſſit faſtigium. Principio credendum eſt, ut probavimus, vivendi neceſſitatem acuiſse mortales ad ea ſtudia quæ corporis, vitæque ſuſtentandæ commoditates pariunt. Intelligimus ſane, ædificatis urbibus genus humanum manſuetudine animorum, ac verecundia paullatim mitigatum fuiſse; & homines quidem primum cœpiſse contemplari,

tum

tum facere , deinde agere , atque ita gradatim optimarum artium vias fuiſse traditas. hinc omnes opificum exercitationes qui in humili arte verſantur, profectæ ſunt: hinc quoque omnis vitæ liberaliter , & ad virtutem degendæ cultio: hinc denique omnis veri inveſtigandi conſideratio , rerumque cognitio per ſuas cujuſque cauſsas. Nempe natura ſola innixi priſci mortales ſine artibus vix vitam tuebantur; quam quidem naturam potentiorem arte non diffitemur , certiorem vero artem exſiſtere , nemo eſt qui ignoret , quum in plane cognitis, penituſque perſpectis ,'& in unum exitum ſpectantibus , ac numquam fallentibus rebus verſetur, detque rationes certas , & præcipue faciendi quod velis , quæ habent ordinem , & in faciendo errare non patientes vias. Primum *igitur* inferiores artes cœtui civitatis , hominumque communioni debemus, ſine quibus vita eſset aut nulla , aut parum abjuncta a cæterorum animantium ſtatu. Etenim uniuſcujuſque ſtudia in congregatione excitantur, præſtantium virorum ſapientia, virtuteque , & excellenter factis, ad amplificationem, perfectionemque rerum humanarum , & ad eas commoditates augendas quæ ad vitam bene degendam pertinent.

Hinc in primis valetudinis curatio: hinc tot rerum medicinæ, tot remedia, tot fomenta , totque ſaluberrimæ potiones: *hinc* & navigatio , atque omnis mercatura , tot rerum quibus hominum vita indiget, importatio, totidemque fere quibus interdum *con*tingit abundare, exportatio: hinc agricultura, frugum, *fructuum*que perceptio: hinc ferri uſus ad agros colendos, ad cæteraque vitæ munia perneceſsarii: hinc æris lapidiſque cujuslibet generis fodinæ, opificinæque, tot tabernæ, tot rerum apothecæ, tam egregiæ artes multitudine infinita , varietate admirabili. Quid dicam tot multifariam opifices, tot fabriles induſtrias, tot formarum compoſitiones, compactiones, coagmentationes, commiſsuraſque , uſque adeo aptas, & congruentes, omniaque in unaquaque arte ita concinne, perite, atque affabre laborata , ut ubique ars cum natura certare, eamque interdum anteire videatur? Quid, quæſo, fabrorum qui domos ædificant, opera magis in vita neceſſarium? eorum niſi eſset induſtria, quomodo habitaremus? quemadmodum domos, ac cætera ædificia moliremur? nobis hercle redeundum eſset denuo ad ungues , quibus olim ſibi quiſque domos in terra effodiebant, ut frigorum vim frangerent, calorum ſedarent moleſtiam, imbres, cæteraſque cæli tempeſtates arcerent. Nunc ædificia eleganter, concinneque ad aptum uſum, & condecentiam, architecti, fabrique tum certa ratione deſcribunt, tum manu, operaque conficiunt, plenas, inquam, dignitate domos pro cujuſque facultate, induſtria, atque fortunis. Quis non magna cum admiratione contempletur pictorum opera, aut eorum qui ſigna fabricant? quanta eorum ſolertia ! quanta prudentia ! Quis non admiretur artifices

eos

Digitized by Google

eos qui argentariam faciunt? cælatores, vaſcularios, & qui fuſoriam exercent, qui textrinam, ſutrinam, tonſtrinam inſtituunt? tum fabros diverſi generis, tanta inſtrumentorum varietate, tam ferrarios, quam lignarios, tignarios, cœmentarios, zonarios, phrygiones, ſigulos? nolo cum iis piſtores, fartores, coquos, dulciarios, piſcatores, venatores, aucupes, & quos ille in ſcena enumerat. ne forte arripias ad reprendendum, atque in nos id ipſum reflectas, iſtiuſmodi artes ad delicias fuiſse excogitatas, luxuriæ plane illecebras, gulæque irritamenta; quibus ſine tamen quam facile queat vita humana conſiſtere, in animis veſtris cogitandum relinquo. Quod ne idem de cæteris artibus mihi reſpondeas, omiſſis aliis (eſset enim opus infinitæ dictionis) una pro omnibus tibi agri colendi induſtria ſatis eſto. quæ quam ſit vitæ hominum neceſsaria, nemo non norit. hanc autem unam ex tot artibus conſulto excerpo, quod vulgo patere, faciliſque, & expoſita omnibus vel mediocribus ingeniis, & neque multæ eſse intelligentiæ, neque negotii videatur. Cedo igitur, putas ne ſolitarius homo procul ab hominum convictu, atque conſpectu, privato uſu, atque experientia perveniſset umquam ad tot rerum notitias, atque intelligentias, quas habere oportet eum quem agri colendi ſtudium tenet? Ea ars profecto infinitam prope diligentiam, & ſolertiam requirit, ubi opus eſt tot, & tam variis arationibus, foſſionibus, ſtercorationibus, ſationibus, occationibus, runcationibus, ſarritionibus, ſegetumque purgationibus, antequam frumentum, cæteraque leguminum ſemina matureſcant. quanta item cura, laborque requiratur in metendis, colligendiſque ſuo tempore ſpicis, purgandis, condendiſque fructibus, nemo eorum qui interdum ruſticati fuerint, ignorat. Quid memorem tot aquarum ductus, amnium derivationes, pratorum, ſegetumque irrigationes? quid dicam de fœniſeciis inſtituendis, pratis item ſiciliendis, frondibus arborum ſtringendis, multiſque aliis ſuo quibuſque tempore maturandis? neque enim umquam fere experienti, navo, ac diligenti agricolæ quies datur. nunc opus foſſas tergere, nunc agrum vepribus ſepire, nunc ſeligere ſemina, eademque, ne paullatim fructus degenerent, medicare; vomeres, & ſarculos acuere, aratra, rutraque, & raſtella, ac ploſtra retractare, furcas, ligones, ſecures, falces, ſtimulos, fuſcinulas, cæteraque ruris inſtrumenta, quorum innumerabilis multitudo, recudere. ſentio me nimium a litore, & ab inſtituto itinere abſtractum provehi, non tam incredibili ſtudio rerum ruſticarum, quod me ſemper vehementer ſine ſatietate delectavit, in quo metuo ne vobis nimius videar, quam quod mihi concedendum duco in iis quæ ad hanc induſtriam ſpectant, paullum inſiſtere, ne in ſingulis quibuſque artibus commorari cogar. Quis namque ſatis explicet quæ rurſus attinent ad vinearum culturam, cui induſtriæ, ac labori, ut inquit excellens poeta, nihil umquam exhauſti eſt ſatis, in vitiario ipſo prius facien-

do, deinde fodiendo, paſtinando, repaſtinando, fermentandoque ſolo, & uti in vineis novis ponendis, ita etiam veteribus reſtituendis. quis credat, eas tot foſſionibus repeti, atque iterari? quam certa, & exquiſita ſint ratione jugandæ ſingulæ vites, religanda capita, quæ ordinum conjugatio, quibus opus ſit ſtatuminibus, tabulatis, jugis, & pedamentis? Et quoniam vites ſuapte natura multa luxurie circumquaque in immenſum ſerpunt multiplici, atque erratico lapſu, ne ſilveſcant, & nimium ſe effundant in omnes partes, experimur, quot, quibuſve opus ſit caſtigationibus, putationibus, pampinationibus, ablaqueationibus. quid tot ſarmentorum ut amputationes, ita etiam immiſſiones, & propagationes? Quid dicam de arborum cæterarum tam ſilveſtrium, quam pomiferarum poſitionibus, & earum ordinibus in quincuncem dirigendis, deque earundem non modo conſitione, ſed etiam inſitione, qua nihil invenit agricola ſolertius, deque omni circum eas amputandas, purgandas, collucandas induſtria? quam varia ſit ratio, quantaque ſolertia, & cura in pomariis, hortis, olivetis, caſtanetis, ſalictis, ulmariis, arundinetis faciendis, arbuſtiſve cæteris excolendis ponenda ſit? quanta cæli, ſiderum, ac temporum ſit neceſſaria obſervatio, tam in arationibus, & ſemente facienda, quam in colligendis fructibus, & materie tempeſtive cædenda? quanta denique induſtria requiratur in quærendis, paſcendis, procurandiſque gregibus, atque armentis, in apibus item parandis, tenendis, adminiſtrandis, in cæteriſque omnibus villaticis paſtionibus, ut *villa abundet illis rebus quas dixit Cato, hædo, agno, porco, gallina, lacte, caſeo, melle*? numquam finiam, ſi voluero vel ipſa rerum capita percurrere in hoc uno dumtaxat ſtudio. infinitum prorſus eſſet ſingulas quaſque artes tangere, quas præſtantes, ingenioque excellentes viri in congregatione viventes aperuere, novaque in dies ſemper adinvenere, ut unius ipſius civilis communionis ope humanum genus non ſolum a glandibus, a caſis, ſeu potius cavernis receſſerit, verum etiam jam magnifice, & ſplendide, ſummaque cum dignitate vitam degere poſſit. Non immerito rerum maxime neceſſariarum inventores, ut tradunt, ab antiquis relati fuerunt in cæleſtium numerum, teſtari volentibus, quantum illis hominum genus ſe debere profiteretur. ut Libero patri vini inventori, frugum Cereri, artium Vulcano, medicinæ Æſculapio, aliiſque permultis aliarum artium repertoribus, quos innumerabiles nihil attinet hic recenſere, quum jam a nonnullis luculenter ſcripti ſint libri de rerum inventoribus, plureſque Plato ipſe colligit in libris quos de legibus conſcripſit, qui multas res ad victum, vitamque neceſſarias oſtenderunt. Quid vero vetuſta perſequar? nonne paullo ante opinio inſederat omnibus, terram dumtaxat a Phaſi ad columnas Herculis eſſe habitabilem, planeque antipodes fabulæ aſcribebantur? At noſtra ætate mare navigantium ſolertia uſque adeo proceſſit, ut

igno-

ignotos populos, novaſque gentes ſub aliis ſideribus habitantes, urgenteſque adverſa nobis veſtigia, ideſt ipſos antipodes, novum potius, & quaſi alium mundum inveſtigavit, atque invenit; quodque Alexander Macedo hujuſce rei cupientiſſimus numquam aſſequi potuit, Dei Opt. Max. providentia, Caroli Quinti Romanorum perpetui imperatoris temporibus reſervatum fuit. Porro hæc dicta ſint de infimis, & minus liberalibus artibus, & pene ſordidis opificum, & tabernariorum opificiis, atque inſtrumentis, ad corporis tantum commoditates, ad beneque vivendum pertinentibus, quæ nullæ eſſent, niſi fuiſſent civitates. Age vero non tantum bene, ſed etiam beate vivendi artem, divinam ſane, atque incredibilem conferamus, qua rudis illa ætas omnino caruit, a quave omnium vitiorum, & peccatorum correctionem petimus. ea enim tota eſt in cultu animi, qua in primis vir bonus, & fortis efficitur. Siquidem oſtendit quid vere bonum, quid malum ſit, proprieque & recte nominari poteſt, vivendi ars, univerſæ vitæ ornatrix, benefactorum omnium, recteque dictorum parens, quæ præclare tuetur quod dedit nobis natura; quod deeſt, large ſupplet, & acquirit; ars artium omnium excellentiſſima, quam hominum conciliatio, communitaſque peperit, atque adinvenit. eamque fatendum eſt iccirco omnium bonorum quibus humana vita fit beata, cauſſam fuiſſe. A civili igitur conjunctione, quæ eſt reſpublica, per philoſophiam didicere homines appetitum meliori parti animi ſubjicere, obedientemque præbere, atque immanes, feroces, indomitoſque animos, eorumque turbulentos motus regere, jactationeſque incitatas, & impetus inconſiderate elatos, ſedare, & ſub gyrum rationis revocare, nihil contra jus expetere, fugereque omnino alieni non modo detractationem, verum etiam appetitionem, & animo ſtabili, ac firmo juſtitiam retinere. Ejuſdem reipublicæ beneficio cognovimus, felicitatem, & beatam vitam eſſe, vivere ſecundum virtutem, prudentiam, temperantiam, & ipſam, quæ latius diffunditur, juſtitiam, omneſque alias, illuſtres præſertim, ac principes virtutes, ad quas homines ſtudium adhibere una habitantes aſſuefacti ſunt, ſicut etiam ad eas actiones quæ ſunt virtuti conſentaneæ. ab eadem tot ſunt circumſpectiones, tot diligentiæ, animadverſiones, & virtutum ipſarum exercitationes. quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus, ut in laude vivatur, decore, & honeſte, ad dignitatem, ad amplitudinem, & claritatem. qui ſit ordo, quid maxime deceat in factis, dictiſve, atque conſiliis. qui modus, aut menſura, quæ moderatio omnibus rebus adhibenda, omniaque agenda ad mediocritatem. ſervandam in primis illam perſonam apte, decenter, & cum dignitate, quam cuique natura, aut ſors impoſuit quadam cum excellentia. in omnibus actionibus ſe graviter, conſtanter, atque honeſte gerere, & nihil agere niſi ſumma ratione, ut nullum ſit cujuſque abſurdum nec dictum, nec factum, mira u-

niverſæ vitæ æquabilitate, atque omnium officiorum conformatione, & ita vivere, ne quid omnino in vita ab humanitate diſcrepet, conſenſu, & conſpiratione omnium virtutum. ne quis quid ſecum animo verſet, agatve, quod non ſit magni animi, atque excelſi, dum cogitat ſe ad amplitudinem, & ad magnificentiam natum. Didicimus indidem, fidem ſervare dictorum, conventorumque perpetua conſtantia, eamque etiam hoſti datam quibuſvis utilitatibus adducti non fallere, neque ſpectare fortunam, dum præſtetur fides. tum pro virtute ipſa ita nos gerere, ut nullum laborem homini intolerandum exiſtimemus. Didicimus præterea, quæ cujuſque ætatis degendæ ratio: quemadmodum item ſit vivendum cum parentibus, cum liberis, fratribus, & propinquis, cum amicis, cum civibus, cum peregrinis, & externis. quid cuique ſit præponendum, poſthabendumve; diſtinguere negotiorum gerendorum momenta, & officiorum gradus perpendere. æquum eſſe adoleſcentes vereri majores natu, & ſemper meminiſſe verecundiæ: ſeniores autem nihil non graviter agere, aut dicere, & bonis exemplis ſemper florere. Multa præterea a ſapientibus viris, qui præceptis ſalutaribus abundant, quotidie in cœtu civitatis, in circulis, & congreſſibus accurate, copioſeque diſputantur, gravia, & utilia, & ad beate vivendum maxime neceſſaria, omnibuſque obſervanda proponuntur, quibus tamquam totidem ſpeculis admoniti homines virtutis nitorem, divinamque quamdam, atque cæleſtem *præſtantiam* intuentes, ornant ſe modeſtia, continentia, liberalitate, magnitudine animi, honeſtate, cunctiſque virtutibus, tum naturalibus, tum illis quas voluntarias vocant. quibus freti aſſueverunt nihil extimeſcere, dolorem, laboremque deſpicere, atque omnes libidines domitas habere voluptatum conciliatrices. *Harum* virtutum ſuffimentis in congregatione luſtrati didicimus, humanas res contemnere, anteponere ſemper honeſta jucundis, & omnia quæ vulgus admirari ſolet, infra nos ducere, ac non tam noſtris utilitatibus, quam ſola honeſtate adducti recte agere. omnes fortunæ motus, mutationes rerum, & temporum magno, erectoque animo parvipendere, leveſque illos, imbecilles, & nihil ad nos pertinentes ducere. pecuniam, ſi habemus, ad liberalitatem conferre, ſi non habemus, contemnere; divitias, honores, potentiam, opes, formam, valetudinem, vires, & id genus cætera vulgo vehementer bona credita, non ſupra modum expetere, eaque putare haud eſſe bona, niſi virtus accedat. ipſum ſummum, extremum, atque ultimum bonum, quo omnia noſtra conſilia ſunt referenda, non noſtris commodis, ſed honeſtate maxime metiri. qua una virtute adducti audemus aggredi res magnas, & apprime arduas, laborum & periculorum plenas, id eſt opera erecti animi, prudentia, conſilioque nitentis, rerum humanarum diſpicientia inſignes. ſemper mortem ſervituti, turpitudinique anteponere. laborare, & pugnare magis pro multorum ſalute,

lute, quam pro ſuis quiſque commodis, atque utilitatibus. edocti namque fuimus a teneris, excellentium virorum doctrina, non nobis ſolis nos natos eſſe, verum ortus noſtri partem patriam, partem amicos, & propinquos, omneſque tandem bonos vendicare, & humanum genus hominum cauſſa natum eſſe, habendamque rationem cuique haud ſui tantum, ſed etiam aliorum, & eorum commodis inſerviendum; pulchrumque ideo, ac decorum eſſe pro ſalute communi, proque reipublicæ, & patriæ incolumitate caput ſuum vovere, & interdum ſuæ ipſius ſalutis, non tantum emolumenti, oblivi- ſci, ac ſolo honoris, & dignitatis ſplendore duci. Hinc exſtitere præſtantes viri tam apud noſtros, quam apud exteras nationes, qui res magnas, ac vehementer arduas pro patriæ caritate geſſerunt, ut ne vitæ quidem ſuæ ſummo reipublicæ tempore pepercerint. Congregationi præterea, ac civitati debemus jura, leges, & inſtituta, juris, inquam, civilis ſcientiam, quod ab hominibus adinventum, ſemper apud omnes nationes in pretio fuit, ob maximarum utilitatum fructum. eidem quoque acceptam referimus religionum conſtitutionem, diſpoſitionemque cerimoniarum, tot libamenta ſacrificiorum, tot placationes, tot expiationes, & parentandi ſanctitates, multarumque præterea rerum ſcientiam, quæ ſunt ſcitu tum jucunda, tum neceſſaria: poſt mortem non interire animas, neque in morte omnia ſolvi, ſed etiam poſt diſſolutionem naturæ, vitæ exactæ rationem haberi; & ſicut pro recte factis præmia debentur, ita pro maleficiis pœnas conſtitutas eſſe. In congregatione hæc, multoque plura ad mores pertinentia edocti fuerunt homines. Denique admoniti ſunt, quod factu eſt difficillimum, ut ſe ipſe quiſque noſceret; cujus præcepti tanta eſt excellentia, ut antiqui non cujuſquam hominis ingenio, ſed Delphici dei oraculo adſcripſerint. quarum notitiarum priſci illi mortales palantes, & in montibus diſſipati erant penitus ignari, & uſque adeo rudes, ut ne, ſicut diximus, verecundiam quidem noſſent, ſine qua in vita nihil rectum exſiſtere queat. quæ licet egregia ſint, præclara, atque illuſtria ad omnem magnificentiam, ea tamen humana ſunt, atque ante oculos poſita, & in actione conſiſtunt. Verum in civili congregatione ulterius cogitatione progreſſi mortales, mentemque a conſuetudine oculorum abducentes, notitiam incredibiliter adepti fuere rerum æternarum, quas ſola intelligentia percipimus a ſenſibus abjunctas; eaſque a natura occultatas, abditas, atque retruſas acie mentis, ingeniique altitudine admirabili ſapientes inveſtigarunt, cunctaſque naturæ latebras, omnia abſcondita, atque obſcura luſtrarunt, & ipſam naturam quodammodo vicere, & quaſi deprenſam, atque conſtrictam tenuere; quod ſolitarius homo procul ab hominum conventu, atque aſpectu numquam ſolo uſu, tam brevique experientia conſequi potuiſſet. Inter ſe igitur homines in congregatione conſuetudine mutua exercitati, proprietatem, & naturam uniuſ-

uniuſcujuſque rei indagare ingreſſi fuerunt, rerum initia, & quædam quaſi ſemina, unde quæque exſiſtant generata, concreta, atque exorta, quæ cujuſque generis tam animati, quam inanimi, muti, aut loquentis ſit origo, quæ vita, quis interitus, quæve ex alio in aliud viciſſitudo, ac commutatio; quod eſt infinitatem rerum, atque naturæ obſcuritatem contemplari; unde terra, & quibus librata ponderibus, quibus alveis, aut cavernis maria ſuſtineantur. Tum cæli ſpectatores incredibili obſervatione deprenderunt totius mundi motus varios, ac diſſentaneos, & item ejuſdem converſiones, intuenteſque ſidera innumerabilia cælo inhærentia, alia quidem certis infixa ſedibus cognoverunt cum cæli ipſius motu congruere, alia, quorum vagi motus, qui rata tamen, & certa mundi ſpatia definiunt, ſuos quæque tenere curſus, multum inter ſe aut altitudine, aut humilitate diſtantia, eorumque norunt curſus, progreſſus, & vias, nec non cuncta cæli momenta numeris inveſtigarunt, mundum in primis ipſum cælo ſolivago, atque volubili, & in orbem incitato una, atque eadem converſione circum ipſum ſe contorqueri, ac verti adverſus aſtrorum curſus. hinc aſtrologi cæli ipſius motus, ac ſiderum curſus ſpeculantes, Solis defectiones, & Lunæ, faſtoſque dies in multos annos prædicunt, & omnes cæli affectiones perſpectas habent. Hinc quoque mathematici, & geometræ omnes, tam qui circa cæli ſpatia, dimenſiones, intervalla, magnitudines, formas, & figuras, quam qui circa numeros verſantur: hinc inſatiabilis quædam e cognoſcendis rebus cæleſtibus voluptas. Hinc magni, & præclari viri, qui a publicis negotiis avocantes ſe, totos contemplationi dediderunt, ut in ſola veri inveſtigatione verſarentur uſque adeo, ut non defuerint aliqui qui animantium quoque ortus, victus, naturas, ac figuras, ſtirpiumque ipſarum, & omnium rerum quas terra gignit, cauſſas, & rationes explicarint. Nec contenti hujuſmodi rerum omnium cognitione, verum ſe ſupra ſe ingenii præſtantia altius extollentes, ex pulchritudine mundi, & ordine rerum cæleſtium admirabili ſenſerunt eſſe præcellentem aliquam, atque æternam naturam, vimque occultam, & poteſtatem, quæ eſſet cauſſarum omnium princeps cauſſa, mentem ſcilicet ſummam, & ſempiternam, ſolutam, liberamque, & ab omni penitus concretione mortali ſegregatam, omnia ſentientem, omnia tuentem, nutuque regentem, ac permoventem, immotam ipſam, & in ſe eadem ſemper permanentem; quam deinde propter immenſæ, inexplicabiliſque magnitudinis, ac majeſtatis cognitionem plenam non modo admirationis, ſed etiam horroris, atque formidinis, DEUM homines vocitarunt, cujus numini, ac poteſtati ubique parent univerſa. Dies denique me deficiet, ſi voluero quoque percurrere, quot, quantaque humanæ vitæ civilis conjugationis opera allata ſint adjumenta ex recta diſſerendi ratione, atque ſcientia, quantaque per diſertos viros ornamenta rebus, & actionibus noſtris im-

importata fuerint. ea enim per omnes artes manat, ac funditur, quas explicat, atque illuſtrat, earumque genera tum definit, tum inciſe, membratimque diſpertit, nectitque ſequentia, atque concludit. vera item, & falſa dijudicat, ne cui falſo, aut mentienti, quem ψευδόμενον vocant, aſſentiamur, utque norimus ſoriti, quem quidam *acervalem* vocant, reſiſtere, neve fallamur umquam falſa probabilitate; res prius Græcorum literis traditas, mox a noſtris auctas, atque exornatas. Hinc ad nos manavit omnis doctrinæ liberalis cognitio, omnis hiſtoria, omnis ſermo elegans. hinc ars, quæ tradit elementa loquendi, hinc rhetorica, & dialectica, hinc poetarum, oratorumque, & totius ingenii monimenta. quorum ornamentorum, aut potius decorum, ac luminum ne auram quidem olfecerat illa rudis antiquitas, plane infans, & elinguis. Quis non miretur quam nunc niteat oratio puri, dilucidique ſermonis ornamentis, optimorumque, & graviſſimorum verborum flumine, quæ nullis adhuc exſiſtentibus civitatibus erat rudis, aſpera, ſqualida, atque abſurda? quam varia item diſertorum hominum tum loquentium, tum ſcribentium copia? quam proprie, quam ſcienter de unaquaque re dicunt! quanta ubertas, quanta facultas, quanta ſuavitas, quantus lepor, quantus ſplendor, quanta verborum magnificentia, & gloria! ut grandia ornate! ut enucleate humilia! quanta cum diligentia, & animadverſione omnia, ut res oratione, ut verba ſententiis illuſtrentur! quam cuncta apta, quam concluſa, quam rotunda, & inter ſe convenientia, ſeu contentione ſermonis agatur, ut in diſceptationibus judiciorum, ſenatus, aut curiæ, ſeu quum ſedati, quietique loquuntur homines in circulis, congreſſionibus, & etiam in conviviis! Quid memorem eloquentium hominum laudationes, conſolationes, cohortationes, monita, & conſilia ad reges, ad imperatores, & ad ſummos viros? hinc magni, & clari in rerumpublicarum adminiſtratione principes, quorum nobilitata nomina nihil hic attinet enumerare. hinc juris conſultiſſimi viri. hinc in bello præſtantiſſimi duces, atque imperatores. Quis non admiretur quum in oratoribus, tum in cæteris ſcriptoribus quædam quaſi verborum, ac ſententiarum fulgura, quaſdam quaſi faces, ac fulmina? quis non ordinem, ſcientiamque rerum ſuo loco collocandarum maxima cum admiratione contempletur? quam ſubtili, quam recondita, quam multiplici ratione tractent omnia, quantaque verborum, & ſententiarum varietate? Hinc magni atque præclari quum apud Græcos, tum apud noſtros viri evaſere, quorum fama diffuſa eſt ubique, tranavit maria, monteſque altiſſimos tranſcendit, quique univerſum orbem terrarum implerunt nominis ſui gloria. Quæ ars, obſecro, eſt in vita, aut eſſe poteſt, quam hi non magnifice, ſplendideque tractarint, inſtituerint, explicuerint, docuerint? Numquam finiam, viri ampliſſimi, ſi omnia tangere voluero quotquot civilis ſocietas humanæ vitæ attu-

attulit adjumenta, præſidiaque, & ornamenta. admoneor enim vela trahere præcipiti jam in occaſum Sole, profligata præſertim, & ad extremum perducta quæſtione. Quid porro, divi immortales! hæc vita deſiderat, quo ſit beatior, quod non hominum ingenia, ex quo in ſocietate civili vivitur, non inveſtigarint, aperuerint, adinvenerint, oſtenderint, patefecerint? ut perilluſtre ſit, civilem hominum communitatem Dei præpotentis ipſius in humanum genus propenſo numine, naturaque ſuadente conciliatam fuiſse, introductam, aut verius coortam; quo divino, atque incredibili munere nullum umquam conceſsum hominibus fuit uberius, majus, aut præſtantius, quodve hominum genus magis attingat.

Quid tu, per Deum, nobis non confers, ſancta ſocietas? tu nos abduxiſti a glandibus, a cavernis, a luſtris, a ſordibus, & volutabris: ab obſcuritate, a tenebris, & a nocte quaſi perpetua in hanc præclaram, & plenam decorum omnium lucem, ad vitam, victumque non hominibus modo, ſed divis etiam ipſis dignum vocaſti. tu nos traduxiſti a dura, rudi, atque aſpera vita in hunc cultum humanitatis, in hos mores, in hanc pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam rerum & condecentiam, in hunc ſplendorem, in hæc dignitatis ornamenta, in tantum concurſum honeſtiſſimarum artium, ac ſtudiorum, in hunc tantarum virtutum ſplendidiſſimarum cœtum, ac comitatum, in has tot (dii veſtram fidem!) opportunitates, habilitateſque, in hunc aſpectum, cogitationemque tot, tantarumque rerum illuſtrium, in hanc publicam magnificentiam, in hoc denique claritatis, veritatiſque lumen. qua vita nihil illuſtrius, nihil ſplendidius ſpectari queat. Te remota, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus erit deferenda, omnis plane hominum actio erit denuo naturæ feritas quædam, atque immanitas. Tu nos plurimis, pulcherrimiſque artibus, & virtutibus *inſtructos*, atque ornatos evehis ad honores, ad dignitates, ad triumphos, ad victorias, ad claritatem, ad amplitudinem, ad honeſtatem, & ad virtutis quamdam quaſi divinam, & cæleſtem præſtantiam, atque excellentiam. Tu nos humiles natura, atque projectos, a terra ſublevas, tolliſque ad Dei immortalis cognationem, & contubernium, quaſique ex hominibus in deos convertis. Tibi accepta habemus, planeque referimus cuncta bene vivendi, recteque agendi, & faciendi conſilia. Tibi debent homines humanitatem, doctrinam, religionem, cerimonias, fruges, jura, leges. Quid, obſecro, pulchrius, jucundius, atque optabilius pacata, ac libera civitate? ut omittam tot amplas provincias, & gentes uno, atque eodem jure ſociatas, regnaque latiſſima, ac florentiſſima, ubi tot, tantaſque, & tam egregias res homines moliuntur, profitentur, agunt. ubi neque honores magni deſunt umquam fortiſſimis viris, neque viri fortiſſimi deſunt magnis honoribus. ubi tot exempla, ac documenta illuſtrium virorum haberi poſſunt, quos magnitudo animi, virtuſ-

tuſque, & gloria rerum geſtarum in altum extulit. ubi verſamur inter nos apte, decore, commode. ubi, ſi ad rationem vivere velimus, nihil omnino nobis deſit, ac plane dii ſimus. Quæ ſine te poteſt eſſe aliunde tanta jucunditas, tanta ſuavitas, quanta provenit ex bonorum cum bonis conjunctione, conſuetudine, atque commercio ad participandum alium alio, ex ſtudiorum optimorum denique ſimilitudine; de quibus omnibus tibi ab hominibus immortales agendæ ſunt gratiæ. Qui te ſuſtulerit, lumen ſimul virtutum omnium ſuſtulerit, Solemque ipſum quodammodo e mundo detractum exſtinxerit, omne bonum e vita ablatum, vitamque ipſam funditus everterit: ſequaturque neceſſario maxima perturbatio, atque optimarum omnium rerum everſio.

Quæ quum tot, tantaque ſint, Flamini, ut præclare coegimus, atque pervicimus, quæ mihi videntur ita concluſa, ita firma, atque robuſta, ut minime labefactari poſſint, vides hic nihil loci fuiſſe illis maledictis quibus civilem ſocietatem fixiſti ejus immerito tamquam exitiorum omnium cauſſam, quod omnia laus reipublicæ antequam tu natus eſſes, occuparit. Ego igitur, ne tua opinio tot, tantaque bona everterit, tua bona venia, iis præſtantiſſimis viris non abnuentibus, meæ ſententiæ approbatoribus, intrepide cum ſapientibus concludam, claraque voce aperte, palamque pronuntiabo, Nihil plane in vita melius eſſe, atque optabilius, quam æquo jure vivere cum multis in civitate, ex qua re humani generis caritas conſervatur. Tantum abeſt ut me pigeat, quod tu modo nobis vitio vertebas, inter nos commentari, diſſerereve, aut etiam ſcribere de rerumpublicarum rectione; quas utinam nos ſæpius recolentes, ut nunc cœpimus, jam collapſas, depravatas, ac deformatas, aliquando poſſimus erigere, atque corrigere ad antiquorum ſanctitatem, ne hac ætate quicquam heroicis temporibus invideremus, quum homines in cœtibus, & conciliis e virtute agerent, quum pariter & qui imperabant, & qui parebant, boni eſſent, & ſua ſponte juſtitiam colerent.

Provectus ſum oratione, quam putaram, longius. non ſum tamen ſecutus copiam quam poteram. ſtilum potius repreſſi, & dictioni adhibui modum, quum a me dici multo plura potuiſſent. Si vos tamen dicendo detinui pluſculum quam voluiſſetis, Flaminii eloquentia fuit in cauſſa. ita orationis quadam copia, & facultate fretus me exercuit, dum e vita vitæ ſocietatem, aut potius vitam ipſam tollere nititur, ut coactus fuerim coram vobis univerſam reipublicæ de qua quæritur inter nos, capita rerum pervolans, ſpeciem, & quaſi formam adumbrare, delineare, & ſtrictim veluti in tabella deſcribere; quam ſpero vos copioſius dilatabitis, explicabitiſque, & quaſi inductis coloribus illuminabitis, ſi quando alias hujuſce rei ergo huc, aut alio contigerit nos convenire; quod ſæpe contingat, faxit Deus.

Quum dicendi finem feciſſem, ego quoque depoſita penitus oris aſperitate, quadamque quaſi triſtitia, & auſteritate, quam in contentione, tempori ſerviens, vultu contraxeram, Flaminium intuens, ei primum, deinde cæteris liberaliter, comiterque arriſi, ut omnes intelligerent, ambos in disjunctione ſententiæ eſse inter nos benevolentia conjunctiſſimos. Quumque Cervinus, & Polus, qui inter ſe conjunctiores ſedebant, neſcio quid inter ſe preſſa voce colloquerentur de facultate, & dicendi copia, quod plane ego a dictione admodum fatigatus, liquido percipere nequivi, Surgamus, inquit Montius, & adveſperaſcente jam die in urbem redeuntes, Vidam, qui frequentiam hominum, & civitatis cœtum laudat, in ſumma ſolitudine, quam Tridentum adveniens tantopere adamavit, relinquamus. quibus dictis, optimi viri abïere. Ego autem more meo, ne officio deeſſem, ad portam uſque civitatis, ut par erat, ſedulo eos comitatus, non ultra, dimiſi. &, ut poſtea de Priullo audivi, qui tres eos reipublicæ principes cum ipſo Flaminio inſequebatur, in itinere totus eorum ſermo fuit de me, & Flaminio, dum utriuſque in utramque partem controverſam dictionem prope dimicationem conferrent, utrius oratio fuerit ad veritatis ſpeciem propenſior.

F I N I S.

PATAVII. CIↃIↃCCXXXI.

RECUDEBAT JOSEPHUS COMINUS

Ex unica, quod ſciret, editione procurata CREMONÆ *in civitatis palatio apud* VINCENTIUM CONTEM M.D.LVI. *in* 8.

I N-

INDEX
RERUM INSIGNIORUM

Quæ in Dialogis M. HIERONYMI VIDÆ de REIPUBLICÆ DIGNITATE occurrunt.

Numerus paginam denotat.

A

ACademiæ veteris ſumma licentia, atque libertas. 19
Actius, vetuſtiſſimus apud Latinos poeta. 25
Adoleſcentis cujuſdam mira probitas. 18
Adraſtia dea a Socrate invocata, ante legum promulgationem. 88
Ægyptiorum fabulæ de humani generis antiquitate. 22
Æneæ ac Diomedis congreſſus apud Homerum. 58
Æquitatis quid maxime proprium ſit. 77
Ætas nova cum vetere collata. 109
Ætatum in orbe mutatio. 26
Æthiopes pulcherrimum quemque regem creabant. 21
Agamemnon paſtor populorum. 78
Agreſtes quidam homines deſcripti. 107
Agreſtis hominis cum eleganti comparatio. 111
Agricultura laudes. 113. 114
Alba incendio belli flagrante, Cremonam quare ſe contulerit Vida. 4. 5
Alcibiades quare Timoni carus. 30
Alexander magnus mundi unius imperio contentus non fuit. 39
Ambitus in civitatibus quam turpis. 104
Amphion diſperſos homines congregat. 20
Anaximander philoſophus plures mundos eſſe docet. 39
Animalibus mutis quam ſolerter natura conſuluerit. 63
Animus ſuopte motu ſemper agitatur. 108
Antipodes Vidæ temporibus detecti. 115
Antiquitas laudata. 21. *rudis.* 111. 112
Apes, & formicæ, civitatis cœtum imitantur. 16
Arborum cultus. 114
Arcades. 67. *in ſilvis vivebant.* 21
Arceſilas Academicus. 19
Ariſtides quare in exſilium actus ab Athenienſibus. 31
Ariſto philoſophus, Athenienſium rempublicam gravi jugo oppreſſam tenet. 38
Ariſtotelis Ethica. 15
Ars, ab arte quomodo civitas proficiſcatur. 59
Ars natura certior. 112
Artes luxuria ſervientes. 113
Artes neceſſitas invenit. 111. 112
Artium multitudo, atque utilitas. 112
Athenienſes, peracuti homines. 20
Athenis nulla lex lata erat contra parricidas. 29
Avaritia, & luxuria vitia contraria. 42
Aureum ſæculum. 18. 24. 26. 40

B

Barbari ad ſervitutem nati. 27
D. *Baſilius poemata ſcribit.* 49
Beati in hac vita pauciſſimi. 58
Beatorum inſulæ fabuloſa. 31
Belli jura quam religioſe Romani ſervarent. 93. & ſeqq.
Bellorum temere ſuſceptorum mala. 36
BOMBYCIS VIDÆ. 47
Bombycis mira induſtria. 63. 64
Boni ſua ſponte priſci. 28
Boni viri a capeſſenda republica plerumque abſtinent. 34
Britannia cum Catholica religione in gratiam redit. 3. *vide* Maria.

C

Cæleſtis civitas. 77. 97
Cæleſtium rerum notitia. 118
Callidi homines videntur juſti. 34

Carneades Academicus. 19
Carneadis nuga. 28
Carolus V. Cæſar fidem publicam luculentiſſimo diplomate interponit, ut heterodoxi Tridentum ad Concilium ſe conferant; ſed fruſtra. 10
Cervinus (Marcellus) Cardinalis; poſtea Marcellus II. Pont. Max., praeſt Concilio Tridentino. 11
Charondas legum lator. 68
Chriſtiana reſpublica vitio temporum debilitata. 96
Chriſtiana reipublica ſumma excellentia. 6. 7
Chriſtianorum principum diſcordia. 39
CHRISTIAS VIDÆ. 47
CHRISTUS *novam rempublicam & civitatem inſtituit.* 106. *odio maxime ſimulationem probitatis proſecutus eſt.* 105. *Petro Eccleſiam committit.* 77. *piſcatum probat.* 106
Chryſippus, Stoica familia princeps. 15
Cicero, non optimus poeta. 45
Ciceronis libri ſex de republica, injuria temporum ſublati. 5. 14
Civile animal homo. 68
Civiles leges mutari poſſunt. 86
Civitas cæleſtis ſola immutabilis. 97
Civitas quid. 55
Civitatis cauſſa plures. 59
Civitatis communio, ſumma, & perfectiſſima ſocietatum omnium quæ ſunt artis. 15
Coitum cum ancilla, niſi occultus fuerit, damnat Plato. 106
Communio rerum omnium in republica, a nonnullis philoſophis præcepta. 105. 106
Congruenter natura vivere, eſt bonum extremum. 71
Conſuetudo hominum inter ſe, quantum iis proſit. 111
Contagio vitiorum. 23
Corruptela varia hominem a ſe ipſo diſcedere cogunt. 23
Cremona honeſtiſſima Romanorum colonia. 92
Cremonam quare ſe contulerit VIDA, *Alba relicta belli tempore.* 4. 5
Cupiditates hominum plurimæ. 41. *legibus rogandis cauſſam præbuerunt.* 81
Cyclopes. 67
Cyclopum vita. 21

D

Davidis dictum de civitatis gubernatione. 31
Definitiones reipublicæ, variæ. 54. 55
Dei judicium, & vindicta. 19
Delicti genera tria paria. 88
Demadis dictum de Draconis legibus. 90
Democriti ſcriptio poetica. 46
DEUM *eſſe, quomodo intellexerint homines.* 118
Dialecticorum dicendi genus exile, & ſpinoſum. 53
Dicæarchi Peripatetici liber de hominum interitu. 24. 40. 101. 108
Diomedes pugnat cum Æneæ ſimulacro. 58
Dionyſius Siciliæ tyrannus Platonem ludibrio habet. 38
Diſciplina ex oratione. 65
Differendi ars. 118. 119
Diſciplinarum utilitas. 103
Draconis Athenienſis leges ſeveræ. 32. *& crudeles.* 90

E

Eloquentiæ laudes. 119
Empedocles legem æternam appellavit æthera. 85
Ἐπικεφάλαια. tributa ſeu penſiones quæ per capita ſeu viritim colliguntur. teſtatici. 36
Epicurus vocum definitiones probat. 54
Epimenides Cretenſis adjutor Solonis in ferendis legibus. 30. 32
Epinomis liber Platonis. 31. 108
Eteocles tyrannus ſceleſtiſſimus. 54
Evangelii D. Joannis initium. 84

F

Familiæ, civitatibus antiquiores. 24. *conſtituunt civitatem.* 67
Felicitas quid. 57
Felicitas, finium omnium finis. 15. *finis item, & extremum civilis ſocietatis.* 55. 56. *eſt opus animi ſecundum virtutem.* 71
Feros non fuiſſe antiquos homines, Flami-

minius contendit. 22
Flaminius (M. Antonius) poeta dulcis, atque compoſitus. 45. adverſus rempublicam diſputat. 20. & ſeqq. Solem affatur. 41
Fomes peccati. 98
Forma perfecta reipublicę animo tantum comprehendi poteſt. 8
Formica, & apes, civitatis cœtum imitantur. 16
Formula judiciorum quamplurima. 28
Formulę juriſconſultorum. 82. 86
Fortuna commutationem quot viri principes experti fuerint. 31. 32
Fraus, & vis injuria fontes. 82

G

Geneſeos liber. 103
Gens, ſive regnum, quid. 57
Gentium jus quodammodo immutabile. 85. 86
Gorgias ſophiſtes. 52
Graci quas rerumpublicarum formas probent. 6
D. Gregorius Nazianzenus poemata ſcribit. 49
Gubernator in rebus neceſſarius. 73. 74. & ſeq.

H

Hebrai maximo ſuo malo regem a Deo petierunt. 35
Herodotus, prudens rerum ſcriptor. 56. ejus dictum de regibus. 67
Heroicę atatis laudes. 40. 41. 44
Hippodamus Mileſius de optimo civitatis ſtatu ſcripſit. 30
Homerus, excellens natura pictor. 78. ejus fabula de priſcis hominibus. 22
Homo animal libertatis appetens. 27
Hominis imbecillitas. 62. 63
Homini jucundiſſimum, hominem juvare. 72
Homine bono nihil melius, malo nihil pejus. 102
Homines ad ſocietatem nati. 15
Homines agreſtes, atque immanes feris accenſendi. 102
Hominum quorumdam admiranda ſolertia. 89
Honeſti vis maxima. 60. 61
Humana res omnes in deterius labūtur. 97
Humana natura depravata primi parentis culpa. 98. 99. 102
HYMNI VIDÆ, ſive laudum divinarum liber. 47

I

Imperandi cupiditas, plurimorum malorum cauſſa. 25
Incredibile nihil adeo eſt, quod non oratione probabile fiat. 19
Induſtria hominum perficit ea qua natura incheavit. 87
Ingenia hominum in dies magis ac magis acuuntur. 86
Inſula fortunatorum fabuloſa. 8
Inventores rerum vita utilium tamquam deos coluit antiquitas. 114
D. Joannis Evangelii initium. 84
Iſai dictum de pœnis. 83
Judicium de tota re, ex maxima rei parte ferendum. 109. 110
Juris civilis ſcientia quot bonorum cauſſa. 117
Juris aquabilitas. 17
Jus ſummum, malitia ſumma. 27
Juſtitia dea e terra in cœlum remigrat. 26
Juſtitia in civitate, neceſſaria. 56. 60
Juſtitia definitio. 67
Juſtitia laudes. 17
Juvare multos, ſumma laude dignum. 70

L

Latina litera defloruerant, Chriſtiana religione florere incipiente. 7
Latrones ſine aliqua juſtitia particula vivere non poſſunt. 56
Lex eſt recta ratio. 84
Legis natura cum lege civili comparatio. 89
Leges condere, res ardua. 88
Leges crebro mutantur. 32
Leges & parere docent, & imperare. 80
Leges injuſta reprehenſa. 86. 87
Leges qua ex moribus, validiores quam qua ex ſcriptis. 27
Legislatoris officium. 89
Legum defenſio. 83. & ſeqq.
Legum laudes. 90. 91
Legum latores plurimi. 30

Legum multitudo pernicioſa. 28
Legum plura genera. 81. 85
Legum ſervitus. 27
Leo X. Pont. Max. Vidam jubet CHRISTIADEM *componere.* 47. 48
Libertas vera qua. 79. 80
Libertatis laudes. 26
Litera a ſolitudine abhorrent. 110. 111
Lucilius Satyrographus. 33
Lucius Piſo legem primus tulit de pecuniis repetundis. 86
Lucretia. 29
Luxus reprehenſus. 24
Luxuria, & avaritia vitia contraria. 42
Lycurgus a Lacedæmoniis in exſilium actus. 32

M

Madrucius (Chriſtophorus) Cardinalis, Epiſcopus & princeps Tridentinus. 10
Magiſtratuum avaritia. 37. *licentia.* 27
Magutianum. 4
Malum nemo appetere poteſt. 66
Maria Angliæ regina, Henrici VIII. filia, Philippi II. Hiſpaniæ regis uxor, Catholicam religionem in ſuo regno reſtituit. 3
Medicorum, & tonſorum conſuetudo. 49
Medyceorum Etruſcorum familia laudata. 47
Mendices urbe pellendos male cenſet Plato. 106
Mercurius diſperſos homines congregat. 20
Militum injuria, & crudelitates. 25. *inſolentia in ſacerdotes.* 5
Minos, antiquiſſimus in Græcia legum lator. 87
Montius (Joannes Marius) Cardinalis, princeps legatorum præſ. Conc. Trident. poſtea Julius III. Pont. Max. 11. *philoſophorum diſceptationibus gaudebat.* 19
Mortem quare aliqui ſibi conſciſcant. 66
Morum doctrina, ars excellentiſſima. 115
Mundus una omnium civitas. 24
Muſica leges non mutandæ, auctore Platone. 32
Mutantur omnia. 90. 108
Mutationis legum cauſſa. 89

N

Natura conſilio, & ratione agit. 62
Natura hominem inchoat, doctrina perficit. 67
Natura potentior arte. 112
Natura, quæ facit, paullatim, tardeque abſolvit. 69
Naturæ lex æterna. 28. 29
Naturæ ſcientia in civitatibus excolitur. 117. 118
Naturalis lex quid. 84. *fons omnium legum.* 87
Nihil ſimul inventum atque perfectum. 70
Noſce te ipſum. *Delphici oraculi monitum.* 117
Nullam rempublicam adminiſtrari poſſe ſine maxima injuria, falſum eſt. 92

O

Ὁμόκαπνοι. *contubernales, qui ad eumdem fumum ſeu caminum degunt.* 68
Ὁμοσιπύοι. *qui ſimul victitant, quaſi ex una arca panaria.* 68
Opera populorum innumera. 36
Oratio, diſciplina cauſſa. 65
Orationis commoda. 65
Oratores, atque poetæ, facultate inter ſe plurimum disjuncti. 45
Ordo rempublicam conſtituit. 56
Orpheus theologorum antiquiſſimus. 22. *diſperſos homines congregat.* 20
Orta omnia ſeneſcunt, atque intereunt. 98. 99
Otii, & ſolitudinis amor. 30
Ὀστρακισμός *apud Græcos erat relegatio, ſive exſilium ad certum tempus, ita dictum, quod juberetur ſuffragiis teſtularum.* 108

P

Parere alteri, quam utile interdum. 76
Patria Socrati dea. 17
Perfectum nihil in rebus humanis. 109
Periander Corinthiorum tyrannus. 38
Peripatetici plerique de republica ſcribūt. 5
Perſarum imperium in filios tyrannicum. 27
Philippus II. Hiſpaniæ rex, Mariæ Angliæ reginæ maritus. 3
Philoſophi non niſi coacti rempublicam adminiſtrant. 104
Philoſophi defenſi. 107

Phi-

Philoſophi præſtantiſſimi cur a gerenda republica abſtinuerint. 104
Philoſophorum imperandi cupiditas male diſſimulata. 37
Pictorum licentia. 31
Pindarus ait, principatum eſſe a natura. 74. *ejus dictum de lege æterna.* 85
Piſcatum damnat Plato, CHRISTUS *probat.* 106
Plato in Siciliam profectus, ut Dionyſium tyrannum mitigaret. 105. *ab eo male habetur.* 38. *ejus Epinomis.* 31. 108. *fabula de ortu hominum.* 22. *libri de republica.* 5. *ab Ariſtotele paſſim reprehenſi.* 30. *ejus ſcriptio poetica.* 46
Pœna, animi medicina. 60
Poetæ Chriſtiani fabellis Ethnicorum fœde abutuntur. 48
Poetæ, Oratoreſque, facultate inter ſe plurimum disjuncti. 45. *in multis tamen ornandi generibus ſocii, & pene pares.* 46
Politia quid. 15
Politicorum ſcriptores. 99
Polus (Reginaldus) Cardinalis, mittitur in Britanniam Legatus a latere, ut vocant, Summi Pontificis. 3. *laudatus.* 4. *in ſtudia, & lucubrationes incumbit.* 13. *ſcriptor optimus, non tamen poeta.* 45. *vir animi leniſſimi.* 48
Polydori Virgilii libros de rerum inventoribus innuit Vida. 114
Populus quid. 55. *ejus favor quam inſtabilis.* 31
Poſteris magna caritate proſpiciunt homines. 72
Potentius, in hominum genere, imperat imbecillo. 74
Præcipienda ſunt a legumlatoribus, quæ fieri poſſunt. 91
Principatus olim ad prudentiores delatus. 74
Principes juſtos cujuſmodi eſſe oporteat. 77
Priulus (Aloyſius) 10. *poeta.* 11
Probitas ſimulata, civitatibus valde nocet. 105
Prudentia, perfecta virtus. 56
Ψευδόμενος. *qui mentitur, qui fallit.* 119
Publici cura civitatem conjungit: privati vero ſtudium disjungit, ac diſſipat. 74
Pueri ingenui, ad aurium voluptatem exfecti, ut nimirum dulcius canant. 37

Q

Quæſtiones de republica plures. 106
Quatuor præcipue rebus homo indiget. 62
Q. Fabii Labeonis judicium a populo Romano improbatum. 94

R

Regale ſacerdotium a D. Petro memoratum. 78
Reges, magiſtratus omnium antiquiſſimus. 56
Regis ac tyranni diſcrimen. 78. 79
Regnum, ſive gens, quid. 57
Religio totam fere rempublicam continet. 6
Reſpublica, & tyrannis quantum inter ſe differant. 54
Reſpublica quamvis corrupta ſolitudini præferenda. 101
Reipublicæ definitiones variæ. 54. 55
Reſpublicæ innumeræ. 29. *tres ab Ariſtotele potiſſimum laudatæ.* 30
Rerumpublicarum crebræ mutationes. 31. *formæ a Græcis probatæ tres.* 6
Rhadamanthus, antiquiſſimus in Græcia legumlator. 87
Rhetorum argumentandi ratio lata, & lucida. 53
Roma portus, & refugium omnium gentium. 95
Romanæ reipublicæ ſtatus inconſtans. 32
Romanorum veterum civile jus. 81. *juſtitia, & æquitas.* 92. & ſeqq. *lenitas, & manſuetudo in victos.* 94. 95. *profunda imperii cupiditas.* 34. 35
Romulus Theſei ſimilis. 20
Ruri minus callidi & malitioſi homines vivunt. 20

S

Sabinas mulieres rapuerunt Romani neceſſitate compulſi. 93
Sambaſſianus Vidæ ager. 14
Samuel, vir innocentiſſimus, Hebræorum ſacerdos, & judex. 35
Sapiens vere nemo eſt præter Deum. 88
Saturnus diſperſos homines congregat. 20. 97
SCACCHIA VIDÆ. 47
Scipio Africanus quomodo rempublicam definiverit. 55. 57
Seditiones in civitatibus. 31

Serius

Serius amnis ſaluberrimus avita VIDÆ *prædia præterfluit.* 14
Sermonis humani laudes. 16
Servimus legibus,ut liberi eſſe poſſimus. 90
Servitus mala. 26. *immo poſtremum malorum omnium: non tamen omnis ſervitus contra naturam.* 75. & ſeq.
Sextus Tarquinius. 29
Simulatio probitatis nocet reipublicæ. 105
Societatis civilis laudes. 15. 120. 121. *quanta commoda.* 59. 62
Socrates quare ſapientiſſimus. 28. *a reipublicæ adminiſtratione abſtinet.* 38. *& cur.* 104. *Adraſtian invocat.* 88
Socraticus mos contra quamvis opinionem differendi. 52
Solem affatur Flaminius. 41
Solitudo homini odioſa. 72
Solitudinis amor. 30. *cur ea aliqui gaudeant.* 107
Solitudinis interdum appetendæ cauſſæ plures. 73
Solon ab Athenienſibus male habitus. 32. *Draconis leges fere omnes tollit.* 90
Sophiſta qui. 6. *eorumdem quæſtiones.* 33
Sorites, lubricum & periculoſum differendi genus. 53
Stoici peccata omnia paria putant. 90
Superſtitiones. 41
Sylla Athenas diripit, atque incendit. 38

T

Tabula XII. carmen neceſſarium apud Romanos. 27. *earum dignitas.* 81. 82
Theognidis dictum de convictu bonorū. 71
Theogonia D. Joannis. 84
Theologi antiquiſſimi Orpheus, Linus, Mercurius. 47
Theſeus Atticæ regionis incolas diſſipatos in unum cogit, ab iiſque poſtea in exſilium ejicitur. 20. *& quare.* 108
Theophraſtus hoſpitalitatem ſummopere commendat. 110. *ejus liber de officio legum, & magiſtratuum.* 80
Timon,& alii humanæ ſocietatis oſores. 30
Titanum genus, magiſtratibus inimicum. 78
T. Quintius Græciam libertate donat. 95
Tonſorum, & medicorum conſuetudo. 49
Totum prius partibus. 16
Tridenti VIDÆ *ſolitudo.* 122
Tridentinum concilium. 9
Turcarum immenſa potentia. 39
Tyranni ac regis diſcrimen. 78. 79
Tyrannis quātum a republica diſcrepet. 54
Tyrannorum inſolentia deſcripta. 35. *leges quales.* 89. *fœdi exitus.* 101

V

Varronis theſauri. 14
Venetorum reſpublica laudata. 30
Vici, ſeminarium civitatis. 68
VIDA (*M. Hieronymus*) *ſuſcipit ſcribendum opus de optima reipublicæ ratione, deque optimo civitatis ſtatu.* 4. *ejus libri de* POETICA *in academiis ab adoleſcentibus ediſcebantur.* 46. *poemata enumerata.* 47. 48. *libri de* BOMBYCIBUS. 63. 64
Vinearum cultura. 113. 114
Virgilius, exceptis verſibus, ne literam quidem ſcriptam reliquit. 45
Virtus cauſſa felicitatis. 57. 60
Virtutes plures a ſolitudine abhorrent. 110
Virtutum officia enumerata. 115. 116. 117
Vis, & fraus, injuriæ fontes. 82
Vita privata, ac ſolitaria tranquillitas. 43. *omnibus imperiis, ac divitiis anteponenda.* 44
Vitæ ratio duplex. 103
Vitia hominum enumerata. 41. 42
Vox naturæ homines diſſipatos coegit. 69
Vox quorumdam ſcelerata. 72
Utilium rerum abuſus multiplex. 100

X

Xenophontis Cyripædia. 77. *libri de republica.* 5
Xerxis immanes conatus. 39

F I N I S.

M. HIE-

M. HIERONYMI VIDÆ, CREMONENSIS, *ALBÆ EPISCOPI*, EPISTOLÆ NONNULLÆ,

Et aliorum ad eumdem, ex variis libris excerptæ.

M. HIERONYMUS VIDA, *Epiſcopus Albæ, Reverendo tamquam fratri* D. BARTHOLOMÆO BOTTÆ, *Canonico Papienſi S. D.*

Ex editione CHRISTIADIS Ticinenſi, in folio, anni 1569. cum ejuſdem Bottæ commentariis.

LITERÆ tuæ binæ, cum utroque poemate, mihi tardiuſcule redditæ ſunt, eadem die ſimul omnia ab eodem tabellario; quod quidem accidit, quod prius Cremonam, unde jamdudum abſum, in hanc meam pontificiam provinciam profectus, delatæ ſunt, & iſtuc etiam admodum ſero. Legi prius utrumque carmen, quod mihi ſummopere placuit. Laudo ſane tuam & pietatem, & in eo ſcribendi genere copiam. Quod vero apud iſtos quibus adoleſcentulorum mentes bonis artibus finguntur ad humanitatem, & virtutem, poematis mei quod de JESU CHRISTI, Dei ſimul & hominis, rebus, proximis annis edidi, publice enarrandi, atque in ſcholis interpretandi auctor fueris, mihi gratiſſimum fuit, non tantum quod ad meam laudem permultum intereſſe videam (id enim homini Chriſtiano, ideſt gravi, frugi, haud equidem magnopere curandum eſſe arbitror) verum etiam quod magni refert, qua religione, quibuſve moribus rudes puerorum animi prius imbuantur. Addis etiam, a te, propter rerum difficultatem, earum præſertim quæ ſpectant ad religionem, in hujuſmodi poema deſiderari commentaria, teque, ſi nondum ulla edita ſunt, hanc provinciam aggreſſurum, totumqe ipſum poema publicæ utilitatis gratia tractandum ſuſcepturum; quod tibi bene, ac feliciter evenire non modo volo, ſed etiam cupio. Et ita mehercle fore confido, fretus tua & doctrina, & induſtria. Nec id quidem mihi minus gratum fore arbitrator. Te tamen, Botta, ro-

go ne a nobis vitæ noſtræ, aut rerum noſtrarum, ſi quæ ſunt, commentarios exſpectes ullos, quibus edoctus, poſſis in operis initio auctoris vitam de more contexere. Ego certe opus tam arduum, atque adeo periculoſum non ſpe immortalitatis, aut gloriæ adortus ſum; non oblitus, me ſcribere res illius qui pro humani generis ſalute, humilis, & abjectus, ac plane inglorius, animi certo judicio, eſſe voluit; quum nihilominus eſſet & DEUS, & DEI Filius, regum omnium Rex, ac rerum non tantum dominus, verum etiam auctor, & fabricator. Id tamen oneris (quod etiam in operis ipſius calce teſtatum eſſe volui) paſſus ſum mihi imponi, ut Leonis X. Pont. Max. mandatis ſatisfacerem, quum jampridem me conjeciſſem in ſtudia longe diverſa; a quibus hac de cauſſa ab eo avocatus fui. Qui enim poteram Pontificis illius plurimis, ac ſummis virtutibus ornati voluntati tam piæ, tam ſanctæ non morem gerere? tanta erat apud me (taceo quod etiam, ſi voluiſſet, mihi imperare poterat) viri illius immortalitate digniſſimi auctoritas, ut, quod mihi minus ingenio, & facultate ſperandum erat, viderer vel ipſo mentis impetu aſſequi poſſe: quum neutiquam ignorarem, ejuſmodi materiam non depoſcere ingenii mei mediocritatem, ſed dignam plane eſſe facultate, & copia cujuſvis excellentis viri, qui inter poetas eſſet facile princeps, non noſtri temporis modo, verum priſcæ illius ætatis, in qua tot præclara ingenia floruerunt. Noram profecto, poetarum orationem, niſi ſit admirabilis, non magnopere laudari. Id vero ſi (ut *quibuſdam* amicorum videtur) non admodum infeliciter mihi ſucceſſit, totum refero DEO OPT. MAX. bonorum omnium auctori. Quid enim nos mortales, jacentes, atque humi ſtrati noſtris opibus poſſumus? Arbitror quidem tibi notum eſſe, in eo negotio quot difficultates mihi ſuperandæ fuerint, quos *ſcopulos*, *quas ſyrtes* prætervectus ſim. Oppida autem, & loca quæ in eo opere in tota Palæſtina, & ora illa finitima deſcripſimus, non multo negotio in ſacris codicibus reperies: multum etiam te adjuvabunt cæteri Geographi tum Græci, tum Latini; de antiquis loquor, quos, quum ea commentaremur, fabricaremuſve, ſacris voluminibus ſæpiſſime contulimus. Nec eſt etiam ut requiras, ſi qua alia ſcripſerim, ut in acta referre poſſis: nihil dum meum agnoſco, præter hoſce ſex libros quibus de agitur, pauciſſimoſque alios; quos poſteaquam in Italia publicis formis imprimendos dedimus, ſtatim Pariſiis, & Lugduni, mox & Baſileæ, pluribuſque aliis locis, elegantiſſimis characteribus tranſcriptos, venales circumferri vidimus. Cæterum, quoniam in altera epiſtola videris de conditione tua conqueri, ſi quid apud me eſt quod ad levandam fortunam tuam ſpectet, abs te certior fieri velim. Vale. Albæ. Calen. Junii M. D. XL.

II

Digitized by Google

Il Vida Veſcovo d'Alba al Sig. D. Ferrante Gonzaga.

Ex libro III. Epiſtolarum Principum ad Principes Italice ſcriptarum. Venetiis apud Zilettum 1577. in 4.

,, E' *Fama coſtantiſſima, ſparſa in queſte contrade, che V. Eccellenza*
,, *va con l'eſercito ſopra Alba, non ſolo con animo di ricuperar-*
,, *la, ma far' anco menare a fil di ſpada tutti quelli poveri cittadini,*
,, *come ſe foſſero colpevoli della perdita di eſſa città. Io non poſſo già*
,, *credere, tanto crudel penſiero regnare in l' animo di quella, ſendo ella*
,, *tanto ben dotata di buon giudicio, e diſcrezione: e ſapendo, la colpa*
,, *di tal diſordine eſſere in colui che dovea ben cuſtodire quella città, non*
,, *in alcuno di eſſi cittadini, i quali non aveano pur' ardire di reſpirare,*
,, *non che di muoverſi la notte per ſtretti, e formidabili comandamenti di*
,, *chi ne aveva il governo; come ſanno tutti quelli ſoldati i quali erano*
,, *poſti in quel preſidio: e lo vanno predicando: e ſempre ne renderanno*
,, *pienamente teſtimonio al mondo. Sapendo io dunque, come ſta la co-*
,, *ſa, e parimente conoſcendo il buon giudicio, e mente retta di V. E.,*
,, *non mi dovrei muovere facilmente a ſcriverle intorno tal negozio, fon-*
,, *dandomi ſolo ſopra la fama, quale alla fiata ſuole eſſer vana, e bu-*
,, *giarda; ma perchè la coſa è di tanto intereſſe, e porta pericolo di*
,, *tanto eſterminio, e anco avendo io inteſo per relazione di buone per-*
,, *ſone, alcuno de' miniſtri di quella minacciare a quell' innocente popolo*
,, *con acerbità di parole, ho più preſto eletto di parere appreſſo lei uo-*
,, *mo credulo, e di facile perſuaſione, che mancare al debito mio, d'av-*
,, *viſarla dico, come conviene alla perſona che io tengo, impoſtami per*
,, *diſpoſizione divina: maſſimechè, ſtando ella nella Dioceſi mia, l' ani-*
,, *ma di lei in queſto ſpazio di tempo è commeſſa alla mia cura. Per-*
,, *tanto io con ogni riverenza, e riſguardo, qual ſon tenuto avere tanto*
,, *alla perſona, quanto all' offizio che tiene V. E., come Veſcovo d'Al-*
,, *ba, le proteſto in nome di Dio, ſe va alla ſuddetta impreſa con ani-*
,, *mo di far patire l' innocente per il colpevole, non avrà onore di tale*
,, *impreſa, nè le ſuccederà punto: e ſe pur forſe Dio aveſſe determinato*
,, *per queſta via punir quel popolo per altri peccati e miei, e loro, le*
,, *predico nondimeno, che riſerverà la vendetta ad altra occaſione, e*
,, *ſempre ſe le opporrà a' ſuoi diſegni, perciocchè tiene cura ſpeziale de-*
,, *gli innocenti oppreſſi. Se la ſtagion dell' anno non foſſe tanto contra-*
,, *ria, e poteſſi ſperare, che l' aſprezza del tempo permetteſſe all' età*
,, *mia già fiacca e precipitata, di potermi reggere, e durare in cammi-*
,, *no, non mi terrebbe alcun riſpetto, che io non veniſſi alle mura d'Al-*
,, *ba con l' eſercito Ceſareo, non già per conſervare quelli pochi ſtracci,*
,, *e reliquie aſſegnate al viver mio, quali volentieri con tutto 'l Veſcova-*
,, *to laſcerei per la ſalute di qualſivoglia minimo di quelli cittadini,*
,, *tutti miei figliuoli cari, e congiunti meco in amore, fondato in le viſcere*

„ *e ſangue di GESU' CRISTO ; ma per morire inſieme con eſſi , venen-*
„ *do 'l caſo , perchè lo ſpirito mio poteſſe ire in compagnia di quelle anime*
„ *tribolate , e maltrattate avanti il tribunal di Dio , e chiedere vendetta*
„ *alla divina giuſtizia del ſangue innocente contra chi l' aveſſe ſparſo con*
„ *mano , con conſiglio , e con commiſſioni : non convenendo al paſtore ſo-*
„ *pravvivere al gregge ſuo tutto dalle fiere ucciſo. Queſto era ſoggetto ,*
„ *che meritava più lunga epiſtola : mi ſono riſtretto , avendo riguardo al*
„ *gran pelago delle occupazioni di V. E., la qual Dio conſervi , e , fuori*
„ *di queſta crudeltà , proſperi . Le raccomando non già più me al ſoli-*
„ *to , ma la ſalute ſola di queſto popolo innocentiſſimo . In Cremona .*
„ *Alli* 8. *di Dec.* 1552. „

Al Veſcovo d' Alba.

IL zelo del ſervizio di Dio , con che ſi è moſſa V. S. per la dignità ſua a ſcrivermi , raccomandandomi il ſuo gregge d' Alba in la ricuperazione di quella città , mi è ſtato grato , e molto accetto ; tanto più , quanto che dallo ſcriver ſuo ho compreſo , che ella per la ſua prudenza non abbia dato fede alle parole che dal vulgo ſi vanno coſtì ſpargendo dell' animo e intenzion mia contra quel popolo , in volerne far la ſtrage , ed eſterminio che vogliono dare ad intendere . Perciocchè io non ebbi mai inclinazione , nè mi ſono moſtrato avido mai al male , nè al danno altrui , ſe non al ben ſempre , ed alla ſalute d' ognuno , con la mira in ogni tempo a quello che ſi deve per me operare in ſervizio di Dio , del mio Principe , e del grado e dignità mia : che come io tengo per giuſta queſta mia intenzione , e non come la malignità del mondo vuole inferire , così ſpero , che dalla divina ſua bontà ſarà ſempre favorita , e ajutata : e , ſe a quella piacerà di dar buon fine alla impreſa di ricuperare Aſti città , ſia certa V. S. , che io non torcerò punto da quello che io dico di ſopra : anzi per tutti buoni riſpetti , e in ſpecie per quello di lei , ſi darà per me tale ordine , che ogni coſa paſſerà bene , e ſenza il danno che altri preſuppongono . Queſto è quanto ho da dirle in riſpoſta di detta ſua , e ringraziandola del ſuo buon' animo , ch' ella moſtra verſo di me , me le raccomando di buon cuore . Di Aleſſandria . Alli 15. *di Dec.* 1552.

Al comando di V. S. molto Reverenda Fernando Gonzaga.

M. HIERONYMUS VIDA, *Albæ Epiſcopus* , NICOLAO GALLINÆ, *Fiſci Papiæ Advocato*.

Ex Carminibus ejuſdem Gallinæ, Cremonæ excuſis anno 1563.

LEgi epiſtolam tuam, Gallina ornatiſſime, quam nuper ad me peramanter ſcripſiſti una cum eleganti poemate, quod fere totum in laudem noſtrorum civium ad Jo. Baptiſtam Schitium direxiſti.

xiſti. Quamobrem non tantum ego, qui tibi jampridem multis aliis nominibus, ſaltem propter ſtudiorum ſimilitudinem, ſum conjunctiſſimus, verum etiam mecum cives alii permulti, quibuſcum de iis rebus locutus fui, præclare agnovimus ſtudium tuum, animique erga noſtros propenſam voluntatem; pro quo ſingulari beneficio nemo noſtrûm in eo conventu fuit qui non tibi gratias perquam laute communi nomine agendas cenſuerit; mihique omnes mandarunt, ut unus pro ſe hoc munus ſuſciperem: quorum voluntati ego eo libentius acquievi, quo præ cunctis aliis me tibi unum debere ſentiam; ea namque in illis ipſis verſibus de me canis quæ non modo non mihi arrogo, verum quæ ne quidem optare auſim. Cives noſtri itaque paullo magis ingenui, & literis culti tibi mirandum in modum ſe debere profitentur, tibique bene volunt, ac cupiunt, & tamquam civem ſuum mutua benevolentia proſequuntur. Si quid præterea eſt penes hanc civitatem quod tibi uſui eſſe, poſse conſpicatus fueris, fac nos certiores: curabitur ſedulo, pro fortunis, ne quicquam fruſtra expetiveris quod tibi ab honeſto municipio, de quo tantopere es benemeritus, præſtari poſſit. Vale. Cremonæ III. Non. Junias. MDLVI.

MARCUS HIERONYMUS VIDA, *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Albæ Epiſc. & Comes, Univerſæ Eccleſiæ Albenſi S.*

Ex ejuſdem Conſtitutionibus Synodalibus ſuæ civitati ac diœceſi præſcriptis. Cremonæ apud Vincentium Conctum 1562. in 4.

SIcut in agro naturali, ac materiali agricultorum incuria, atque inertia, lolium, lappæ, & tribuli, aliaque iſtiuſmodi impedimenta, quæ ſegetem, & triticum ſuffocare ſolent, plerumque innaſcuntur, ita quoque ſolet fieri in agro ſpirituali manu Domini ſeminato, ſacerdotum negligentia; præſertim ſi contingit, prælatos ab eccleſiis ſuis propter aliqua temporum, & bellorum impedimenta procul abeſſe; nam pro lolio, lappiſque, & tribulis multi abuſus ſuboriuntur, multa in leges canonicas committuntur, pleraque omittuntur, uſque adeo, ut deterior in dies ſemper res evadat, ac paullatim clericorum vita, niſi abuſibus occurratur, uſque adeo fiat deformis, ut parum diſtet a ſolutorum conſuetudine. Quum itaque ſuperioribus annis, ſicut eſt mos, & a legibus canonicis admonemur, diœceſim noſtram Albenſem viſitaviſſemus, & non parum multa offendiſſemus quæ correctione, & emendatione nobis viſa ſunt indigere, decreviſſemuſque omnium ſacerdotum parochiarum in eadem diœceſi exſiſtentium in civitate Albenſi ſacram Synodum congregare, ut eis proponeremus, tamquam idonea, & præſentanea remedia, quaſdam conſtitutiones, & ordinationes, ac leges, quas ſuper illiuſmodi abuſus, & inobſervantias con-

confecimus, quaſque, ſi ſacræ Synodo in Spiritu Sancto congregatæ viſum eſſet, ferremus ab omnibus diœceſanis noſtris in poſterum obſervandas; ecce, pernicioſo inter reges noſtros potius renovato, quam coorto bello, militibus utrimque in hac ora late circum circa omnia perturbantibus, coacti fuimus toto eo durante bello, quod valde diuturnum fuit, diutius ab eccleſia noſtra longe abeſſe, (1) „Albamque, & diœceſim relinquere in ipſius bel„ li quodammodo ore, ac faucibus flagrantem, non tam nobis i„ pſis, & capiti noſtro, aut vitæ metuentes, quam conſulentes, „ & caventes publicæ dignitati, atque honeſtati, ne viliſſimo cui„ que lixæ, aut turpiſſimo mancipio pontificia perſona ludibrio „ exponeretur, atque deriſui; qui vitio temporum ſoluta ubique „ militari diſciplina, nuſquam temperant ab injuria, & maleſi„ cio, atque etiam in cives, & ſocios, pacatoſque omnes hoſti„ liter agunt, ipſos præſertim ſacerdotes ſtudio quodam improbiſ„ ſimo ludificantes, ac deſpicatui habentes. quo plerumque fit, „ ut omnis illa obſervantia, honos, & cultus quibus populi ſuos „ antiſtites proſequi, ac dignari ſolent, relangueſcant, fœdoque „ exemplo evaneſcant.„ Conciliata tandem deinde inter reges pace, ſtatim Albam reverſi ſumus, ut plagis per illud totum tempus civitati, & diœceſi impoſitis pro viribus paterna caritate mederemur. Sed neque etiam tunc Synodum cogere potuimus, quoniam omnia per diœceſim uſque adeo direpta, devaſtata, atque inculta invenimus, ut a fame (2) periculum eſſet, vixque ſacerdotes, & alii qui tenentur ad Synodum venire, ſe ſuſtentare poſſent. Et propterea eos nobis non viſum fuit profectionibus, & itineribus, quæ nonniſi cum ſumtibus, & diſpendiis ſuſcipiuntur, fatigare, aut moleſtare, donec aliquantum refecti forent, atque inſtaurati. Suſpenſa igitur, atque dilata uſque in hanc diem Synodi indictione, neceſſe fuit differre etiam ipſarum Conſtitutionum noſtrarum editionem, quas (3) nunc demum edimus, ac vulgamus, eaſque, abrogatis, antiquatiſque omnibus tam per nos, ſi quæ ſunt, quam per prædeceſſores noſtros Albæ epiſcopos editis conſtitutionibus, ſanctionibus, & decretis, mandamus ab omnibus in diœceſi noſtra tam eccleſiaſticis, quam aliis ad quos ſpectat, inviolabiliter, & enixe obſervari. De induſtria autem ſtylo, & dicendi genere admodum familiari, humilique, & interdum prope vulgari eas confecimus, ut facile, planeque ab omnibus tam doctis, quam indoctis percipi poſſint. Quoniam vero omnes hominum univerſitates, & congregationes præmio, & pœna maxime contine-
ri

(1) Verba commatibus diſtincta huc tranſtulit VIDA ex initio libri primi de Reipublicæ dignitate.

(2) Huc facit VIDAE Epigramma VIII. TELLURI inſcriptum in calce Carminum II. Voluminis.

(3) ſc. anno 1562. Cremonæ in 4. ut ſupra.

ri conſtat, ne cui forte indecens videatur, ſi inter alias pœnas quæ in legibus proponi, ac conſtitui ſolent tranſgreſſoribus, nos etiam eis pœnas, ac mulctas pecuniarias comminamur, atque imponimus; id quidem inviti fecimus, ſed ita fieri neceſſe fuit, quoniam Eccleſia abſtinet a multis ex illis pœnis quibus utitur lex civilis. quod profecto nullius avaritiæ cauſſa factum fuiſſe a nobis manifeſtum eſſe poteſt illis qui noſtræ eſſe conſuetudinis norunt, ut nihil mulctatitium nobis, aut menſæ noſtræ applicetur: ſed omnes illiuſmodi pecuniæ, aut duris temporibus ob inopiam rei frumentariæ, in pauperum vita ſuſtentanda inſumuntur, aut, ſi annona paullo vilior eſſe cœperit, fabricæ eccleſiæ noſtræ majoris addicuntur, tam in veſtibus ſacris, quam in aliis ornamentis expendendæ. Declaramus autem, unumquemque in diœceſi noſtra poſt menſes duos ab harum conſtitutionum editione ad earum obſervantiam teneri.

M. HIERONYMUS VIDA, *Albæ Epiſcopus*,
M. ANTONIO CUCCHO *J. U. Doct. S.*

Ex ejuſdem Cucchi Inſtitutionum Juris Canonici libris IV. editis Papiæ in 4. an. 1565.

QUum mihi, M. Antoni, olim legendas dediſſes Inſtitutiones tuas, quædam quaſi rudimenta, quibus adoleſcentes erudis, atque informas ad Juris Sanctioris intelligentiam, laudavi quidem, ut meminiſſe potes, ingenium tuum, atque conſilium, totiuſque operis ordinem: viſus eſt enim mihi jam tunc labor ille qui ſane multum prodeſſe poſſet eis qui in iſtiuſmodi ſtudiis ſe exercere vellent; ſi quidem ea quæ diſperſa, diſſipataque videbantur in tanta tot Pontificum ſanctionum ſilva, tu omnia collecta, conglutinataque uſque adeo eleganti quadam ratione, ac diſtributione conſtringis, ſub unumque velut aſpectum ponis, ut ea quaſi via compendiaria rudes, & nondum inchoati tyrones ad illius disjectæ totius molis, atque acervi cognitionem facile pervenire poſſint; ita omne Jus Pontificium prope infinitum, diſputationibuſque concertationum plenis late fuſum, breviter in genera digeris, & eorum rurſus generum uti quædam quaſi membra diſpertis, propriam cujuſque vim definiens, ut licet ſint tantum quidam quaſi fontes Juris, & capita, afferant tamen univerſæ rei maximam lucem, ac ſplendorem; manant enim per omnes partes, & ubique funduntur, ut non poſſint magnam diſcentibus non afferre utilitatem. Attamen te tunc admonui, dum tibi conſultum eſſe cuperem, ut quicquid iſtuc eſſet laboris, aut fœtus, nondum bene firmum, ſed admodum recens & adhuc quaſi labans, ut juvenilis animi fervore effuſum, ne nimium feſtinanter a te dimitteres; ſed publico omnino arcens, penes te ſupprimeres, ſi non plane dum inveteraſceret,

at

at tamdiu ſaltem donec fixum, firmatumque coaleſceret; non equidem quod in eo quicquam offendiſſem quod non ratione conſtaret, verum potius, quia in rebus alicujus momenti nimias celeritates, immaturitateſque ſemper metuere ſoleam. Noram profecto, quantum in animis juvenum poſſit gloriæ cupiditas, quantumve, contra, luminis, ac ſplendoris limæ labor beneficio temporis hujuſcemodi ingenii fœtibus afferat. Secutus es ſententiam amici (id quod & tu fortaſſe ultro eras facturus) ſi non prudentis, at ſaltem certe optima fide, & religione tibi cautum eſſe cupientis, ſuſtinuiſtique in hanc diem operis editionem; cujus cunctationis credo certe te minime nunc pœnitere, quippe hinc effectum *eſt*, ut liber is quo me modo pro tua liberalitate donaſti, adeo *diverſus* ſit ab illo cujus olim legendi mihi poteſtatem feceras, ut non *plane* idem ille nunc mihi videatur; ita namque ex illo tempore, toto, inquam, hoc decennio, cum expoliviſti, ita colluſtraſti, ut qui illum alterum viderit, inchoatum tantum, & adumbratum fuiſſe exiſtimet: hunc vero fateatur perfectum, & abſolutum, omnibuſque ſuis numeris, & partibus expletum conſtare, ut nihil abſit, nihil redundet. Gratulor tibi hanc fortunam, hujus, inquam, laboris tui eventum ex ſententia proceſſiſſe, augurorque, brevi affore ut nemò ſit eorum qui iis ſtudiis tamquam ſacris quibuſdam initiari voluerint, qui prius iſtæc tua rudimenta tamquam *dictata* quædam non perdiſcat. Supereſt autem, ad cumulum *votorum* pro te in hac re ſuſcipiendorum, Deum immortalem *precari, ut* aliquando alicui Pontifici Max. in mentem veniat deliberare, an expediat, ut etiam publica auctoritate, totiuſque Curiæ Romanæ decreto iis quatuor libris vis, & nutus legis rogatæ accedat, ſicut libro Inſtitutionum in Jure Civili ineſſe videmus, quum in eis nihil quicquam poſitum eſſe conſtet quod Sanctorum Patrum ſanctionibus diſſentaneum ſit, aut quicquam ab eis diſcrepet. Vale, Cremonæ. Kalend. Septemb. MDLXIII.

PETRUS

Digitized by Google

PETRUS BEMBUS, Cardinalis, M. HIERONYMO VIDÆ, Albæ Epiſcopo, S. P. D.

Epiſtolarum libro V.

AMabiliſſimas tuas accepi literas Kalendis Julii datas, quibus mihi de mea dignitate gratularis. Quas quidem literas non libenter modo legi, ſed etiam cupidiſſime avidiſſimeque perlegi, ipſo titulo pellectus; quod mihi a VIDA, *hoc eſt ab homine omnium noſtri ſæculi clariſſimo, mittebantur. Gaudeo, recentem* PAULLI PONT. MAX. *cooptationem qua me in Cardinalium collegium aſcivit, tibi gratam, & jocundam accidiſſe. Nihil enim malo, quam a te, tuique ſimilibus, ſi qui ſunt, diligi. Sed omnino ſive ſunt, ſive non ſunt, a te certe omnium maxime & amari, & probari cupio. Quod autem eam dignitatem meæ vel doctrinæ, vel virtuti fuiſſe traditam exiſtimas, eaſque ornas miris laudibus, non dubito, quin plus in eo duci te a benevolentia, quam a judicio permiſeris. Verumtamen, utcumque ſe res habet, debeo tibi, ſi minus de altero, de amore quidem certe erga me tuo ſane plurimum. In eo profecto non falleris, quod me meo otio, meoque vitæ genere contentum, nihil de his honorum ſplendoribus putas cogitaviſſe, neque eos appetiiſſe. Nam, ut vere tecum loquar, ſæpius fit, ut peccaſſe me exiſtimem, qui priſtinam vivendi rationem projecerim, quam gaudeam propterea quod maxima clariſſimaque dignitate auctum me atque honeſtatum ſentiam. Quod vero me hortaris, ut a ſtudiis noſtris mitioribus ad Chriſtianam rem tractandam, & juvandam me convertam; velim ſic exiſtimes, me id unum dies noctesque meditari. Quid enim aliud agam his inſignibus, & nominibus ſuſceptis? Sed neque dum Romæ ſum, ut poſſim boni aliquid in medium afferre, & quanta nobis mala impendeant, vides. Ut verendum ſit, ne qui reipublicæ præſunt, ſedare univerſi tempeſtatem tantam non poſſint, nedum mea unius induſtria hoc tempore ſit magnopere profutura. Sed profecto reipublicæ fluctuanti non deero; & ei operam quam potero, navabo. Reliquum eſt, ut me, ut facis, diligas. Quod ſi etiam literas ad me, quum otioſus eris, dederis; ut quid agas, quibus in ſtudiis te oblectes, quid omnino ſcribas, ſcire poſſim, erit mihi gratum. Vale. Nonis Auguſti. M.D.XXXIX. Patavio.*

JACOBUS SADOLETUS, Cardinalis, & Epiſcopus Carpentoracti, HIERONYMO VIDÆ, Albæ Epiſcopo, S. P. D.

Epiſtolarum libro X.

GRatiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quæ & veteris noſtræ amicitiæ memoriam mihi renovarunt, & declararunt, in te non parum adhuc amoris erga me ipſum reſidere: quo mihi nihil optatius, neque jucundius accidere potuit. Nam quum te ſemper ingenii, & virtutis tuæ cauſſa plu-

rimum dilexi, tum vero optavi viciſſim diligi a te; id recte exiſtimans, conjunctionem tecum meam mihi magno honori ſemper fore; quod tuum de quoque homine judicium in utramque partem magnam vim haberet, neque ſolum in præſentia honorificum exſiſteret, ſed illuceſceret in omnem etiam poſteritatem. Quamquam hæc, quæ notiſſima ſunt, nova commemoratione mea non indigent. Venio nunc ad gratulationem tuam, quæ mihi magis propter animum tuum propenſum, & benevolum erga me, quam propter rem ipſam de qua gratularis, jucunda exſtitit. Gaudeo enim, a te tali viro honorem meum comprobari; ipſo autem honore non tantopere delector. qui etſi magnus, & expetendus omnibus videtur, mihi tamen boni multo plus abſtulit, quam dedit. Abſtulit enim otium, quietem, libertatem: alia quædam reddidit, quæ nequaquam cum illa felicitate prioris vitæ, meo quidem judicio, erant comparanda. Sed quoniam oppreſſi ſubito optimi Pontificis beneficio, ſpatii ad conſulendum ac deliberandum nihil habuimus, pareamus ſane DEO, qui nos huic ſubjectos oneri eſſe voluit. Illud tamen curemus, in eoque elaboremus, ut, quoad vires noſtræ ferre poterunt, hæc noſtræ dignitatis acceſſio, Chriſtianæ Reipublicæ, & huic Sanctæ Apoſtolicæ Sedi poſſit eſſe utilis. Quod conabimur quidem certe. Quantum autem præſtare efficereque poſſimus, id jam ad DEUM ipſum referendum totum eſt; qui faciat nos idoneos miniſtros ſuæ voluntatis. Sed de his ſatis. Ego te, doctiſſime VIDA, & amavi ſemper, ut paullo ante dictum eſt, & tuo praſtantiſſimo ingenio, eximiaque doctrina plurimum tribui. In qua etiam nunc & opinione eadem ſum, & voluntate. Tibique hoc de me eſſe perſuaſum volo, ſi quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio eſſe arbitraturum. Tu ut valeas, & me ut diligas, magnopere a te peto. III. Idus Februarii. Romæ.

CÆLIUS CALCAGNINUS HIERONYMO VIDÆ S.

Epiſtolar. lib. VIII. pag. 104.

MAgna commendatio Azajoli noſtri; qui amicorum vota præveniat, neque precibus, neque commendationibus locum relinquat. Is enim demum quom diploma, & liberum commeatum tibi impetraſſet, tuas mihi literas reddi juſſit. Ego autem ille præcipuus amicitiæ cultor, & tuæ virtutis maximus admirator, ut tibi rem protinus curarem, ex voto nihil prætermittens, omnino, ut poſtea comperi, actum agebam, & (ut ajunt) μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. Quare nihil eſt quod ea in re nobis debeas, niſi rectam voluntatem. Reliquum hoc quidquid eſt officii, Azajolo acceptum feres. Qui quæ eſt in re omni animi atque ingenii præſtantia, ac felicitate, ſolus vult, & poteſt curam cujuſquam, operam, amicos, & præclara ingenia promereri. Bene vale, & quom ad nos perveneris, tantiſper, amabo, curſum remorare, dum te dies aliquot perfruamur. Bene vale.

AP-

APPENDIX

QUÆ SEQUITUR,

HÆC CONTINET:

Hieronymi Faballi, Laudenſis, de Vidæ laudibus Orationem.

Brevem de Poetæ vita Commentarium ex Editione Oxonienſi.

Teſtimonia doctorum virorum de ejuſdem ſcriptis.

Præcipuarum Editionum Carminum Vidæ Catalogum.

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI FABALLI, LAUDENSIS, IN M. HIERONYMI VIDÆ, CREMONENSIS, ALBÆ EPISCOPI, (tunc ſuperſtitis) LAUDEM ORATIO.

Cremonæ edita inter alia Faballi Opuſcula apud Vincentium Comitem 1561.

QUUM ex iis rebus quæ multæ, cives Cremonenſes, eſſe debent in eo qui de re aliqua apud vos digne verba facere velit, vix ullas in me ipſe plane perſpiciam, non mediocriter vereor, ne veſtris judiciis ſempiternam fœdiſſimæ temeritatis notam ſubeam, qui in hoc theatro, ubi eos ſedere video qui ſummo judicio, ſingularique doctrina inſignes, rara quædam probant, in quibus ſit quadam excellentia, de MARCI HIERONYMI VIDÆ *laudibus dicere audeam; cujus virtutibus non in humili, atque obſcuro loco poſitis, ſed in ſpecula quadam excelſa, atque illuſtri, nulla par eſſe poteſt oratio. Quæ fuerit annis ſuperioribus Marci Tarteſſii, quem honoris gratia nomino, gravitas in dicendo, quæ facultas, quæ copia, quum hujus celeberrimi Poetæ* HYMNIDA *auſpicaturus, de operis, de auctoris dignitate apud vos, cives Cremonenſes, verba fecit, non opinione tacita veſtrorum animorum, ſed perſpicua admiratione declarari videbatur. Nihil enim umquam audivi quod de ejus ingenii felicitate, atque gloria ſubtilius dici videretur, nihil de dignitate ornatius, nihil de genere vitæ gravius; ut is unus mihi jam videretur, virum divina quadam, ac inaudita ſapientia præditum pro dignitate laudaſſe. Verumtamen, quum ipſemet ingenue faſſus fuerit hoc loco ad dicendum ornatiſſimo, ſe verborum ubertate exhauſtum pauciora dixiſſe quam viri auctoritas, quam dignitas poſtularet, major eſt mihi iniectus ſcrupulus, majorque dubitatio, quidnam pro digni-*

Antonius Teiſſier in ſuo Catalogo recenſet hanc Faballi Orationem, tamquam in VIDAE funere conſcriptam, & excuſam, ut vere fuit, an. 1561. ſed perperam, quum VIDA vivere deſierit an. 1566.

dignitate hominis qui omnium laudatorum eloquentiam ſuperet, dignum eloqui poſſim, is qui neque ingenio, neque auctoritate, neque dicendi facultate cum Marco Tarteſſio ſum comparandus. Equidem quantum poſſum eniti viribus ingenii, incumbo, multumque mecum reputo, ut exquiſitum aliquod orationis genus in medium proferam, quo poſſim tantam nobilitatem, tam inuſitatam, inauditamque probitatem, tantam in omni literarum genere præſtantiam, tam denique incredibilem, atque divinam ſapientiam egregie explicare: ſed vel ſplendor nominis objectus ingenii mei aciem præſtringit, mentiſque quaſi luminibus officit. Quid igitur faciam? taceam ne? hoc fortaſſe tutum, ne id ego aggredi videar quod non poſſim implere; quod eſt impudentiæ. Sed neſcio an ſatis honeſtum; nam non qui pauciora quam vellet, ac par eſſet, pro viri laude dicit, impudens, ſed qui nihil dicit, malevolus eſt, mea ſententia, exiſtimandus. Quæ ratio ita animum meum erigit, ut illum timorem quem ex rei difficultate capio, ſi non tollat, ſaltem minuat. Deinde illa me res magis conſolatur, quod apud eos ſum dicturus qui de viri laude a me ſatis, ſuperque dictum, arbitror, exiſtimabunt, ſi modo, me intelligent omni ope eniſum fuiſſe, ut amplitudine digna dixiſſe videar. His igitur cauſſis erectus, planeque recreatus, ne diutius oratione mea exſpectatio veſtra teneatur, aggrediar ad Marci Hieronymi Vidæ *laudes. Dicam de ingenii gloria, de optimi ſacrorum Antiſtitis munere. Quamobrem quæſo, ut me, auditores ornatiſſimi, ſicut facere inſtituiſtis, benigne, attenteque audiatis. Ego autem dabo operam, quam maxime potero, ut exſpectationem in quam vos me modo induxiſſe intueor, ſi non ex omni, at aliqua tamen parte expleam; & quoniam* Marcus Hieronymus Vida *uſque a pueritia ſe virtuti addixit, in qua ſatis eſſe præſidii ad bene, beateque vivendum, ſatis ut ad altiorem locum perveniatur, ſemper exploratiſſimum habuit, ab artium liberalium cultu, quibus a pueris deditus fuit, initium ſumam. Is, datis permultis maximi non adumbratis ſignis, ſed expreſſis ingenii, quibus idoneus ad capeſſendam virtutem a parentibus judicaretur, deductus eſt ad ludi magiſtros multa, ac varia lectione inſtructos, quibus gymnaſium hujus civitatis ſemper affluxit, (affluit enim hodie* DEI OPTIMI MAXIMI *beneficio hominibus eruditiſſimis, ac temperantia in primis inſignibus) ut prima literarum rudimenta, & quæ ad poetarum cognitionem, rhetorumque inſtitutiones pertinent, ab illis doceretur: in quibus vegeta quadam mente præditus tantum, tamque brevi profecit, ut in gymnaſio, quo frequentiſſimi pueri, aduleſcenteſque tam exteri, quam noſtrates ſe conferunt, omnium eruditiſſimus haberetur. Ubi vero is e ludo, pueritiæque diſciplina ſeceſſit, non ſolum omnibus grammaticæ præceptis eruditus, ſed etiam rhetorum inſtitutionibus perpolitus ad ſcribendum ſe contulit. Quumque duo ſint orationis genera, alterum poeticum, alterum oratorium, poeticum prius complexus eſt; in quo quum omne ſuum ſtudium, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem deſi-*

defixerit, ut quæ ipſis Muſis adhuc eſſent clauſa, atque inacceſſa, pervia faceret, atque patentia, ei contigit antecellere omnibus poetis qui in hac civitate floruerunt, non ſolum tempore illo quo primum literæ, ac bonæ artes poſt devaſtatam a barbaris Italiam, ſublatamque omnem humanitatem reviviſcere, & quaſi poſtliminio reſtitutæ, redire cœperunt, verum etiam feliciſſimis illis temporibus in quibus optimæ artes ad ſummum faſtigium pervenerant, quum celebres eſſent poetæ. quod ita eſſe, res ipſa ſatis per ſe loquitur. Quid enim abeſt huic poetæ, quod ſi adeſſet, jure hoc tribui, & concedi putaremus? cognitio ne poetarum? qui pueritiæ tempus primum, principium habuit fabellarum, ac hiſtoriarum, cujus plerique æquales pauciora carmina legerunt quam ipſe poetarum libros volutavit? an ingenium? in quo uno ita ſunt motus animi, & ingenii celeres, ita ad excogitandum acuti, ita ad explicandum, ornandumque uberes, ita ad memoriam firmi atque diuturni, ut de quacumque re opus fuerit, verſu non tantum docte, & copioſe, verum etiam eleganter, & appoſite ſcribat maxima cum legentium admiratione? an conſilium in eo, an diligentia umquam requiſita eſt? quum nihil umquam ſit aggreſſus quod non ad ſummum perduxerit, digneque impleverit? viderint Muſis dediti, an mentiar. Exſtant enim eæ VIDÆ *poemata, quæ, niſi me fallunt per benevolentiam, proxime accedunt ad Maroniani carminis majeſtatem, ſummo ſtudio, ſummaque arte elaborata. Exſtant primum tres de* ARTE POETICA *libri ad Franciſcum Franciſci regis filium, Franciæ Delphinum, in quibus tradit præcepta ejus quidquid eſt artificii, eniſus, adoleſcentulum a grammaticorum ſinu ſuſceptum, talem inſtruere, ut evaderet poeta omni laude cumulatus. Quid dicam de* BOMBYCUM *libris, quos nullis adminiculis a ſe ipſo ſuo ingenio, ſua perveſtigatione, ſuo (ut ajunt) marte elaboravit? & quis umquam fuit, aut eſt celeberrimus vates qui tanta dicendi copia ſit præditus, ut verbis magis propriis, atque ſignatis Bombycum mores exprimere, atque ante oculos ponere valeat? ſperetque ſe magis poſſe conſequi carmine, quanta ſit eorum virtus, atque induſtria? Quis, quæſo, non miretur verſus illos quos de re ludicra, ſed non parum difficili, atque involuta (* SCACCHIA, *vulgo vocant) conſcripſit? quum videat, ut admirabili varietate, atque ordine incredibili omnia ſint expreſſa quibus ludus ipſe conſtat; in quibus ſi quis velit, poſſit effigiem belli, ſimulata veris prælia, fictas buxo acies, reges duos inter ſe pro laude oppoſitos, tamquam in ſpeculo intueri. Porro quum illud poema inuſitatum, cives Cremonenſes, lego, mihi videor videre, colluſores ipſos certatim alium alio callidius ludum agere. Nihil profecto deeſt hujus ludi deſcriptioni quod ab hominis ingenio ſolertiave exſpectare poſſimus, niſi forte velimus, ut ad æmulationem ludentium ludat etiam ipſe ludi deſcriptor. Poema hoc tam feſtivum, tam elegans quum* LEO DECIMUS *Pontifex forte legiſſet, vel potius ſingulas clauſulas, ſingulaque verba contemplatus eſſet, tanta fuit affectus admiratione non ſolum ex materiæ novitate, ſed etiam carminis majeſtate, ut haud crederet, talia*

lia a mortali fieri, perveſtigarique poſſe, niſi divino aliquo mentis inſtinctu. Quo circa carminis auctorem, quem Romæ (ibi enim, relictis ſtudiis illarum artium quas qui tenent, eruditi vocantur, ſe totum tum philoſophis, atque theologis tradiderat erudiendum) eſſe audierat, ad ſe ſtatim vocari imperavit, arbitratus tandem ſibi oblatum virum omnibus numeris abſolutum, atque perfectum, omnique literarum præſtantia excellentem, qui de omni re egregie poſſet dicere tum verſu, tum ſoluta oratione, eumque interpellavit, ut relicta, rejectaque omni alia cura, ac ſtudio, periclitaretur, quid efficere, quantumque progredi valeret in explicandis verſu rebus divinis quæ pertinent ad CHRISTI *inſtituta, totamque tam auguſtæ religionis, ac ſanctitatis rationem, optimorum poetarum figuris, atque virtutibus, quoad poſſet, Latine ornaret. Erat enim Pontifex ille, ut neminem veſtrûm præterit, optimarum artium fautor, nihilque prius habebat, quam in toto Pontificatus ſui tempore maximis præmiis optima ingenia elicere, & remotiſſimum quemque in quo eſſet ingenii, & virtutis indoles, liberalitate ſua excitando, ad ſummam perfectionem, excellentiamque perducere; dignus certe immortalitate vir. Tum* VIDA *etiamſi non ignoraret, quantum in hac re evolvenda eſſet elaborandum, tamen ne tanti Pontificis, tamque de communi hominum ſocietate bene meriti piæ voluntati repugnaret, provinciam prius ingenii viribus metitus, libenter ſuſcepit. quam quanta cum dignitate expleverit, relinquo orbis terrarum judicio ſtatuendum. Quæ enim ora, quæ ſedes, aut locus, quo non pervaſerint libri illi ſex de ipſius* CHRISTI *rebus, atque inſtitutis? Poema ſane admirandum, inuſitatum, jam perfectum, expletumque omnibus partibus, & numeris. in quibus libris egregius Poeta eximio ingenio, ſtudioque ad inveſtigandum excitato, id quod apprime* LEO *expetebat, verbis Latinis explicavit quædam ſenſa antea expreſſu difficilia, Hebræorum linguæ propria, & ſermonis tum Latini, tum Græci majeſtate aliena, graviſſimas, inquam, ſententias, parum verbis adhuc ornatas, quæ videbantur nulla umquam ſermonis Latini luce poſſe ſatis ſplendeſcere. Quam, Dii immortales, lætitiam, quam voluptatem* LEO, *cujus voluntate, vel potius liberalitate, ad hoc ſcribendi munus hic eximius Poeta fuerat electus, animo concepiſſet, ſi ei per fata licuiſſet, hæc monimenta tot exemplaribus propagata, tantiſque luminibus colluſtrata, tantaque cum dignitate ad ſummam perfectionem perducta, legere! intellexiſſet profecto, ſe de omnibus hominibus in re literaria præſtantibus, eum ſelegiſſe virum omnium rerum magnarum, atque artium ſcientia excellentem, qui tantum, ac tam præclarum munus egregie obire potuerit. Quantis etiam honoribus eum cohoneſtaſſet! quantis pro hoc opere præmiis cumulaſſet! Legit tamen* CLEMENS SEPTIMUS *paullo poſt ſecutus, qui a tanto patruele, ceteriſque majoribus ſuis, in eliciendis optimis ingeniis ſua liberalitate, remunerandiſque quam ſimillimo munere de re literaria optime merentibus, nihil degeneravit. quod ſane nemo ſine ſcelere negare poteſt. Quæ enim eſt natio in qua non exſtent hujus Summi Pontificis quum humanitatis, tum vero liberalitatis in literatiſ-*

teratiſſimum quemque impreſſa veſtigia ? in hunc in primis noſtrum Poetam, quem ille ampliſſimis honoribus decoravit, atque in Antiſtitum numerum cooptavit ob hos tam cultos, tam elegantes libros poetarum more ſcriptos; quos ei primo omnium, honoris dignitatiſque gratia, Bononiæ facta fuit legendi facultas, quive ejus nominis inſcriptione fuerunt divulgati. Pæne præterii tres BUCOLICORUM *libros, quos ante hoc divinum opus ſtudioſis legendos ipſe dedit, poema ita feſtivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri poſſit argutius; multaque alia Carmina ad mores pertinentia, dulcia quidem, & illa quam tantopere poetæ lepidi affectant, ſuavitate, quadam, inquam, ut ita nominem, ſtyli lætitia diffluentia. Quæ hactenus hujus celeberrimi viri poemata recenſui, cives Cremonenſes, ſatis eſſe poſſent ne vos longa eorum narratione defatigarem, ſi ſine hujuſce laudis detractione prætermittere poſſem* HYMNIDA, *laudum, inquam, divinarum librum, quibus maxime proſequutus eſt* DEUM *quidem prius præpotentem, trinis perſonis unum, optimum, maximum, deinde etiam minores Cælites, tamquam ejus cives, & miniſtros; imitatus in hoc ſcribendi genere, diverſa tamen religionis ratione, antiquiſſimos theologos, Orpheum, Linum, Mercurium. Nam etſi ex illis ſex de* CHRISTI *rebus libris perſpicuum ſit nobis, quantus* VIDA *ſit in re poetica, quantus in theologia, liquidius tamen ex hoc poematis genere de tota ejus excellentia, atque præſtantia perſpicere poſſumus. quid eſt enim tam abditum, atque reconditum in hac ſeu ſcientia, ſeu ſcientiarum principe, atque regina, ad quam aliæ referuntur, quod non in hoc libro ipſe Poeta nobis planum fecerit literis Latinis, ampliſſimiſque adhibitis poetarum ornamentis ad omnem elegantiam, atque ſplendorem ? ut hunc inter alia veterum clariſſima monimenta nos in ſcholis legentes, & explanantes exoſculemur, & in deliciis habeamus, atque in oculis; eſt enim aureolus totus, & ad verbum ediſcendus libellus. Rogatus ego a quibuſdam meis amicis, cuinam veterum poetarum hic noſter Poeta apte comparari poſſit, nequeo in eam ſententiam deſcendere, ut aut Lucretio, aut Macro * comparetur; alter enim eſt difficilis, alter humilis; quoniam vero is eſt & elegans, & gravis Poeta, placet Virgilio comparare, vel potius Virgilii Animam appellare; namque omnis Virgiliana phraſis ex omnibus partibus ſe oſtendit in hujus poematibus quæ exierunt, atque in vulgus emanarunt. Sed, ne diutius poeticum orationis genus, in quo* VIDA *maxime excelluit, inſiſtamus, nunc reliquum eſt ut de oratorio dicendum videatur, cui ſe poſtea addixit, ut patria non tantum monimentis poetarum, ſed etiam oratorum illuſtraretur, atque hæc ætas ampliſſimam gloriam conſequeretur; in quo quidem dicendi genere eo progreſſus eſt* VIDA, *ut eum omni laude cumulatum Oratorem aperte audeam dicere, quum nihil huic admodum deſit quod in ſummo, atque perfecto oratore requiratur. Quæ enim antiquitas, quæ vis exemplorum eſt, quam ipſe non me-*

* Faballus. cum multis aliis ea tempeſtate eruditis viris, falſam de Pſeudomacro, qui nunc quoque circumfertur, opinionem imbibiſſe videtur, quod ſcilicet antiquus ille eſſet, & genuinus.

moria teneat, atque penitus cognoſcat? qui optimis a pueritia diſciplinis, atque artibus ſtuduit; & in his maxime elaboravit. Quid dicam de induſtria in rerum diſpoſitione? quæ in hoc viro tanta eſt, quanta in optimo quoque oratore umquam fuit. quis ſuo quæque loco, uti plurimum perficere, atque valere poſſint, aptius diſponit? ut enim ab imperatore equites, milites, levis armatura, ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus argumenta collocantur: & quoniam eloquentia conſtat ex verbis, & ſententiis, quis eo magis pure, & commode loquitur? quis majorem verborum tam propriorum, quam translatorum elegantiam perſequitur? in propriis aptiſſima eligit, in translatis ſimilitudinem ſecutus, verecunde alienis utitur? neque ſolum eſt totus in verbis eligendis, tam lepóris, quam ſplendoris cauſſa, verum etiam in collocandis, atque comprehenſione devinciendis, ut oratio numerum, & lenitatem habeat. In ſententiarum vero ornamentis, & conformationibus (quo quidem genere, quia præſtaret omnibus, Demoſthenes a doctis oratorum eſt princeps judicatus) quam accurata, quam ſine moleſtia, diligenti inveſtigatione utitur! nam, quum ſchemata maxime ornent oratorem, eaque non tam in gignendis verbis habeant pondus, quam in illuminandis ſententiis, perficit meditando, ut nemo venuſtius, ornatiuſque eo loqui videatur. in primiſque eſt curæ huic Oratori, ut non modo gravitas adſit ſermonis, ſed etiam cum gravitate junctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis, lepos. In diſſerendo mira explicatio, argumentorumque atque ſimilitudinum copia; nam ut in refellendis, opprimendiſque adverſariis incredibilem vim habet, ſic in diſſerendo, & explanando admirabilem dicendi copiam; idque quum alias, tum in libris quos in diſputatione, & Dialogo de Republica ſcriptos recentiſſime in lucem edidit, ex quibus non tam VIDÆ *dicendi elegantiam ſatis cognitam habemus, quam in inveniendis, componendiſque rebus miram accurationem, ut non facile in ullo diligentiorem, majoremque, atque magis oratoriam cognoverim. In iis eſt verborum & delectus, & apta, & quaſi rotunda conſtructio, tum concinnæ, acutæque ſententiæ, tantum denique argutiarum, & urbanitatis, ut Attico ſtylo ſcripti videantur illi libri. Quare ſit nobis Orator in hoc diſſerendi genere mirabilis, nec parum nobis videatur, virum unum in duabus dicendi facultatibus, in quarum altera vix aliquis excellens umquam repertus fuit, quum in utraque elaborare permagnum ſit, ita excellere, ut, quum Cicero in ſingulis ætatibus vix ſingulos in dicendo præſtantes oratores, paucoſque alicujus nominis poetas inveniri poſſe autumet, hic unus* VIDA *hac noſtra ætate inventus ſit qui & perfectus Orator, & bonus Poeta dici poſſit. Sed vereor ne amore vobis videar, plura quam ſint in hoc viro, dicere; quod non ita eſt. alia enim majora recte dici poſſunt, & debent; nam nec induſtria, nec ingenii felicitate, nec ullo in genere virtutis ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, quemquam cum eo conferendum puto. Admirabile quidem fuit ingenium in duobus linguæ Latinæ luminibus, M. Tullio Cicerone, & P. Virgilio Marone, quorum alter ipſam illam perfectæ eloquentiæ ſpeciem quam ſuo ipſe in Oratore quærit, omnium*

ora-

oratorum unus in multis voluminibus expreſſit ; alter non parum multos libros referſit verſibus, qui ubique terrarum leguntur, & in academiis ab adoleſcentibus ad unum ediſcuntur; ſed quia hic, exceptis verſibus, ne literam quidem ſcriptam reliquit, ille vero tentatis duobus dicendi generibus, in altero tantum, quod erat illi proprium, excelluit; neuter, mea quidem ſententia, cum VIDA *ingenii gloria eſt comparandus, qui in omni ſcriptionis genere plurimum valet, atque jam non ſolum magnifice, & ornate, ſed etiam copioſe, atque compoſite tam Oratoris, quam Poetæ munere perfunctus fuit, ut ambigas, rectius ne Oratorem, an Poetam dicas. Jam quanta ſit in* MARCO HIERONYMO VIDA *ingenii gloria, cognoviſtis: nunc quam digne is ceremoniis, & ſanctitatibus præſit Antiſtes, infulis, religioniſque inſignibus ornatiſſimus, conſiderate. Utinam virorum huic quemadmodum honore, ita quoque dignitate parium tantam copiam haberemus, ut nobis in comparatione eſſet difficile ad judicandum, quem nam omnium digniſſime religioni præeſſe, putaremus! nunc vero hic unus eſt* MARCUS HIERONYMUS VIDA *par omnibus Antiſtitibus qui fuerunt ſanctitatis pariter, ac doctrinæ exemplum; lumen vero, & ornamentum eorum qui adhuc vivunt. In quo quid eſt quod improbari poſſit? Ego enim ſic exiſtimo, in optimo Antiſtite duas has res ineſſe oportere, doctrinam, & ſanctitatem: quis igitur hoc homine doctior umquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui (ut ante dixi) inde a pueritia rectiſſimis ſtudiis ſemper fuit deditus: qui non aliqua in re una ſeparatim elaboravit, ſed omnia doctrinarum ſtudia, quacumque ſunt, alta quadam mente præditus comprehendit: qui ut de communi hominum vita, præſertim de re Chriſtiana, religioſus, & pientiſſimus optime mereatur, plura ad religionem,* DEI*que cultum pertinentia literis, hominumque memoriæ prodidit, quam ceteri legerunt; &, quod mirandum eſt, in hoc ætatis flexu, præter id temporis quod valetudini dare ſolet (quod ſane puſillum eſt) horam nullam literis vacuam eſſe permittit; ſed ſemper aliquid agit in ſtudiis, aliquid ſcribit non tam ad honeſtandum nomen ſuum, immortalitatique commendandum, quam ut poſteritatem ſempiternis literarum monimentis locupletet. Jam vero ſanctitati* MARCI HIERONYMI VIDÆ *quæ par poteſt oratio inveniri? quid enim eſt quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum afferre poſſit? non enim illæ ſolæ ſunt virtutes pontificiæ quæ omnibus ſunt notiſſimæ, morum ſuavitas, ſermonis prudentia, caſtitas, integritas, parſimonia; quæ tanta ſunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis Antiſtitibus quos aut vidimus, aut audivimus, vix umquam fuerunt. Teſtis eſt primum hæc celeberrima civitas, in qua eam modeſtiam, eam integritatem, eam frugalitatem præ ſe ſemper tulit, ut numquam, non dico notari, ſed ne accuſari quidem potuerit, quod intemperantia in eo cognoſceretur, quodve ſacerdotiis digniſſimis tumeſceret, dignitatiſque amplitudine efferretur. Nihil loci habet apud eum ullum vitiorum genus, qui omnia refert ad* DEI *gloriam, quam omnibus honoribus, divitiiſque præfert, exemploque patrum, omiſ-*

ſis rebus caducis, eſt totus in divini cultus contemplatione. Teſtis eſt Alba, municipium nobiliſſimum, in quo quia eſt ſacerdotum princeps, & ſacrorum Antiſtes, in omnes partes aciem intendit, ut is vir ejus municipii civibus videatur, unde non ſolum doctrinæ, verum etiam veteris ſanctitatis exempla petantur. Teſtes ſunt denique quicumque ejus domum adeunt; quæ omnibus bonis ſemper patet; domus optima, notiſſima quidem certe, maximeque perhoſpitalis; non ſitu, non Pariis lapidibus, non pulcherrimis ſignis ornata, ſed referta iis diſciplinis, iis moribus, iis inſtitutis, ut patrum ſanctorum umbraculis, ſi adhuc vigerent, par judicari poſſet: quam omnis civitas, omnis vicinitas comprobat: cujus apud omnes, propter dominum, maximum eſt nomen, atque graviſſimum: ad quam unam ex omnibus hujus civitatis domibus optimorum hominum fit concurſus: ubi viget jus, æquitas, pudor, pudicitia: ubi ſemper pauperibus paratum præſidium: ubi optimarum artium domicilium: ubi cuncta ſplendeſcunt: ubi ſumma ſunt omnia: unde omnium rerum egregiarum exempla ſumi poſſunt. Quid cætera? quantæ, & quam multæ ſunt artes eximiæ, hujus adminiſtræ, comiteſque ſanctitatis! ac primum, quanta religione eſſe debent Antiſtites! quanta pietate! quanta omnibus in rebus frugalitate! quanta facilitate! quanta liberalitate! quanta fortitudine! quæ breviter qualia ſint in hoc homine, conſideremus; ſed ea magis ex aliorum comparatione, quam ipſa per ſe cognoſci, & intelligi poſſunt. Quem enim poſſumus Antiſtitem aliquo in numero putare, cujus omne tempus ætatis eſt ad omnes voluptates, & turpia otia divulgatum? qui, quum opus ſit, ne particulam quidem fructuum quos ex ampliſſimis, opulentiſſimiſque ſacerdotiis quotidie colligit, aut in divinum cultum, aut in homines egentes, miſeriiſque coopertos partitur, ſed omnes aut lauto apparatu, obſoniis, vino, ſervorum turba conficit, aut avarus e ſua tantulæ ætatis avaritia permagnum cælati auri, & ſignati pondus conflat, idque furtim defoſſa terra timidus deponit, neque ipſi, neque aliis uſui umquam futurum? agnoſcitis, cives, qui hæc faciant: neminem nomino, ne inſolentius oratione volitem, neve quis mihi iraſcatur. Etenim non deſunt qui animum ſuum vultu, flagitia parietibus tegi poſſe putent: ſed hæc obſtructio nec diuturna eſt, nec obducta ita, ut oculis curioſis perſpici non poſſit. Iſti vitia ſua, animique morbos vulgari ægre ferrent; itaque propter vel luxuriam, vel avaritiam ſacerdotum, quantum priſtini decoris religioni adimatur, quantum aræ, divorumque immortalium templa, ſanctiſſimaque delubra ſitu vetuſto nutent, quantas calamitates pauperum miſerrima multitudo ferat, eſt cuique veſtrum exploratiſſimum. Hic miramur, hominem tam excellere cæteris, cujus omnes curæ, omnes cogitationes, omnia ſtudia in religione non modo ſervanda, ſed etiam amplificanda evigilant: cujus animus adeo eſt ſemper cupidus in DEI OPTIMI MAXIMI, *in Deipara, ejuſdemque Virginis, cæli reginæ, in Divorum Cælitum, quos virtus, pietaſque, & merita præclara, accedente propenſa in eos* DEI *benignitate, ac liberalitate, ex hominibus in cælum evocarunt, templa*

con-

congerendi omnia ornamenta, ut magna ex parte, quod ex religioſorum prædiorum fructibus legit, in ſacris ædificiis conſumat: de reliquo eos qui aliorum miſericordia vivunt, liberaliter alit. Arbitror, neminem veſtrûm eſſe qui non viderit, quæ templa, quæ loca ſacra reſarſerit, quæ auxerit, quæ ſumma impenſa affabre, lauteque poſuerit. Quis, quæſo, non in primis miratur ædem illam quam in commodiſſima urbis parte, arte quadam incredibili ſtruxit, duabuſque Divis MARGARITÆ, atque PELAGIÆ dicavit? quum in tanta operis fabrica videat, ut mirabili varietate, atque ordine incredibili, unici Filii a DEO inenarrabili partu æternum geniti, a Virgine ſolum afflatu divino, haud fabuloſe, concepti, ortus, vita, haud imitabilia ſigna, horrenda funera, quæ voluntate ſua pro miſeris mortalibus ſubiit, expreſſa ſint. Sunt in eadem æde duodecim pulcherrima CHRISTI ſociorum ſigna ſummo artificio, quæ non modo hunc hominem ingenioſum, atque intelligentem, verum etiam divino cultui maxime deditum ſignificant. Quid dicam de ſacrario in quo ſacratiſſimum CHRISTI Corpus conſervatur? quanta animi ſolertia, & ingenii perſpicuitate eſt fabricatum! Quare Cremonam ut quiſque aliunde venit, hæc viſere ſolet: omnibus hæc ad viſendum patent quotidie. templum eſt non artifici magis ornamento, quam civitati. Age vero, quanta ſit pietate, conſiderate. hæc eſt aliarum virtutum (quod vos non ignorare arbitror) quæ ſunt in hoc homine plurimæ, & divinæ, quaſi princeps, & regina, ut in aliis neminem ei anteponere, in hac ne conferre quidem poſſim. Quis enim hoc homine pietate inſignior? quem non minus delectat apud ſe videre egenam turbam, quam nobiliſſimum cœtum. id quod in dies magis fit perſpicuum, non modo ex pecunia quam e ſacris fundis quæſitam, in eos qui aliorum miſericordia vivunt, erogat, ſed etiam ex frugibus, fructibuſque quos eiſdem large effuſeque ſuggerit. Porro, ſi quos ſciat, mendicare ingenuo pudore prohiberi, miſertus eorum egeſtatis, ad eos comportari jubet quæ ad victum, veſtitumque pertinent; ſcienſque, eam pecuniam quam ex religioſis prædiis quotannis quæſitam habet, haudquaquam hæredibus ſuis, ſed magis illis qui rerum omnium inopes ope aliena indigent, deberi, eam in tres dividit partes, quarum unam in templorum inſtaurationem quibus præeſt, in aliaſque res quæ ad DEI OPTIMI MAXIMI cultum ſpectant; large, digneque effundit, atque conſumit: alteram in pauperes plene dividit: tertiam in uſus vitæ pontificiæ neceſſarios transfert. ita ſanctorum patrum voluntatem optima fide ad obolum exſequitur. Jam vero quanta ſit frugalitate, quis ignorat? cui quum compertum ſit, frugi hominem dici multum habere laudis in Antiſtite, nihil umquam prius habuit, quam motus animi appetentis regere, & ſedare, ſemperque adverſantem libidini moderatam in omni re ſervare conſtantiam: quod eſt proprium frugalitatis, ideſt modeſtiæ, & temperantiæ, munus. Non eum deſidia, non luxuria a rectiſſima vivendi ratione revocat: non ſoli ubertas ad voluptatem; non amœnitas ad delectationem, non multarum rerum jucundiſſimarum varietas ad inania otia; quæ non modo flexibilis ætas, ſed &

jam

jam corroborata caperetur: non denique labor ad quietem. Poſtremo convivia, quæ cæteri bis in die laute, ſplendideque ornanda eſſe arbitrantur, ea ſibi ſemel parce paranda eſſe exiſtimat; ut credere incipiamus, fuiſſe noſtros majores hac quondam abſtinentia; quod nobis incredibile, ac falſo hominum memoriæ proditum fuiſſe videbatur. Itaque omnes nunc MARCUM HIERONYMUM VIDAM *intuemur ſicut aliquem de cælo delapſum, unde omnis antiquitatis exemplum ſumatur. Jam vero ita facilis eſt in audiendis, reddendiſque ſermonibus, ut difficile dictu ſit, quantum ejus affabilitas, comitaſque ſermonis omnium qui eum adeunt, animos alliciat. ad ſe autem adire is permittit omnem civitatem, omnem ætatem, omnem ordinem, omnibuſque ita humanum, ita alacrem, ita jucundum ſe præbet, ut qui ſemel ad eum divertit, admiratus humanitatem, morum ſuavitatem hujuſce viri, non poſſit ſe continere, quin poſtea eum conſilio, volentique animo ſæpius viſat: nihil ille ſibi gratius, nihil optatius contingere poſſe arbitratur, quam in ejus amicitiam recipi, eum de aliqua re differentem audire, cum eo colloqui. Jam quanta ſit liberalitate, nemo ignorat; cujus ratio quum hujuſmodi ſit, ut nihil hac ſit natura hominis accommodatius, nihil item magis lubricum atque inconſtans; propterea quod alii gratificantur cuipiam quod obeſt illi cui prodeſſe velle videantur: alii cupidi ſplendoris, & gloriæ eripiunt aliis quod aliis largiuntur, hique arbitrantur, ſe beneficos in ſuos vel propinquos, vel amicos viſum iri, ſi eos locupletent quacumque ratione; quod quidem tantum abeſt ab officio, ut nihil eſſe poſſit magis contrarium: ſunt etiam multi qui in beneficiis collocandis fortunam hominum ſpectare ſoleant, ut eamdem gratiam, aut etiam cum fænore, recipiant. Non eſt quod in hac re eum corrigi poſſe quiſquam arbitretur, quum is maxime videat, ut & ea liberalitate utatur quæ proſit amicis, nemini noceat; & rariſſime contingat, ut aliorum opera indigeat, & is tamen quamplurimis ob ſingularem ejus naturæ liberalitatem, atque amplitudinem benigne facere & ſoleat, & poſſit; quumque eum natura finxerit ut de omnibus ad bene merendum ſit propenſus, in eos præſertim qui iis artibus in quibus ipſe excellit, ſe dedunt, ſuum ſtudium libentiſſime conferre non ceſſat, &, ſi quos ſciat vel amicos, vel cognatos in literarum ſtudia incumbere rerum inopia prohiberi, illis eximia liberalitate ſubvenit. Quare quum de literis bene merendi ratio ſit duplex; nam & qui aliquid ſcribit, & qui alios ut literas amplectantur, vel cohortatione, vel opibus ſuis excitat, bonas artes adjuvare exiſtimatur; hanc laudem (quod ne apud veteres quidem ſæpe accidit) is unus conſequutus eſt. Quotus etiam, rogo, vobis videtur ille idem Antiſtes quum eſt aliquo beneficio provocatus? qui profecto non ſolum eadem menſura qua acceperit, ſed etiam cumulatiore reddit, agros fertiles imitans, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Et quoniam magnitudo animi, gravitas, conſtantia multum in religione adminiſtranda interdum valent, quæ omnes docti, atque ſapientes ſumma, quidam etiam ſola bona eſſe dixerunt; hiſque non modo ad bene, ſed etiam ad beate*

viven-

vivendum contentam virtutem eſſe ; certe , ſi exponere tentaverim , quanta ea ſint in hoc homine , vereor ne ineptus videar. Quid enim eſt magis ineptum quam ea diſſerere quæ ipſe forſan minus didiceris : qui vero te audiant , plane cognoverint , & probe meminerint ? Atqui multos hoc in loco intueor qui quæ præclare , fortiterque geſſerit VIDA, *optime ſciunt. quos ſi interrogem , qualis tandem hic homo ſit , profecto reſpondebunt , quod jamdudum dici ſolet , Homo omnium conſilio , virtuteque præſtantiſſimus. Longum eſſet omnia recenſere hujus viri egregie facta in quibus ejus officium , ac fides erga rempublicam , & ſocios , cum fortitudine enituit.* unum tamen ſilentio non præteribo. Quippe ſuperioribus temporibus quum multorum annorum induciæ inter Carolum Quintum , & regem Gallum pacta eſſent , Gallus , qui Mediolano inhiabat , ejuſque totius provinciæ ditioni , a qua ejectus fuerat , fracta fide , violatiſque clam induciis , Albam , Claraſcumque , municipia in Ligurum finibus munitiſſima , quæ a Cæſarianis tenebantur , tentavit per dolum capere ; miſſiſque per noctem ab Auguſta Taurinorum tot cohortibus quot judicabat ſatis fore ad eam rem patrandam , bipartito exercitu , ſine difficultate Claraſcum cepit , perterritis repentino tumultu Cæſarianis militibus. Albam quoque munitiſſimum oppidum , quod ſemper fuerat Cæſaris municipiis valde opportunum propugnaculum , deventum erat ; jamque Gallicanæ cohortes , duce Joanne Antonio Benevellano , ſuperata foſſa , admotiſque ſcalis muros aſcenderant ; aliqui & ingreſſi erant urbem , Cæſarianis militibus , qui in præſidio collocati fuerant , cedentibus , arcemque , & tutiora loca urbis propere petentibus ; niſi obſtitiſſet inſignis fides , & memoranda animi fortitudo* VIDÆ, *Cremonenſis ſacerdotis , atque in ea civitate ſacerdotum principis , & ſacrorum Antiſtitis ; qui audito tumultu , cognitoque periculo , abjecta pontificia perſona , ſumtoque ſago , populum ſibi incredibili benevolentia devinctum armavit , factoque agmine , ad ſemicaptæ urbis locum properavit : hoſtes qui ingreſſi fuerant , cepit ; qui murum aſcenderant , eos dejecit , deturbavitque in foſſam præcipites : cæteri vero omnes fugæ conſilium , projectis omnibus , ceperunt , relictiſque ſcalis , ſudibus , ferreis harpagonibus , cæteriſque bellicis inſtrumentis , in fugam turpiter converſi ſunt. ſic ab omni cædis periculo , vaſtationiſque metu urbem virtute ſua liberavit. Felix igitur* MARCUS HIERONYMUS VIDA, *qui in omni genere diſciplinarum quæ digna ſemper habita ſunt homine libero , excellit : cui ad veterum ſcriptorum omnium ex omni ætate atque memoria laudem pervenire contingit. Beatus vir cujus famam , propter ejus clariſſima literarum monimenta , nulla eſt obſcuratura oblivio ! felicia ſæcula quibus talem virum mirari contingit ! fortunatiſſima patria quæ talem tulerit virum , qualem num-*

* Hoc VIDAE facinus ipſiſſimis fere verbis Faballus deſcripſit quibus Auctor Cremonenſium Orationum III. adverſus Papienſes in controverſia Principatus ; ut videre eſt infra, in Teſtimoniis de VIDA. alibi etiam in hac Oratione ejuſdem verbis uſus eſt.

numquam tulit! nam ſi maxima cum diligentia omnes veſtrorum majorum annales revolvatis, neminem reperietis, ſcio, qui cum hoc homine ſit aliqua in re comparandus. bonos ſane homines fuiſſe fateri poſſumus, neque cura, ingenio, literis carentes: ſed tamen dicendum eſt, non tales fuiſſe qui ad hunc aſpirare potuerint. Multos ſane vobis enumerare poſſem quos Cremona, feraciſſima ingeniorum, noſtra, patrumque memoria tulit viros excellentis doctrinæ, atque induſtriæ, qui ſunt graviſſimorum ſcriptorum monimentis perpetuis commendati: ſed nihil agerem. Cur tam multus ſum in commemorandis hujus hominis virtutibus? hæc fortaſſe de ſe prædicari ægre fert homo omnium temperantia, & prudentia moderatiſſimus; qui etiam ſi omnium ore, ubique gentium laudetur, cuncta tamen laudis blandimenta refugiens, ſibi potius eſſe vult, quam aliis videri. Eſt enim ſua laude contentus, & hominum conſcientia; & quidquid agit in ſtudiis, non tam ad immortalem famam adipiſcendam agit, *quam ad patriam ſuam illuſtrandam. Sed concedat, quæſo, præſtantiſſimus vir, & ſinat, me hoc impetrare a ſua modeſtia, ut ea quæ pro ejus laude dixi, pro mea ingenii tenuitate, grata fuiſſe intelligam; neque enim eſt ſane diſſimulandum quod obſcurari minime poteſt, ſed præ nobis ferendum eſt. Quis enim non laudis ſtudio trahitur? quiſve non adducitur gloria? nonne philoſophi in illis libellis quos de contemnenda* gloria *ſcripſerunt, dum nomen ſuum inſcripſerunt, de ſe prædicari, ac nominari voluerunt? Quid Cicero, qui rerum ſuarum conſcius, ſe ardere incredibili cupiditate, ut ſuum nomen a Luccejo, ingenii ſuavitate præſtantiſſimo, celebraretur, dicere nequaquam erubuit: numquid is exiſtimavit, turpe eſſe de re honeſta quemquam quærere laudem? Quid complures alii ingenio præſtantes? qui ducti gloria, bonis artibus ſe dediderunt, non ignorantes, nullam aliam mercedem laboris virtutem deſiderare, præter hanc gloriæ, & laudis; qua quidem detracta, nihil eſt ſane quare in tam brevi vitæ curriculo tantis nos in laboribus exerceamus. Hæc igitur noſtra laudum præconia, quæcumque ſint, ſincero, & omni adulationis ſuſpicione carente animo edita, libenti animo admittat, præſertim quum me nihil mentiri ſentiat, nihil verbis exaggerare, nihil oratione amplificare; ſed potius cuncta ferme verborum inopia extenuare, premere, affligere; unde potius mihi petenda eſt venia ad ignoſcendum, qui id profiteri viſus ſim quod omnibus numeris, atque partibus minime explere potuerim. Vos autem oro, atque obſecro, cives Cremonenſes, ut ſi in hoc celebrando viro multus vobis viſus ſum, mihi veniam detis: non tamen id nimium vobis debet videri, qui tanti viri præſtantiam multis, & magnis virtutibus exaggeratam, ſpectatam habetis: ſed ut, a vobis moleſtiam dimoveam, hujuſque loci rationem habeam, mihi jam perorandum putavi. Tantum igitur ſupereſt, ut vos vehementer admoneam, ut primum* DEO OPTIMO MAXIMO *immortales gratias agatis, qui tam admirabilem virum vobis obtulit, atque dedit: deinde non tantum animis exſultetis, atque tumeſcatis, quod vobis contigerit civis ille qui omnibus ingenii gloria antecellit, qui omne ſuum ſtudium, atque omne ingenium confert ad*

ſuæ

ſuæ patriæ gloriam, laudemque celebrandam, qui apud omnes gentes ſanctus habetur, & dicitur, in quo viget æquitas, religio, pietas, pudor, pudicitia, in quo enitet humanitas, in quo virtus, atque conſtantia, juſtitiaque, atque integritas reviviſcit: quarum omnium virtutum expreſſam ſpeciem, atque imaginem in oculis, atque in animis omnium populorum is fixit: ſed etiam quam viam ſtudio, labore, induſtria ipſe confecit, eamdem recta ingrediamini; patriæque exiſtimationem, quam ipſe literarum clariſſimis monimentis auxit, & illuſtravit, tota mente, omnique animi impetu, & diligentia ſuſtentetis. Dixi.

DE AUCTORIS VITA

ET SCRIPTIS.

Ex editione Carminum VIDAE Oxonienſi quæ prodiit annis 1722. & 1725.

M ARCUS HIERONYMUS VIDA Cremonæ * natus Gelelmum Vidam, & Leonam Oſcaſalam parentes † habuit. (1) Eos, pro generis nobilitate, res oppreſſit anguſtior, avitis opibus (quo caſu incertum) quamplurimum imminutis. Filium nihilominus ingenuis artibus inſtituendum, ne ad ſtudia natalibus *indigna* deprimeretur, enixe curaverunt. Hic itaque poſtquam (2) Cremonæ, & (3) Mantuæ primis literarum elementis, & philoſophia optime imbutus eſſet, Patavium mittitur. Ibi, & Bononiæ animum ad poeſim, & theologiam appellens, laudis futuræ ſedulo fundamenta jecit. Quot annos his in locis egerit, vel quo tempore Cremonam, hinc rediens, reviſerit, fruſtra quæſivimus. In patria autem, prope dilectas Serii ripas, adeo ſuavi lenique carminum curſu, ipſiuſquè fluminis non abſimili, (4) paſſim decantati, (ad quas ſe (5) puerum ceciniſſe ipſe teſtis eſt) eum non ita diu commoratum fuiſſe, ſatis conſtat. (6) Canonicorum enim Regularium Divi Marci apud Mantuanos Auguſtinianam domum vix ephebus ſubivit. (7) Nec multo poſtea, quippe adoleſcens admodum, caris parentibus longum vale dicto, Romam conceſſit, *in Canonicorum* Regularium Divi Joannis Lateranenſis Congregationem adſcitus. (8) Hic dum poeſeos, & theologiæ gloria floruerit, & virtutes cum ætate pariter accreverint, earum fama late innoteſcens, aures LEONIS X. attigit. *Pontifex optimus*, *pro* affectu ſuo in literatos ſingulari, tanti viri amicitia carere noluit. Eum igitur e cœnobii tenebris ad Romanam curiam evocavit. Ad ſe propius admotum, penitiuſque cognitum, (9) adprime habuit in deliciis, & muneribus auxit.

Ingenium VIDÆ licet hactenus levioribus argumentis præcipue fue-

(1) VIDA in Carm. cui tit. *Gelelmi Vida*, *& Leona Oſcaſala parentum Manibus*, v. 60. (2) Celſus de Roſinis in Lycæo Lateranenſi, & Barth. Botta in Præf. ad Com. in Chriſt. (3) Boiſſardus in Icon. Viror. Illuſt. (4) Bombyc. L. 2. Poet. L. 1. & Ecloga 2. (5) Scacch. v. penult. (6) Celſus de Roſinis in Lyc. Lat., & Ghilinus in Theatr. Viror. Liter. Italice. (7) Joannes Imperialis in Muſæo Hiſtor. & Freherus in Theatr. Vir. Clar. (8) Barth. Botta in Præf. ad Com. in Chriſt. Freherus in Theatr. Vir. Clar. & J. Imperialis in Muſ. Hiſtor. (9) VIDA in Poem. cui tit. *Gelel. Vida*, *& Leon. Oſc. par. Man.* v. 17.

* (1470. in vicinia S. Leonardi) † Quem in ſomnis, ut fertur, adhuc inedicum, tanquam cycni pullum in gremio ſibi plumeſcere viderunt, & alis acceptis in altum volantem ſuaviſſimos cantus depromere. *Ariſius T.* 2. *Cr. Lit.* p. 100. 101.

fuerat exercitatum, omnium tamen judicio idoneum videbatur, & par graviſſimis exornandis. LEONI igitur quum in animo eſſet, ut inveniret aliquem qui Chriſtianæ Religionis Auctorem & Ducem Maronianis numeris non indigne celebraret, quo argumentum adeo ſublime minus dehoneſtaretur, (1) auctorem noſtrum, propoſitis præmiis, ad ſcribendam CHRISTIADA cohortatus eſt. VIDA, utcumque imparem ſe muneri impoſito verecundior judicaret, Pontificis imperio morem gerendum eſſe cenſuit. Opus igitur arduum, & (ut ipſe (2) vocat) periculoſum, aggreditur; quod ut felicius exigeret, (3) Prioratu Tuſculano Divi Silveſtri donatus eſt, ubi ſtrepitu, moleſtiiſque aulicorum ſemotus, blando Muſarum commercio magis vacaret.

At vero hic loci debitæ laudes nequaquam denegandæ ſunt Joanni Matthæo Giberto, cui VIDA noſter acceptum videtur referre, quod ea apud LEONEM valeret gratia, præſertim quod (4) Prioratum hunc ab eo obtineret. Quorum utriuſque, & LEONIS, & Giberti beneficia gratiſſimò uſque recoluit animo; quod abunde teſtantur iſta carmina (5), tum quibus eos in terris adhuc agentes celebravit, (6) tum quibus eorum mortem, ubi ſpes mercedis eſſe deſiit, pie deflevit.

VIDA Tuſculi factus incola, quieto potitus eſt illo vitæ genere quod (7) diu appetiverat; eodem plane quod (8) Poeticorum libro I. egregium quicquam inchoanti quærendum eſse, ſtatuit, & tantis effert laudibus. Hic literato beatus otio patrem Virgilium non magis carminum gloria æmulatus eſt, quam ſecreto a vulgi oculis ſeceſsu, in quo (teſte Auctore Dialogi de Cauſſis Corruptæ Eloquentiæ) princeps ille poetarum neque apud divum Auguſtum gratia caruit, neque apud Romanos notitia. In hac peramœna, & amiciſſima Muſis ſede exſequendis patroni mandatis ſedulus (9) incubuit. Interea vero ſe non ita ſecluſit, quaſi prorſus lateret; non ita huic uni operi incubuit, quaſi ad cætera omnia ineptus, & inutilis futurus; (10) eruditorum hominum conſortio ſeſe lubens expoſuit, labori voluptatem, utili dulce ſapienter attemperans. (11) Omnibus enim ingenii, & literarum nomine inſignioribus domum ſuam, quaſi publici juris factam, numquam non

u 2 pa-

(1) VIDA in P. S. ad Chriſt. (2) Id. Ib. (3) Barth. Botta in Præfat. ad Com. in Chriſt. Joan. Imperialis in Muſæo Hiſt. & Freherus in Theatr. Vir. Clar. (4) VIDA in Ode 1. ad J.M. Gibertum. (5) Scil. Ode LEONI X. inſcripta, duæ Odæ, & Epiſtola ad J. M. Gibertum. (6) Poet. l. 2. ſub fin. Epiſt. ad J. M. Gibertum v. 26., & Carmen, cui tit. *Joan. M. Giberto non in Apotheoſin relato*. (7) Ode 1. ad J. M. Gibertum. (8) v. 489. (9) J. Imperialis in Muſæo Hiſt. & Barth. Botta in Præf. ad Com. in Chriſt. (10) J. Imperialis in Muſ. Hiſt. Freherus in Theatr. Vir. Clar. & Barth. Botta in Præfat. ad Com. in Chriſt. (11) Barth. Botta in Præf. ad Com. Chriſt.

patere voluit. (1) Ita purioribus vitæ gaudiis animum oblectans, felicitatis apicem ſibi viſus eſt attingere. At voluptates haſce innocuas duplici infortunio violatas habuit. (2) Dum enim apud Tuſculanos ageret, parentes, eodem fere mortis telo perculſi, Cremonæ ſupremum diem obïerunt. Quanto mœroris ſenſu nuntium tam acerbum filius cum primis pius acceperit, abunde patet e lugubri illo carmine quod eorum Manibus conſecravit. Idem etiam circa tempus morti ceſſit Leo X. cum quo & ſpes, & ratio ſtudiorum poetæ noſtro aliquamdiu defecerunt. Hæ vero duobus annis nondum elapſis poſt Hadriani VI. mortem, cum Clemente VII. ad Pontificatum evecto renatæ ſunt. Ille abſolvendam Christiada denuo Vidæ demandavit; (3) & abſolutam, una cum auctore ſuo jampridem per communionem ſtudiorum cognito, beniginiſſime excepit. (4) A. D. MDXXXII. Febr. die ſexto eum Albæ Pompejæ ad Tanarum Epiſcopatu (per Antonii Moli mortem vacante) præmio tanti operis meritiſſimo, donavit.

Vida poſt dignitatem hanc acquiſitam (5) per duos plus minus annos cum Clemente Romæ vixit. (6) His exactis, noluit in Urbe vel ignavus diutius morari, vel ambitioſus (prout hodie quorumdam mos eſt) ulterioribus titulis, & honoribus inhiare. Albam igitur ſe contulit Epiſcopus, ut populo ſibi commiſſo fidelius invigilaret. Quumque ampliorem agendi campum adeptus eſset, ſpem de eo conceptam minime fefellit. Virtutes quas in animo privatus conceperat, jam in publicum *provectus, cum* honore exercuit. (7) Et ſincera in DEUM pietate, & ſimplici vitæ innocentia ſpectabilis, non minus exemplar morum, quam cenſorem ſe exhibuit. Divino cultui adeo feliciter proſpexit, ut, (8) templorum alia prorſus exſtruendo, *religionem* quaſi de novo inſtauraverit; alia reficiendo, nitorem quemdam ei addiderit & venerationem. Singulis denique quæ DEI OPTIMI MAXIMI gloriam quomodocumque promoverent, faciendis ſe ſuaque omnia addixit. Nec integerrimi Præſulis tantum, ſed & amantiſſimi Patris nomen ab Albenſibus promeruit. (8) Quum enim a Gallis oppugnaretur Alba, civitati acerrimis cohortationibus, ne ſe in manus hoſtium dederent, perſuaſit, plebemque fame laborantem propriis impenſis liberaliter ſuſtentavit. Talibus humani ingenii, animique in eos quibus præfuit, propenſiſſimi officiis per univerſum

(1) V. Carm. cui titul. *Gelelmi Vida, & Leona Oſcaſala parent. Manib.* (2) Vid. verſ. 4. ejuſdem Carm. (3) Freherus in Theatr. Vir. Clar. & Botta in Præf. ad Com. in Chriſt. (4) Ughellus in Italiæ Sacræ Tom. 4. (5) Ghilinius in Theatro Viror. Liter. & Freherus in Theatr. Vir. Clar. (6) Iidem Auctores. (7) Botta in Præf. Ghilinius in Theat. Viror. Liter. Celſus de Roſinis in Lyc. Lateran. & Freherus in Theat. Vir. Clar. (8) Vid. Auct. Hymnum 2. D. Paulo Apoſt. Hymn. D. Caſſiano, Hymn. 2. D. Margaritæ, & Freherum in Theatr. (9) Celſus de Roſinis in Lyc. Lateran.

ſum vitæ decurſum præſtitis, allexit omnium ſibi benevolentiam. Ita per annos triginta quinque populum Albenſem felicibus gubernavit auſpiciis. (1) A. D. M. D. LXVI. Septembris die viceſimo ſeptimo, ſenio confectus (2) quippe nonagenario major, in eadem qua vixerat, pietate placide ad DEUM migravit. (3) Defuncti reliquiæ cum inſigni funeris pompa, & officio luctus non mediocri, comitantibus omnium ordinum Albenſibus, elatæ ſunt, & in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultæ. (4) Paullo poſt Cremonenſes alumno de illis optime merito exſequiis in majori urbis templo magna frequentia celebratis, & publicis elogiis honorifice parentarunt (5), eique ſplendidum monumentum erexerunt ſequenti ornatum epitaphio: *

D. O. M.
M. HIER. VIDAE. ALBAE. EPISCOPO
QVEM. PROBE. OMNES. NORVNT. CIVITAS
CREMONA. DECRETO. SEPVLCRO. SVMPTV
PVB. CIVIT. QVI. DE. VNIVERSA. CIVITATE
B. M. EST. PARENTAVIT. V. A. N.
QVI. CVM. QVIDQVID. IN. EGREGIVM. HOMINEM. LAVDIS. DICI. POTEST. IN. EVM. BENEFICIO. NATVRAE. FVERIT. COLLATVM. IMMORTALITATE. ERAT. DIGNVS. NISI. NATVRAE. COMMVNIS. CONDITIO. OBSTITISSET VIVIT. TAMEN. ADHVC. APVD. NOS. VIVETQVE. AETERNVM. AD. POSTEROS. BENEF. IVCVNDISS. AC. PERPETVA. RECORDATIONE QVI. OMNIBVS. ERGA. GREGEM. SIBI. COMMISSVM. OFFICIIS. FVNCTVS. PIET. CARIT. FIDE. CONST. PRAECLARVS. OMNIBVS. CARVS NEMINI. NOXIVS. A. NOBIS. DISCESSIT. SVO
MAGIS. QVAM. ALIORVM. TEMPORE
QVI. NON. SOLVM. PIE. ET. SANCTE. DEVM COLVIT. SED. ITA. ETIAM. CECINIT. VT. IN CAELO. LOCVM. VBI. BEATVS. AEVO. SEMPITERNO. FRVATVR. ET. IN. TERRIS. AETERNAM. SIBI. GLORIAM. MAXIMO. OMNIVM
MORTALIVM. FRVCTV. COMPARARIT
OBIIT. ANNO. M.D.LXVI. XXVII. SEPTEMB.

Quæ

(1) Thuanus Hiſt. L. 39. (2) Celſus de Roſinis in Lycæo Lat. (3) Idem Auctor. (4) Thuanus in Hiſt. lib. 39. (5) Antonius Campus in Hiſtor. Cremon. Ghil. in Theatro Viror. Liter. Cavitellius in Cremonenſ. Annal. Freherus in Theat. Vir. Clar., & Ughellus in Ital. Sac. Tom. 4.

* Fallitur hujus narrationis Auctor quiſquis eſt, nam Cl. Vir Franciſcus Ariſius, qui rem optime ſcire potuit, Tomo II ſuæ Cremonæ Literatæ pag. 104. hæc habet: *Inter inſcriptiones funebri pegmati appoſitas, dum eidem in Cathedrali Cremonæ publice parentabatur, hæ legebantur.* Cujus ſententiæ Thuanus, & Ughellus adſtipulantur. C. V.

Quæ VIDA ſcripſit, & agnovit Poemata, ab ipſo adhuc vivente in duos tomos congeſta ſunt, & Cremonæ A.D.MDL. accurate impreſſa. Tomo I. continentur quæ ad CHRISTI veritatem pertinent, videlicet HYMNI de rebus divinis, & CHRISTIADOS libri ſex. Secundo quæ (Auctor) haud plane disjunxit a fabula, videlicet de ARTE POETICA libri 3. de BOMBYCE libri 2. SCACCHIA liber unus, BUCOLICA ECLOGÆ tres, & CARMINA diverſi generis. Præter comprehenſa hiſce tomis Poemata, VIDÆ attribuunt (1) Gyraldus, (2) Freherus, & (3) Borrichius, XIII. *Italorum pugilum cum totidem Gallis certamen*. (4) Ughellus, (5) Ghilinius, (6) Freherus, & Auct. Indicis Bibl. Barb. *Carmen paſtorale in obitu Julii II. Pont. Max.*, & idem Auct. Ind. Bibl. Barb. *Epicedion in funere Oliverii Cardinalis Caraſæ*. Sed hæc, monente ipſius VIDÆ teſtimonio, (7) adulterina cenſenda ſunt.

Oratione ſoluta ſcripſit VIDA *duos Dialogos de Reipublicæ dignitate*, Cremonæ impreſſos A. MDLVI. *Conſtitutionum Synodalium lib. I.* ibid. impreſſum A. MDLXII., & *Epiſtolam ad Bartholomæum Bottam*, illius Commentario in Chriſtiada præmiſſam. Scripſit etiam, ſi Ghilino fides (8) habenda ſit, Librum de Magiſtratu; quem ſe vidiſſe teſtatur (9) Antonius Poſſevinus. Opus autem hoc (10) nec Ghilinii tempore, nec ad hunc uſque diem, quantum audivimus, in lucem prodiit. Auctor Indicis Bibl. Barb., & Celſus de Roſinis, *Cremonenſium Orationes tres contra Papienſes in controverſia Principatus*, VIDÆ adſcribunt. Has autem ei non temere eſſe adjudicandas (11) alibi innuimus. *

(1) In 1. Dial. de Poet. ſuor. Temp. (2) In Theatr. Clar. Vir. (3) In Diſſ. Academ. de Poet. (4) In Ital. Sac. T. 4. (5) In Theatr. Viror. Lit. (6) In Theatr. Clar. Vir. (7) Vide Auct. P. S. Edit. Cremon. Oper. annexum. (8) Vide Theatr. Viror. Liter. (9) Vide Celſum de Roſinis in Lycæo Lat. (10) Vide Theatr. Viror. Liter. (11) Vide annot. ad v. 533. lib. 3. Poet.

* De Arte Oratoria tractatum ſubtiliſſimum: Paraphraſim in omnes Evangelii Scriptores, ad Delphinum Franciæ Regis filium, *Cl. Ariſius eum ſcripſiſſe memorat*.

DO-

DOCTORUM ALIQUOT VIRORUM
DE M. HIERONYMO VIDA,
EJUSQUE SCRIPTIS
SELECTA
TESTIMONIA.

Pietro Bembo, Cardinale, nelle Lettere, Vol. III. lib. III. Lettera I. a M. Giovan Matteo Giberto. a Roma.

A Monſignor lo Cardinale ſarete contento di baſciar la mano a nome mio, od a Monſ. di Capua, al quale io ſcriſſi a queſti dì, od al voſtro gran debitore, e nondimen ricco da potere altamente ſoddisfarvi, e dal mondo onorato Vida.

Augustinus Valerius, *Cardinalis, de Cautione adhibenda in edendis libris, edit. unica Cominiana pag.* 42. 43.

Veronenſem illum meum Fracaſtorium, poetam inſignem, & Cremonenſem illum Vidam, Sannazarium etiam, poſt inſignes quos commemoravimus poetas, (*antiquos ſc.*) quis non legat interdum?

Jacobus Sadoletus, *Cardinalis, lib. V. Epiſtolarum, Epiſtola ad Angelum Colotium.*

Quo in genere recordor preſſum, & acutum Caſanovam; Capellam latum, & ſonantem; magniloquum Vidam, & cujus proxime ad antiquam laudem carmen accederet.

Idem, libro eodem, Epiſtola ad Sebaſtianum Gryphium.

Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum (*ſc. Poema Aonii Palearii de Immortalitate Animorum*) Actii Synceri, & Vidæ, doctiſſimorum hominum, ac præſtantiſſimorum poetarum, ſcriptis adjunxiſſe: cum quibus certe hic jure comparari poteſt.

Cælius Calcagninus *de Calculorum ludo. pag.* 299. *Edit. Baſil. Oper. Var.*

Quæ omnia in ſcaporum certamine longe aliter obſervantur: & operoſius dicenda forent, ſi quis modo id ſui feciſſet inſtituti: ceu Vida meus, vir unus ad poeticam natus, & doctorum judicio elegantiſſimus, id luculento admodum carmine olim fecit.

Stephanus Doletus, *Commentariorum Linguæ Latinæ Tomo II. col.* 163. *in verbo* ALVEOLUS.

Ponitur præterea pro tabula luſoria, quæ alio nomine dicitur latrunculаria, & aleatoria, ab aleis, & latrunculis; id eſt, calculis, & vulgo

Scac-

Scacchis: quibus hinc biſſeno puncto, illinc quadris diſcoloribus utimur ad ludum. Quem ludum mira ingenii dexteritate, & ſingulari carminis felicitate, gravitateque deſcripſit Hieronymus Vida, Cremonenſis, poeta poetarum noſtræ ætatis longe præſtantiſſimus.

Lilius Gregorius Gyraldus *de Poetis ſuor. tempor. Dialogo I. edit. noviſſ. col.* 537.

Admirari ego ſoleo, id quod vos minime fugit, M. Hieronymum Vidam, Cremonenſem, unum ex ſodalibus quos a vitæ regula *Canonicos* appellamus, quem unum hac tempeſtate, meo judicio, eo perveniſſe videmus quo ſine Græcis, duce eum primis Vergilio, pervenire poeta poteſt; adeo ut a * malevolis, ſurripere, nedum ſumere, dicatur. in nullo certe Maro magis deprehenditur: hanc ille incudem die noctuque tundit, uni inſiſtit; vaſtus illi animus atque poeticus: præcipua ejus, ut mihi quidem vide-

---

* Vidae obtrectatoribus accenſendus anonymus auctor Confutationis fabulæ Burdonum, qui tamen ab eruditis putatur Daniel Heinſius; pag. enim ejus libri 332. hæc habet: *Qui de* Hieronymo Vida *aliter ſentiet quam de ſummo, & perfectiſſimo poeta, nugas aget. Tamen ſi ex Chriſtiade, Poetica, Bombycibus, ludicro Scacchiorum omnia Virgiliana furta ſuſtuleris, quod* Vidae *proprium relinquetur, aut perexiguum erit, aut nihil: ut paucis complectar, omnino corniculam Horatianam hic videbimus.*

Qui tamen ſi attentius Vidae Poeticam legiſſet, ab hoc utique iniquo, & præpoſtero judicio omnino abſtinuiſſet; quum Vida alius doceat, & ſibi laudi ducat id de quo hic reprehenditur. Sed illum ipſum audiamus, Poetic. lib. III. v. 210.

Atque ideo ex priſcis ſemper quo more loquamur
Diſcendum, quorum depaſcimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.
Aſpice ut exuvias, veterumque inſignia nobis
Aptemus. rerum accipimus nunc clara reperta,
Nunc ſeriem, atque animum verborum, verba quoq; ipſa:
Nec pudet interdum alterius nos ore loquutos.
Quum vero cultis moliris furta poetis,
Cautius ingredere, & raptus memor occule verſis
Verborum indiciis, atque ordine falle legentes
Mutato. nova ſit facies, nova prorſus imago.
Munere (nec longum tempus) vix ipſe peracto
Dicta recognoſces veteris mutata poetæ.
Sæpe palam quidam rapiunt, cupiuntque videri
Omnibus intrepidi, ac furto lætantur in ipſo
Deprenſi, ſeu quum dictis nihil ordine verſo
Longe alios iiſdem ſenſus mira arte dedere,
Exueruntque animos verborum impune priores.

Et paullo poſt:

Ergo agite o mecum ſecuri accingite furtis
Una omnes, pueri, paſſimque avertite prædam.
Infelix autem (quidam nam ſæpe reperti)
Viribus ipſe ſuis temere qui fiſus, & arti,
Externæ quaſi opis nihil indigus, abnegat audax
Fida ſequi veterum veſtigia, dum ſibi præda
Temperat heu nimium, atque alienis parcere crevit;
Vana ſuperſtitio, Phœbi ſine numine cura.
Haud longum tales ideo lætantur, & ipſi
Sæpe ſuis ſuperant monimentis, illaudatique
Extremum ante diem fœtus flevere caducos,
Viventeſque ſuæ viderunt funera famæ.
Quam ſuperent vano potius caruiſſe labore,
Eque ſuis alias didiciſſe parentibus artes?
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longe verbis proferre ſub iiſdem.
Nec mea tam ſapiens per ſe ſe prodita quiſquam
Furta redarguerit, quæ mox manifeſta probabunt
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Tantum abſit, pœnæ metuens infamis ut ipſe
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.

Hanc Vidae ſententiam, fortaſſe ex lectione illius Poeticæ, ſequutus eſt celebris ejus civis Hieronymus Fundulus in Prologo ſuæ LUCIAE. Comœdiæ elegantiſſimæ, adhuc ineditæ, cujus perelegans autographum Cremona nobis nuperrime miſit Vir Cl. Franciſcus Atiſius, ejuſque deſcribendi, & opus quoque typis impreſſum divulgandi (quod fortaſſe opportune a nobis aliquando fiet) benigniſſime poteſtatem fecit; ait enim:

In quo nos arguant, quæſo, animum advortite.
Ex Plauto, atque Terentio omnia pæne tranſtulit.
Iſtud vituperant factum; atque in eo diſputant,
Non fas eſſe alienos labores ſcribere,
Contaminari nec decere fabulas.
Quod iſti dedecus vehemens exiſtument,
Inſignem laudem puto, magnamque gloriam:
Hanc etenim fabulam placere ſentio
Populo; cunctaque probari quæ nos fecimus.

C. V.

videtur, virtus excellens, ac mira quædam in poeticis materiis diſponendis, illuſtrandiſque felicitas. Qua in re me decipi jure quidem nemo judicarit, qui vel ejus *latrunculorum ludum*, quem SCACCHORUM ille appellat, legerit, vel BOMBYCUM duos libellos, & *XIII. Italorum pugilum cum totidem Gallis certamen*; quod nuper ille Balthaſari Caſtalioni Mantuano, viro domi foriſque egregio, omniumque bonarum artium ſtudioſo, & poetæ perconi, miſit: necnon & POETICORUM, & CHRISTIADOS, quæ in apertum nondum ille retulit, nec quibus manus adhuc extrema acceſſit. Sed jam de VIDA ſatis, ne nos illum magis quam ſe ipſe laudare videamur.

PAULLUS JOVIUS *Hiſtoriarum ſui temporis lib. XLI. non longe ab initio.*

Sed alia Gallorum manus, quæ eadem nocte ad tentandam Albam contenderat, diſſimili eventu audaciæ ac diligentiæ ſuæ periculum fecit. Adorta ſiquidem urbis muros, eximia Franciſci Landriani cohortium, quæ intentæ excubabant, virtute depulſa eſt, Albanis incredibili ſtudio atque animo propugnantibus, adhortante præſertim pro ſalute patriæ decertantes, eorum Antiſtite HIERONYMO VIDA, poeta celeberrimo.

SEBASTIANUS CORRADUS *in Brutum Ciceronis, ubi de variis Latinæ Linguæ ætatibus loquitur.*

Quarta vere ferrea Gothorum, & Longobardorum temporibus uſque ad majorum noſtrorum memoriam, quum iterum *ultima Cumæi venit jam carminis ætas*. Tunc enim multi viri docti florere cœperunt, & hodie multi ut quum maxime florent; ut Joannes Baptiſta Egnatius, Lilius Gregorius Gyraldus, M. Antonius Antimachus, Paullus Jovius Novocomenſis, Lazarus Bonamicus, Romulus Amaſæus, Petrus Victorius, Marius Nizolius, Achilles Bocchius, Pierius Valerianus, HIERONYMUS VIDA *&c.* & alii, quos longum eſſet referre: qui tamen omnes jam cum veteribus videntur eſſe comparandi.

Q. MARIUS CORRADUS *de Lingua Latina lib. XIII. pag.* 445.

Utinam hanc (*poeticam ſc. facultatem*) ut hactenus multi fecerunt, ad illa trausferre pergamus, ut, antiquorum exemplo, res celebrare perſonaſque divinas poeticis numeris, eſſe nobis pulcherrimum credamus. Sed non deerunt qui Actium Syncerum, qui HIERONYMUM VIDAM, qui M. Antonium Flaminium, qui Baſilium Zanchium ſequentur.

BERNARDINUS PARTHENIUS *Oratione pro Lingua Latina.*

Sed circumſtant poetarum nobiliſſimi cœtus, quorum in tanto numero, ne totum diem illis recenſendis conteramus, in mentem veniat ſaltem Jacobus Sannazarius, quem divinitus in divinis verſatum, nemo non intelligit, antiquitatem vario ſcribendi genere provocaſſe: Molſam recordamini: occurrat VIDA: repetatur Lampridius: omnium puriſſimum, & candidiſſimum M. Antonium Flaminium in memoriam revocate, puro illum, ut eſt apud poetam, (*Hor. l.* 2. *Epiſt.* 2. *v.* 120.) amni ſimillimum.

Idem de Poetica Imitatione lib. 2. pag. 55.

VIDAM multis probari audivi: mihi quoque viſus eſt magni, & vere poetici eſſe ſpiritus. Quum enim ſibi (ut alia ejus omittam, quæ egregiam ſunt commendationem conſecuta) argumentum cum illo Sannazarii contentiens propoſuiſſet, tam prope ad illum acceſſit, ut in illius veſtigiis pæne videatur inſiſtere. Tantum objiciunt, nimium ſæpe in ἡμιϛίχια, atque in ipſas Virgilii ſententias incurrere. Plenus tamen, &, ut ſic dicam, currens putatur, in rebus collocandis prudens, in illuſtrandis felix, in ſuo autem Virgilio exprimendo nimius; in quem ſolum intuens, reliquis poſthabitis, ejus tantum lumine, nullo Græcorum præeunte, contentus fuit. Inter Sannazarium atque hunc, tantum differre judicarim, ut quo plus uni detrahas, eo minus alteri poſſis adjungere.

Auctor Cremonenſium Orationum III. adverſus Papienſes in Controverſia Principatus; Actione II. pag. 63. non obſcure de VIDA *ita loquitur.*

Poetas autem habemus non tantum ſuaves numeros, fabellaſque, & omnem antiquitatem tenentes, ſed cætera quoque doctos, & ſapientes; graves ſane viros, & honoribus quoque amplificatos, qui interiores, & reconditas literas penitus perſcrutati ſunt, & ad veterum poetarum laudem pervenere. Vix hic queo me continere, quin tantorum virorum nomen jam diu ubique pervagatum, nobilitatumque prodam, præſertim eorum qui extra aleam, ſupraque omnem invidiam jam ſunt collocati. Sed neque etiam in hoc inſultabo vehementius, neque inſolentius oratione volitabo, tum inſtituti mei memor, ne quem ex iis qui adhuc vivunt, vel honoris cauſſa nominem, tum quod iidem ipſi quum Cremona huc proficiſcerer, mihi id omnino interdixere, contenti ſua laude, & hominum conſcientia. Sunt nimirum prudentia, & temperantia moderati, ac continentes. & quamvis laudibus in tota Europa floreant, atque hominum ubique ore laudentur, magna tamen laudis contemtione, inſignes ſibi potius eſſe volunt, quam aliis videri: dicunt enim, ſibi ſatis eſſe ſecum frui beneficorum recordatione: & quicquid agunt in iis ſtudiis, quicquid moliuntur, non tam ad honeſtandum nomen ſuum, immortalitatique commendandum *, quam ut de communi hominum vita, præſertim de re Chriſtiana, ut religioſi & pientiſſimi, optime mereantur. Omne enim ſtudium ſuum, omnem curam fixerunt in ornanda religione, commentitia disjungentes a fabula, ut quæ ab antiquis poetis intacta, atque illibata uſque ad hæc tempora relicta fuerant, ipſi verſibus Latinis illuſtrata Muſis commendarent. A quibus quoniam Chriſtiana pietas, atque omnis ſanctitas omnino abhorrere videbatur, neque cum eis aliquid commercii habere, ipſi magno labore, atque induſtria effecere, ut aliquis locus eſſet reconciliatæ gratiæ; & quæ ipſis Muſis clauſa, atque inacceſſa hactenus fuere, pervia ipſi fecerunt, atque patentia. Hæc ſi negent Papienſes, quod minime reor eos eſſe facturos, regiones mutas implorabo, & ſola terrarum ultima, maria, portus, litora, & inſulas: quæ enim ora, quæ ſedes, aut locus quo non jam pervaſerint poetarum noſtrorum non tantum fama, verum etiam ipſa poemata, ac monimenta, tot ubique exemplaribus propagata, atque diffuſa? ubique gentium leguntur, ediſcunturque, & imitanda a præceptoribus, doctiſſimis viris, juventuti in ſcholis proponuntur. Quid vero etiam quum ea vulgaverint quæ recentiſſime elaborarunt, ſed adhuc

teneut

tenent compreſſa, * ut poſtea emendatiora, limatioraque edantur? poemata ſane inuſitata, & incredibilia, de abditis reconditiſque rebus, quibus nemo eſt auſus uſque in hanc diem aſpirare. Et ut poetarum modo de poetis loquar, noſtra ætate a noſtris poetis ad ſumma inacceſſarum rupium juga per aſperrima montium molli admodum, & plano tramite adductæ ſunt Muſæ: ipſi tamen modeſtiſſime fatentur, ſe ſperare, alios quoſpiam poſt ſe futuros qui viam quam ipſi perruperunt, molliorem, ac faciliorem reddere poſſint, Muſis omnibus approbantibus; ſibi ſatis eſſe quod aditum patefecerint, & tantæ rei aliquod quaſi ſpecimen poſteris commonſtrarint.

Idem Actione III. pag. 104. loquens de publicis Cremonenſium adoleſcentulorum præceptoribus.

Sacros etiam poetas tunc eis interpretantur; ſi quis inter bonos de CHRISTI pietate, quem nos ſequimur, colimuſque, elegantius ſcripſerit, propiuſque ad antiquorum poetarum excellentiam acceſſerit: ut una eademque opera & religionem, & linguæ Latinæ elegantiam, ac proprietatem arripiant, & aſſueſcant de Divis recta numeris loqui, & ſcribere, relictis antiquorum ſuperſtitionibus, ne molles adoleſcentulorum animi perniciosis, portentoſiſque religionibus imbuantur; donec paullum ætate progreſſi commentitia poſſint disjungere a fabula.

Ibidem pag. 105.

Ut poetas omittam, cæteroſque ſcriptores, qui impleruat orbem terrarum nominis ſui gloria.

Idem Actione II. pag. 79.

Longum eſſet, & prope infinitum omnia enumerare majorum noſtrorum egregie facta, in quibus eorum officium, ac fides erga rempublicam, & ſocios cum virtute enituit. unum tamen ſilentio non prætereibo. Quippe ſuperioribus bellis quum inter Cæſarem, & Regem Gallum pactæ eſſent multorum annorum induciæ, Gallus, qui Mediolano, ejuſque totius provinciæ ditioni, a qua dejectus fuerat, aſpirabat, rerum novarum cupidus, quietiſque diuturnæ impatiens, violatis clam induciis, Albam, Claraſcumque, municipia in Ligurum finibus munitiſſima, quæ a Cæſarianis tenebantur, a ſuis tentari, capique juſſerat; miſſiſque per noctem ab Auguſta Taurinorum tot cohortibus quot judicabat ſatis fore ad eam rem patrandam, bipartito exercitu, ſine ulla difficultate Claraſcum cepit, perterritis repentino tumultu, nocteque intempeſta Cæſarianis militibus qui ibi erant in ſtativis. Albam quoque jam deventum erat, jamque Gallicanus exercitus duce Joanne Antonio Benevellano, ſuperata foſſa, admotis ſcalis muros aſcenderat, aliqui etiam demiſſi ad terram, urbem jam ingreſſi erant, Cæſarianis ſtipendiariis qui ibi in præſidio collocati fuerant, cedentibus, arcemque, & tutiora loca urbis propere petentibus; parumque abfuit quin Albæ eadem fortuna fuerit

 quæ

* Hic non obſcure ſignificatur ſublimis, & elegantiſſimus liber HYMNORUM VIDAE qui paucis poſt menſibus, cæteris omnibus ejuſdem Carminibus præpoſitus, ab auctore ſuo publici juris factus fuit Cremonæ, anno ſcilicet 1550. menſe Novembri; quum Cremonenſium Orationes III. ibidem excuſæ fuiſſent anno eodem, menſe Quintili, in 8. quæ poſtea recuſæ etiam fuerunt Pariſiis anno 1562. Jacobi Antonii Bevilaquæ, Cremonenſis, operas item in 8. De VIDAE HYMNIS conſule Faballum in Oratione, pag. 145. hujus II. Vol. C. V.

quæ Claraſci; munitiſſimumque municipium, quod ſemper fuit contra Gallorum vim Cæſaris oppidis, ac rebus valde opportunum propugnaculum, procul dubio deveniſſet in hoſtium poteſtatem, niſi obſtitiſſet inſignis fides, & memoranda virtus Cremonenſis Sacerdotis qui eſt in ea civitate ſacerdotum princeps, & ſacrorum Antiſtes. Ille enim audito tumultu, cognitoque periculo, ſtatim, abjecta pontificia perſona, ſumtoque ſago, populum ſibi incredibili benevolentia devinctum, multiſque nominibus obnoxium armavit, factoque agmine ad ſemicaptæ urbis locum properavit. hoſtes qui jam ingreſſi fuerant, capti ſunt: qui murum aſcenderant, dejecti, deturbatique in foſſam præcipites. Demum cæteri omnes fugæ conſilium, projectis omnibus, ceperunt; multis relictis ſcalis, ſudibus, ferreis harpagonibus, cæteriſque bellicis inſtrumentis, cum magna vi pulveris ſulfurei: quibus omnibus Albenſis populus potitus fuit. Facile poterant Galli ad unum occidione occidi, omneſque illæ cohortes Gallicanæ penitus deleri, niſi in poſterum providens Epiſcopus veritus eſſet, ſe, & ſuos nocti committere. Si igitur ſacerdotes, quorum vitam, & conſuetudinem alienam remotamque eſſe oportet ab armis, tanta virtute præditi ſunt, tamque præclara facinora faciunt, ne non in fide permanſiſſe argui poſſint, qualem militum noſtrorum, Patres, virtutem ac fidem eſſe arbitramini? Interrogatus poſtea aliquando ab amicis Sacerdos ille noſter, licuerit ne Pontifici poſthabita religione arma capere, & ſe profanis, & bellicis actionibus implicare, reſpondit: Licere omnibus a patria periculum propulſare, & ſe eſſe ejus generis, & civitatis quæ reipublicæ ſemper utilis fuit & fide, & virtute; neque ſe poſſe a ſuis degenerare.

Hieronymus Faballus, *Laudenſis*, (1) *Oratione II. ad Decuriones Cremonenſes in Controverſia Gymnaſiarchia, pag.* 123.

Quid? Jacobus Syncerus Sannazarius, poeta celeberrimus, CHRISTI res geſtas miras, atque inſignes carmine attigerat, atque inchoaverat; ſed immaturo ipſius interitu perficere, atque foras dare non potuit. hujus rei teſtis eſt Petrus Bembus, Cardinalis. Audebiſne Syncero ipſi vitio vertere, qui non dubitavit ea tentare quæ jam a M. Hieronymo Vida, illo poetarum hujus ſæculi clariſſimo lumine, impulſu Leonis X. Pont. Max. optimorum poetarum figuris, atque virtutibus Latine, copioſeque ornata, ac illuſtrata erant, atque in hominum (2) manus emiſſa? num poetam cum altero certare voluiſſe dictitabis? tantum abeſt ut Syncerus in certamen cum Vida deſcendere voluerit, ut eum non modo mirifice dilexerit, amarit, coluerit, & obſervarit, ſed etiam ſuſpexerit, ac ſumme admiratus ſit, tum propter ſingulares, ac divinas ejus virtutes, tum propter ſtudiorum ſimilitudinem.

Be-

(1) Hujus Orationes V. ſatis profecto luculentæ de eadem Controverſia, editæ ſunt Cremonæ in civitatis palatio apud Vincentium Conctum, anno 1563. in 8.

(2) Hic toto cælo aberrat Faballus; nam Sannazarius ſuum de Partu Virginis Poema edidit primum Neapoli anno 1526. vivus ſcilicet adhuc, & valens (mortuus enim eſt anno 1530.) noſter autem Vida ob hoc præcipue editionem ſuæ Chriſtiados uſque ad annum 1535. diſtulit, quo Cremonæ primum publici juris eſt facta, ut lectores prius Sannazarii poemate ſatiarentur. De hoc conſule Hieronymum Nigrum infra, initio Catalogi Carminum Vidae Editionum. Ex hac ridenda Faballi hallucinatione manifeſtum eſt, quam neceſſaria ſit ſcripturo multarum rerum cognitio, quæ ab iis qui laborem libenter fugiunt, leves omnino judicantur; cujuſmodi ſunt epochæ editionum optimorum librorum, quas qui neſciunt, & de eorum auctoribus verba faciunt, neceſſe eſt incidere in hujuſmodi anachroniſmos. C. V.

BENEDETTO VARCHI nell'Ercolano.

C. E di M. Marcantonio Flamminio, e di Fra Baſilio Zanco, che dite? V. Quello che del VIDA*, e di molti altri che io per brevità non racconto, i quali non ſi poſſano lodare tanto, che non meritino più.*

Lo ſteſſo a carte 626. delle ſue Lezioni, nella Lez. della Poeſia; parlando de' Poemi Eroici.

Vivono oggi di quegli i quali per giudizio de' più dotti non pure adeguano gli Antichi, ma gli avanzano; ed io per me non iſtò punto in dubbio, che il Sifilo di Meſſer Girolamo Fracaſtoro non ſoverchi, e vantaggi tutti i poeti Latini antichi, eccetto i tre primi, Lucrezio, Catullo, e Vergilio, col quale nondimeno gioſtra alcuna volta, anzi tutto, del pari: per non dir nulla al preſente dell'Opere, pure Eroiche di Meſſer GIROLAMO VIDA, *degne di dover' eſſere piuttoſto ammirate, che lodate.*

Il DONI *ne' Piſtoletti. lib. II. della edizion di Venezia del Marcolini* 1554. 8. *a carte* 111.

All'amiciſſimo ſuo, M. Vincenzo Conti *, come fratello.

Amico, o come fratello cariſſimo. Noi abbiamo avuto tutti grande allegrezza del voſtro condur la ſtampa in Cremona, quanto ſia poſſibile; perciocchè quella città ripiena veramente di Signori, gentiluomini, e di virtuoſi, è degna non ſolamente d' una impreſa tale, ma d' ogni maggior coſa ancora che poſſibil ſia. Ricordatevi, che vi ſono de' mirabili ingegni elevati, che abbia la noſtra età, dei quali uno è il Reverendiſſimo Monſignor VIDA: *al quale tale impreſa ſarà di comodità grande, e di diletto non piccolo a' ſuoi eccellentiſſimi ſtudj.*

JO. MATTHÆUS TOSCANUS *in Peplo Italiæ.*

VIDA Cremonenſis CHRISTEIDE illa divina, cæteriſque Carminibus ſatis nobilis, commendatione noſtra non indiget.

JOANNES SAMBUCUS *Dialogo II. de Imitatione a Cicerone petenda, pag.* 71.

Nam & Bembus, & Sadoletus, & Sannazarius, & VIDA in disjunctiſſimis argumentis maximo cum omnium præconio nihil non fere more Ciceronis, & Virgilii conſcripſere.

item pag. 149.

VIDA de CHRISTO, Sannazarius de Partu, itemque Zanchus, nonne oſtenderunt, Virgilium ad quævis judicio, & natura ſua flecti poſſe? Quam ſuavis, & jucunda eſt illa de Scacchorum ludo imitatio! de contagione & turpiori intemperantia Syphilus, & alia!

Ju-

* Hic in optimis libris ab ipſo Cremonæ non parum accurate editis, interdum vocatur *Contes*, & *Comes*, interdum vero *Conctus*. Ex hoc Doni fragmento colligitur, quam honeſta ſimul & ardua res ſit typographica ars; & a quam honeſtis viris, proavorum noſtrorum ætate, exerceretur. C. V.

Julius Cæsar Scaliger *Poetices Lib. VI. qui & Hypercriticus, pag. 308. 309. edit. in folio. inter iniquas aliquot de* Vida *cenſuras, hæc in ejus laudem profert.*

Majore apparatu conſtituendum eſt judicium de ſeptem, qui reliqui ſunt, poetis: Cerratum dico, Bembum, Politianum, Vidam, Pontanum, Sannazarium, Fracaſtorium. Tales enim tantique exſtitere, ut iis qui nunc degunt, magnam reliquerint difficultatem ad certandum de primo loco. — — M. Hieronymus Vida, etiam dum viveret, magni fuit nominis. nunc illum audio a pleriſque ſtatui noſtri temporis principem poetarum. — — Ab ejus igitur Poetica initium ſumere placet; eſt enim præclarum poema. — — — Præterea tanto majore laude, quam Horatius dignus eſt, quanto artificioſius de arte agit hic, quam ille. *deinde poſt plura.* — Multa nihilominus divina ſunt, atque omui majora obtrectatione. nam qualia illa quæ de emendatione! (*lib. 3. v. 476.*)

— — — — — mutataque ab illis
Carmina, quæ tantum ante recens confecta placebant.
Miratur tacitus, nec ſe cognoſcit in illis
Immemor, atque operum piget, ac ſe ſe increpat ultro.
Tum retractat opus, commiſſa piacula docta
Palladis arte luens. nunc hæc, nunc rejicit illa,
Omnia tuta timens, melioraque ſufficit illis,
Attondetque comas ſtringens, ſilvamque fluentem,
Luxuriemque minutatim depaſcit inanem,
Exercens durum imperium, dum funditus omnem
Nocturnis inſtans operis, operiſque diurnis,
Verſibus eluerit labem, & commiſſa piarit.

Quæ deinde ſequuntur, tanto ſtudio Virgilium imitandi perfecta ſunt, ut prope parem felicitatem aſſequuta eſſe videantur. nec deteriora Lucretianis, quorum ſpeciem ambiunt: (*ibid. v. 210.*)

Atque ideo ex priſcis ſemper quo more loquamur
Diſcendum, quorum depaſcimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.

Et illa non inſeriora: (*ibid. v. 153.*)

Namque aliqui exercent vim duram, & rebus iniqui
Nativam eripiunt formam indignantibus ipſis,
Invitaſque jubent alienos ſumere vultus.

— — Nunc ad Scacchiam tranſeamus. Inventio non inepta — — Rerum vero ἐμμέλεια feliciſſimi ingenii eſt. Stilus in parodia Virgiliana. Bombyx caſtigatior atque elaboratior, propiuſque accedens ad curam Poetices. is enim liber rex eſt librorum Vidæ. — — Christias vero meretur ſummam laudem. non enim niſi a viro pio atque etiam optimo proficiſci illa potuere. Dicat aliquis: Non hoc quærimus; poetam quærimus, quem hic profiteris. Mihi videtur (quamquam hoc quoque non caruit obtrectatoribus) in legibus diſponendi materiam, non poſſe quemquam meliorem operam poſuiſſe. — — Lectiſſimæ quidem inventiones ad comparationes: quibus, præter Oppianum, nemo omnium frequentius uſus eſt. in eis vero eſt & venuſtas, & robur, & candor, & efficacia. — — multi tamen inter alios exſtant illuſtriſſimi verſus, multi ingenioſiſſimi: ut ille,

Nec ſine Sole ſuo lux, nec ſine luce ſua Sol.

Sca-

Scaligerana *auctioris editionis pag.* 407.

Hieronymus Vida, excellentiſſimus poeta recentior cum ſequentibus, quorum nomina ſunt Pontanus, Politianus, Sannazarius, Flaminius, Molſa, Balthaſar Caſtilione us, Naugerius, Bembus, Sadoletus; inter quos Marullum locum habere patiar.

Obertus Gifanius *in Apologia pro Poetis Latinis pag.* 510. *ſuar. Obſervatt. in Ling. Lat.*

Jacobum Sadoletum, Baptiſtam Egnatium, Vidam Cremonenſem, Andream Alciatum, viros eruditiſſimos, omnique laude majores, quis non novit?

Guillelmus Eynsengreim *in Catalogo Scriptorum Catholicorum*.

M. Hieronymus Vida, Cremonenſis, Albæ Epiſcopus, vir ingenioſus, gravis, & ornatus moribus, Chriſtianæ Religionis obſervantiſſimus, facundus, *&c.*

Sixtus Senensis *lib. IV. Bibliotheca Sancta*.

Hieronymus Vida, Cremonenſis, ex Canonico Regulari Lateranenſi Albæ Epiſcopus, poſtea Virgiliani carminis incomparabilis imitator; primus fere omnium Latinorum Poetarum, vitam, reſurrectionem, aliaque Servatoris noſtri geſta ex IV. Evangeliis collecta, ſublimitate carminis Virgilianæ majeſtati proxima feliciſſime cecinit.

Jacobus Augustus Thuanus *Hiſtoriar. lib. XXXIX. ad annum* CIↃ IↃ LXVI.

Paullo poſt, V. Kalend. VIIIbr. Marcus Hieronymus Vida, Cremonenſis, ante XXXV. annos a Clemente VII. Albæ Pompejæ ad Tanarum Epiſcopus creatus, qui primus inter Italos poſt Jacobum Sannazarium poeticam ad res ſacras tranſtulit, & verſibus elegantiſſimis ac puriſſimis provinciam ſuam excoluit, in eadem qua vixerat, pietate placide ad DEUM migravit. Albæ in Eccleſia ſua ſepultus: eique poſtea a civibus ſuis, de quibus tam benemeritus erat, exſequiis in majore urbis templo magna frequentia celebratis, & publicis elogiis honorifice parentatum eſt.

Aubertus Miræus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis Saeculi XVI. cap. LXXXIII.*

„ Marcus Hieronymus Vida, Cremonenſis, ſummi ingenii vir, „ ſummæque doctrinæ; Poetarum ſcholæ Chriſtianæ facile princeps, heroi- „ co ſpiritu Maronem feliciter æmulatus fuit: quod ſatis ipſe teſtatum fecit „ illo inſigni Christiados opere, numquam ſatis laudato * „. Soluta quoque oratione pollens, reliquit duos *De optimo Reipublicæ ſtatu* Dialogos, in quibus Reginaldum Card. Polum loquentem inducit: ut utro dicendi charactere magis excelluerit, ambiguum ſit. Quod paucis noſtra memoria contigiſſe memini; in his fortaſſe, *M. Antonio Mureto*, & *Petro Angelio Bargæo*. Cice-

* Sunt ipſiſſima Nicolai Reuſneri verba in Iconibus.

Ciceronis carmina irridere noſter Vida certenon erubuit. (*De Republica Dignitate lib. I. pag. 45.*). De Arte quidem Poetica, poſt Stagiritam, & Flaccum, multa divinitus obſervavit. Inventionis, & diſpoſitionis tamen artificium quo in Chriſtiados libris uſus, omnibus æqualibus facile antecellit, ſcripto non prodidit; ſive quia priores tres illos de Poetica libros dedit, ſive potius ſtudio id texit, ingenioſo lectori obſervandum relinquens. Ex Canonico Regulari Congregationis Lateranenſis Epiſcopus Albæ Liguſticæ creatus, meriti ergo & virtutis doctrinæque ſingularis, Concilio Tridentino interfuit.

Abbas Ferdinandus Ughellus *Italia Sacra T. IV. in Epiſcopis Albenſibus*.

XLVI. Hieronymus Vida, (*a*) Cremonenſis, Canonicus *Regularis* Lateranenſis, Latinorum carminum gloria inclytus, a Clemente VII. Albenſis Epiſcopus electus eſt anno 1532. (*b*) die 6. menſis Feb. Hic, ut refert Sixtus Senenſis, adeo propiori imitationis gradu Virgilianam gravitatem ſecutus, atque aſſecutus eſt, ut nullus ante reperiatur, ac deinceps fortaſſe nullus futurus ſit, qui ad tam illuſtrem poeticam lauream æmulando aſpirare conetur. Primus fuit qui continuato opere, ſuiſque numeris abſoluto heroico carmine, CHRISTI Domini vitam, res geſtas, miracula, mortem, atque ipſum ab inferis redivivum cecinerit. Porrexit & alios plures heroicos Hymnos in laudem plurimorum Sanctorum; tum & Scacchiorum ludum; ac Bombycum ſtupendum naturæ magiſterium. Bucolicam (1) Epiſtolam ad Joannem Matthæum Gibertum: de Reipublicæ dignitate Dialogos: Carmen paſtorale in obitu Julii II. Pont. Max. Conſtitutiones Synodales: Martyrium (2) S. Dalmatii; & librum de Magiſtratu. Albenſibus præfuit 34. annos. Deceſſit anno 1566. die 27. Septembris. Sepultus in *ſua Cathedrali*. Hoc ei honorarium (3) elogium poſteri ſtatuerunt, ad ejus ſepulcrum aliquando incidendum.

Renatus Rapinus, *Soc. Jeſu, in Diſſertatione de Carmine Paſtorali, parte 3.*

Hieronymus Vida in ſuo Daphnide, & Corydone, ſuaque Nice perdiligens eſt, & emendatus, & nimium ſemper inquirens in ſe ſe; ejuſque carmen nimia Latinitatis religione quodammodo attenuatum. Latinum videlicet dici ſe volebat. Hinc illa exilitas, quam dedita opera ſectabatur; quod non quivis e turba, ſed is tantum qui ſit intelligens æſtimator, perſpicere poſſit. Eſt quoque ejus oratio interdum fili paullo uberioris quam ferat Ecloga.

Ja-

(*a*) A pluribus laudatur: quos inter a Ghillino, Theatr. volum. 1. pag. 167. Roſino, in Lyceo Lateran. t. 2. l. 11. p. 16. Imperiali, in Muſæo Hiſt. p. 35. & noviſſime ab Ariſio in Cremona Liter. t. 2. p. 100. & ſeqq. *Nota marg. Edit. Ven.* (*b*) 1533. 7. Febr. vacante Ecclesia per obitum Magiſtri domus Sanctiſſimi. *Acta. ibid.*

(1) Sic legendum: *Bucolica*, *Epiſtolam*. (2) Nihil aliud eſt quam Hymnus XXIV. eidem Martyri inſcriptus; quem etiam Laurentius Surius exhibet in ejus vita, & Cardinalis Baronius memorat in notis Martyrologii ad diem V. Decembris. (3) Quod lectoribus multo correctius quam antea legendum proponimus p. 357. hujus Voluminis, collatum etiam cum eo quod extat in Franciſci Swertii ſelectis Chriſtiani Orbis Deliciis; nam in Ughelli nuperrima Italiæ Sacræ editione fœdiſſime corruptum legitur. C. V.

Janus Broukhusius *pag. 178. edit. ſuæ Carminum Jacobi Sannazarii.*

Pios, & Chriſtianos multorum Hymnos habemus. Excellunt, poſt veteres, M. Hieronymus Vida, Jo. Franciſcus Picus, Petrus Bembus, Jo. Aurelius Mutius, noſter Sannazarius, M. Antonius Muretus, Franciſcus Bencius, Salmonius Macrinus, Hercules Strozza, Georgius Fabricius, Berlicomius, alii.

Idem ad illa Tibulli: .... lacrimis omnia plena madent. *v.54. Eleg.IX. Lib. I.*

M. Hier. Vida, perfectiſſimus poeta, Hymn. JESU CHRISTI v. 8.
Tunc etiam; ſed jam erumpit mihi pectore fletus,
Et lacrimas oculi fluminis inſtar agunt.

Cl. Franciscus Arisius *Cremona Literata T. II. pag.* 109.

Ceva (Thomas) e Soc. Jeſu in ſuo poemate de Puero Jeſu, Proluſ. ad Lectorem, Vidam noſtrum Jacobo Sannazario, Capoleoni Ghelfuccio, aliiſque magni nominis vatibus parem facit; cujus potiſſimum exemplum ſe aſſerit in ſcribendo fuiſſe imitatum, quinimmo diſerte fatetur, atque ingenue.

Justus Vicecomes (*ſeu alius qui ſub hoc nomine latitat*) *in Diſſertatione pro Bernardino Corio Mediolanenſi Hiſtorico pag.* 63. *inter nonnulla fabuloſa de* Vida, *hæc in ejus laudem pronuntiat:*

Vatem fuiſſe Vidam, & magni nominis vatem, mihi certe non latet, & pleno ore profiteor..... Hinc ſcio, doctiſſimum Pontificem Leonem X., viſo Christiadis Poemate, quod ejus juſſu conficiebat Vida, præ admiratione, ac gaudio in hæc carmina erupiſſe:
Cedite Romani ſcriptores, cedite Graji.
Neſcio quid majus naſcitur Æneide.
Scio etiam, in publico Bononienſis urbis Archigymnaſio factam fuiſſe tanti vatis Opera viventis adhuc legendi facultatem; quo honoris charactere pauciſſimis datum eſt frui: quum literatis viris nonniſi ſera, ut plurimum, & diu poſt cineres, gloria accedat. Scio quoque, in tam inſignis poetæ laudem varia diverſi moduli numiſmata circumferri, quorum aliqua ejus effigiem in antica præferunt cum inſcriptione: Hieronymus Vida: in poſtica vero parte eminens Pegaſus videtur cum lemmate: QVOS AMARVNT DII. Alia denique ſcio, & libentiſſime fateor; quæ omnia abunde ſatis evincunt, quantum in poetica facultate excelluerit, ut etiam *Chriſtiani Virgilii* nomine paſſim inſignitus occurrat. *item pag.* 65.
Contra, M. Hieronymus Vida inter melioris notæ poetas merito recenſetur: nec ei Mediolanenſium aliquis debitam hanc gloriam in dubium umquam revocavit...... Immo laudatum epica in facultate a plurimis noſtrorum civium Vidam comperio; quos inter locum habet quoque clariſſimus Vates, ac celeberrimus Mathematicus P. Thomas Ceva.

Vincenzo Gravina, Giuriſconſulto, della Ragion Poetica lib. I. cap. XXXVIII. Di Girolamo Vida.

Quel ſoggetto di cui il Sanazzaro abbracciò ſolo una parte, tutto intero nella ſua Cristeide *abbracciò* Girolamo Vida, *il quale tolſe quanto era*

di auguſto in terra, qual' è la Latina, e la Conſolar favella, e la poetica grandiloquenza, ed all' eſpreſſion l' eſaltò di quanto è più auguſto nel cielo, qual' è la ſtoria di CRISTO, *e ſua dottrina: alla cui verità il* VIDA, *con ingegnoſo intreccio di narrazione, accompagnò il diletto, e curioſità, che naſcer ſuole dalla imitazion d' Omero: il di cui* ὕστερον πρότερον *egli ſeppe ingegnoſamente traſferire nella vita di* CRISTO; *della quale il mezzo nel principio, e 'l principio nel mezzo collocò, ponendo in bocca di S. Gioſeffo, e S. Giovanni, mentre all' interrogatorio di Pilato riſpondono, sì la naſcita, come i miracoli, e le geſta che precederon la ſua paſſione, per eccitare ne' lettori, colla continuazione, e perſeveranza di un ſolo ſoggetto, l' attenzione, e piacere della varietà. Ed a torto è ripreſo il* VIDA, *con altri a lui ſimili, di aver veſtito gli Angeli* * *di militari inſegne, e d' umane paſſioni, alla ſoggia che Omero i ſuoi Numi rappreſenta: poichè nè il* VIDA *applica agli Angeli altre paſſioni che temperate, e trapaſſare in virtù, come da lodevol fine eccitate; nè ſi dee negare al poeta, che dipinge colle parole, quel che ſi concede a chi dipinge co' colori: dal quale veggiamo gli Angeli di figura, moti, ed affetti umani eſſere atteggiati. E ſe Dio, il quale è immutabile, ed imperturbabile, pur ne' libri de' Profeti, e di Mosè, da pentimento aſſalito, e d' ira perturbato, a noi ſi rappreſenta, per conſentire all' imbecillità dell' umana fantaſia, la quale non ſa i varj effetti d' un' infinito, ed eterno provvedimento ad altre cagioni applicare che a quelle delle quali ella ha dalla propria natura l' idee; perchè toglieremo al* VIDA *quella libertà di cui avea da' ſacri libri l' autorità, e l' eſempio? La quale ſcuſa non ſolo al* VIDA *conviene, ma a tutti gli altri poeti di quel felice ſecolo, quando le pubbliche ſcuole dell' Italia non aveano cangiato ancor ſorte, ed al culto della noſtra Religione ſi chiamavano le grazie poetiche, e la maeſtà della lingua Latina, che da lungo tempo dovea tal miniſterio a quella Religione dalla quale, coll' autorità ſuprema, ed eterna della Romana Chieſa, e col depoſito de' divini miſterj, ha ricevuta quella immortalità che in vano dal merito de' ſuoi maraviglioſi ſcrittori, e dalla infinita eſtenſione del ſuo profano imperio ſi prometteva: non potendo nè lingua, nè inſtituto alcuno in perpetuo durare, ſe non è colla Religione inneſtato. In queſto poema il* VIDA, *più che in ogni altro ſuo componimento, traſportò delle locuzioni, e numeri Lucreziani; come quelli che per la priſca maeſtà loro, più che il Vergiliano ſplendore, alla grandezza del ſuggetto convenivano. Negli altri poemi, per la maggior libertà che gli porgeva la materia, ſparſe egli maggior copia di lumi poetici, come (per non parlar delle Odi, Inni, ed Eglogbe) nel* BOMBICE, *negli* SCACCHI, *ed in quello dove l' autore benchè utiliſſimi precetti raccolga della Poetica, pur' è molto più lodevole per la ſua poeſia.*

Qui plura alia ad VIDAM ſpectantia legere cupit, evolvat Volumen II. Cremonæ Literatæ Cl. Viri Franciſci Ariſii, excuſæ Parmæ 1705. in fol. a p. 100. ad 117.

CA-

---

* Profecto qui hæc reprehendunt, numquam legiſſe videntur caput V. lib. II. Machabæorum; ibi enim 4. primis verſ. hoc legitur:

1 *Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem paravit in Ægyptum.* 2. *Contigit autem, per univerſam Jeroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos,* 3. *& curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum.* 4. *Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra converti.* Quæ omnia ſic vere apparuiſſe omnino credendum eſt; quod eſt aliquid amplius, quam poetas his ſimilia fingere. Multis etiam aliis in locis Sacrarum Literarum fit mentio armorum, militiæ, præliorum, & legionum Angelorum. C. V.

CATALOGUS

CHRONOLOGICUS

Editionum Operum Poeticorum M. HIERONYMI VIDÆ
variis obſervationibus illuſtratus a C. V.

1520. die 27. Martii. M. HIERONYMI VIDÆ (1) POETICA excuſa fuit Cremonæ, ex decreto Generalis Conſilii Cremonenſis, ære publico, typis aſſiſtentibus Daniele Cajetano, & Franciſco Concoretio, ambobus ex Didaſcalis Cremonenſibus, ut patet ex libro inſcripto: *Proviſionum anni* 1520. in Archivio ſervato. *Vir Cl. Franc. Ariſius in Cremona Lit.*

1527. M. HIERONYMI VIDÆ, Cremonenſis, de ARTE POETICA lib. III. de BOMBYCE (2) lib. II. de LUDO (3) SCACCHIORUM lib. I. HYMNI, (4) & BUCOLICA. Romæ, apud Ludovicum Vi-

 cen-

(1) Libros Poeticorum VIDAE verſibus Italicis quos *ſolutos* appellant, olim reddidit Nicolaus Mutonus, neſcio quis; at iratis profecto Muſis, & Apolline lævo. Illud quidquid eſt laboris, typis excuſum in 8. prodiit in vulgus hoc præfixo titulo: *Poetica del diviniſſimo MARCO HIERONYMO VIDA, d' Heroici Latini in verſi Toſchi ſciolti traportata, da M. Nicolò Mutoni. Al Reverendiſs. Monſignor Decano M. Silveſtro Gigli, Nobiliſſimo Lucchese.* In eo libello nec locus, nec tempus editionis, neque adeo typographi nomen uſquam comparet; e ſigno tamen impreſſo conjicere licet, editum fuiſſe Venetiis apud Joannem Gryphium. Sane, ſi quid video, non erat, cur a Paulo III. Pont. Max. & a Senatu Veneto peterentur, atque impetrarentur privilegia ad annos decem, de quibus in prima libri fronte mentio fit: nullum enim periculum, aut ego fallor, Gryphio imminebat ab aliorum typographorum *avaritia*: quod contingere ſolet quum de inſignibus præſtantium virorum operibus agitur. In eadem porro tela ornatius, & accuratius texenda, vertendis nimirum Etruſco carmine VIDAE Poeticis, jampridem laborare accepi, juvenem literarum laude florentem, Joannem Antonium Verdanum, quem honoris cauſſa nomino.

(2) Theophilus Folengus, libro I. ſui Poematis Italici cui titulus: *Humanitas* CHRISTI.

Verranno i quattro miei ſeguaci, donde
Le coſtui prove in numer fien cantate,
Il Folgo, Sanazzaro, e chi le fronde
Sfronda del moro a' ſuoi BOMBICI date;

Scipio Capeccio del Giordano all' onde,
(Poich' ivi avran le Muſe a ſe chiamate)
Canterà del Batiſta, e in mezzo a loro
Terrà la palma, e ſprezzerà l' alloro.

(3) Aloyſius Maſurius in Gallicum vertit SCACCHIAE ludum, & Lugduni formis dedit 1557. idem fecit Vaſquinus Philieulus, & impreſſit Pariſiis. *Ex Bibliotheca Exotica pag.* 206.

SCACCHIORUM item liber Italicis carminibus verſus fuit a ſequentibus, variiſque in locis excuſus, his titulis: *Battaglia de' Scacchi di Monſignor Vida tradotta in verſi ſciolti da M. Nicolò Mutoni* (utinam felicius quam Poetica!) *in Roma* 1544. *Ridotta in ottava rima da Girolamo Zanucchi da Conigliano. In Trevigi, preſſo Angelo Mazzolini* 1589. *in* 8. ch. maj. *Tradotta in ottava rima da Coſimo Grazzini. in Firenze preſſo i Giunti*; & alibi. *La SCACCHEIDE di GIROLAMO VIDA tradotta* (& pereleganter, ut ajunt,) *in ottava rima dall' Accademico Innominato Imperfetto* (qui putatur Sebaſtianus Martini, J. C. Faventinus) *in Faenza* 1616. C. V. Camillus etiam de Sitonis ſenior, Mediolanenſis, an. 1590. Italicis carminibus vertit libros de BOMBYCIBUS, & SCACCHIADUM, quorum MS. penes Camillum J. C. ejus nepotem ſervatur. *Fr. Ariſius in Crem. Lit.*

(4) Scilicet IV. tantum, hiſce titulis: *Divo Auguſtino, Canonicorum Regularium inſtitutori, apud quos ipſe VIDA ſanctiſſime educatus eſt:*

Ut te, Dive potens Libyæ, nunc pectore toto *&c.*

Divo

centinum, anno a Chriſti natali 1527. menſe Majo. Editio eſt nitida, luculenta, & perpulchra; cujus exemplar in pergamena excuſum ſervatur Venetiis in Bibliotheca honeſtiſs. viri Joſephi Smith, Angli. Hieronymus Niger in quadam epiſtola Italice ſcripta ad M. Antonium Michaelium, quæ legitur Tomo I. Epiſtolarum Principum ad Principes, hæc habet de hac VIDÆ Carminum editione: *Queſta ſettimana che viene, ſaran finiti di ſtampare i libri della Poetica del* VIDA, *con certi altri ſuoi verſi, cioè di Scacchi, ed Egloghe, ed Inni. Si ſtampano in una belliſſima lettera corſiva, un poco groſſetta, acciocchè non facian male agli occhi del Beazzano. La* CRISTIADE, *che ſaranno ſei libri*, premetur in duodecimum annum. *Vuol prima, che ci faziamo di queſta (5) del Sanazzaro. XI. Aprile* 1527.

1534. Hæc VIDÆ Carminum editio recuſa fuit Baſileæ. in 8.

1535. M. HIERONYMI VIDÆ, Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, CHRISTIADOS (6) libri ſex. Cremonæ, in ædibus Divæ Margaritæ, anno a partu Virginis 1535. menſe Octobri: Ludovic. Britan. impr. in 4. Editio princeps, luculenta, &, ut ea ferebant tempora, non inelegans.

1537. Repetita editio Venetiis, apud Melchiorem Seſſam. in 12.

1537. CHRISTIADOS libri VI. de ARTE POETICA lib. III. de BOMBYCE lib. II. de ludo SCACCHORUM, HYMNI, cum nonnullis aliis. BUCOLICA. EPISTOLA ad Jo. Matthæum Gybertum. Lugduni, apud Seb. Gryphium. in 8.

.... Venetiis, apud Aldum. in 8. *Ex catalogo Bibliothecæ Heinſianæ*; quæ editio,

---

Divo Stephano Martyri, pro Jo. Matthæo Gyberto:

Diis alii laudes aliis, & carmina dicant: *&c.*

Divæ Margaritæ Virgini:

Nunc te, Diva, canam, quando tua templa ſacerdos *&c.*

Diis Cælitibus, ut Henrico VIII. Angliæ regi filium a Deo impetrarent: qui poſtea Hymnus a VIDA ipſo ex Carminibus ſuis expunctus fuit: legitur tamen in *hac* noſtra editione, Vol II. pag. 561. ubi hujus Hymni reſtituendi cauſſam afferimus.

Et ii dumtaxat ſunt quos Julius Cæſar Scaliger plebejos appellat. Vide Præfationem noſtram in hujus Poetæ Carmina. Cæterum de toto HYMNORUM libro a VIDA Cremonæ anno 1550. primum vulgato, conſule Faballi Orationem, pag. 545. & teſtimonium anonymi pag. 563. hujus Volum. II.

(5) Hæc videlicet ſequenti titulo: *Synceri de Partu Virginis*, anno ſuperiore primum excuſa fuerat cum Piſcatoriis Eclogis, *In ædibus Illuſtriſs. Viri Andreæ Matthæi Aquivivi, Hadrianorum, Interamnatumq. Ducis, per Antonium Fretiam Corinaldinum civemq. Neap. ſummo ingenio artificem. ac fideliter omnia ex archetypis Actii Synceri ipſius manu ſcriptis. Anno M.DXXVI. Majo Menſe, Neapoli*. in parvo folio, admodum nitide, & luculenter. De quo rariſſimo libello, Bononia nobis proximis hiſce diebus ab Alexandro Branchetta, viro pereruditο, noſtrique amantiſſimo, dono miſſo, plura aliquando fortaſſe verba facturi ſumus.

(6) VIDÆ CHRISTIADAM Italicis verſibus hendecaſyllabis, ὁμοιοτελεύτων lege ſolutis expreſſit Camillus Bernardus, Cremonenſis, XVI. ſæculo a V.P. exeunte: cujus operis MS. codex chartaceus in 4. Ravennæ cuſtoditur in inſtructiſſima, lectiſſimaque Claſſenſi Bibliotheca quam ibi excitavit atque collegit Vir Cl. PETRUS CANNATUS, ejus cœnobii Abbas: qui menſe Octobri anni ſuperioris, quum Generalis, ut vocant, Monachorum Camaldulenſium Ordini præeſſet, e vivis excedens, magnum bonis atque eruditis omnibus, ob eximiam doctrinam, morumque probitatem qua præditus erat, ſui deſiderium reliquit: maximum vero nobis luctum attulit: qui ei multis de cauſſis plurimum debebamus: cujuſque inſcripto nomine noſtram hanc VIDÆ Poematum editionem honeſtare cogitabamus. Μεταφράσεως Bernardianæ ſpecimen nobis Ravenna miſit, vir pietate, literarumque amore ſpectatiſſimus, D. Mariangelus Fiacchius, Claſſenſi Biblio-

tio, ſi exſtat, facile Gryphianam, jam memoratam, ætate anteceſſerit: at pauciſſimis adhuc, immo nullis, quod ſciamus, oculis uſurpata.

1537. Recuſa editio Gryphiana, vel Aldina, Baſileæ apud Robertum Winter. in 8.

1538. Iterata editio, at innumeris erroribus inſperſa, Venetiis, per Melchiorem Seſſam. in 8. menſe Novembris. In hac unica editione, quod nobis conſtet, exſtant ſinguli indices in ſingula VIDÆ opuſcula, qui in hac noſtra melius digeſti, emendati, & mirum in modum auƈti, & in duos tantum diſtributi fuerunt. Indices iſti fortaſſe ex Baſilienſi editione Venetiis fuerunt deſcripti.

1541. Item Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium. in 8. In hac, & ſuperiori editione, & in aliis fortaſſe, legitur Hymnus DIVIS CÆLITIBUS pro Heurico VIII. Angliæ rege, qui in poſterioribus expunƈtus fuerat, at in hac noſtra reſtitutus eſt, pag. 161. Vol. II.

1546. ECLOGÆ III. M. HIERONYMI VIDÆ exſtant inter XXXVIII. Bucolicorum Auƈtores, ſimúl editos, & excuſos a Joanne Oporino Baſileæ. in 8. pag. 477.

1549. M. HIERONYMI VIDÆ CHRISTIADOS libri VI. Antuerpiæ. in 8.

.... Iidem libri VI. CHRISTIADOS leguntur etiam in libro cui titulus: *Pii, graves, atque elegantes Poetæ aliquot, nune primum ad piæ juventutis, & ſcholarum utilitatem conjunƈti*. Baſileæ, per Joan. Oporinum, perpulchro charaƈtere, ſine ulla temporis nota. in 8. Sunt autem poetæ, Aƈtius Syncerus Sannazarius, M. HIERONYMUS VIDA, † Aonius Palearius, M. Antonius Flaminius, * Sebaſtianus Caſtalion; quorum tantum ſacra Carmina in hoc volumine excuſa fuere. Orgetorix Sphinter (monſtrum nominis!) in hujus libri præſatione ad Joannem Oporinum inducit Jacobum Sadoletum laudes IV. priorum poetarum ſic enumerantem: *In Aƈtio motus animi celeres, dicebat ſe videre: In Aonio, numerorum omnium obſervantiam: in* VIDA, *diligentiam, ut nihil homini a Marone ſit obſignatum atque occluſum: in Flaminio, mirificam pietatem*. &c. & poſt poetarum catalogum hæc ſubjungit: *Hoſce igitur vere poetas, divinoſque vates, accipite, adoleſcentes optimi, voſque quibus illi erudiendi, & bonis puriſque literis perpoliendi traditi ſunt, ut una cum literarum elegantia veris, ideſt Chriſtianis, ſenten-*

---

bliothecæ præfeƈtus, qui & eam optimis libris locupletare, & Typographiam Cominianam novis in dies beneficiis augere non deſinit. Id autem hujuſmodi eſt:

Della CRISTIADE del VIDA libro I

Chi 'l ciel, chi 'l mar', e chi la terra comple
Almo Spirto di Nume, a me, tuo dono,
Lecito ſia qui di cantar' il Rege
Due volte generato, che diſceſe
Dalla ſuperna ſua ſede nell' alvo
D' una Vergin' intatta; e pargoletto
Ivi l' aura mortal' aſſunce volſe,
Sol per ſottrar da carcere crudele
L' uman gener' in tanto, e per addurre
L' alme de' pii con la ſua morte in ciele:
Queſto di ſue voler per li peccati
Degli uomini morendo, egra la terra
Crollaſſi; e tetro il Sol dalle ſue cime
Si vergognò mirar': orribilmente
Di non ſolito error s' ingombrò il mondo.
Sia a me conceſſo di te, Duce degno
D' immortal coſe ſol, con mortal bocca
Parlar'; e gli occhi al ciel talvolta alzando
Prender l' eterea luce, e dal tuo ſommo
Padre i conſigli; e di sì dira morte
Trattar frattanto le cagioni indegne.
Già del morir vicine eran le mete,
E ſovraſtava il ſin dell' opre a CRISTO. ec.

†* Aonius tamen Palearius, & Sebaſtianus Caſtalion ab Eccleſia Romana merito in auƈtorum damnatorum numerum relati ſunt.

tiis imbuantur, & Muſis caleſtibus a teneris aſſueſcant. Nam hi multo verius, quam is qui dixit, illud de ſe poſſunt dicere:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Spiritus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Nec eſt quod veteres illos deſideretis, ſi veras poetæ virtutes intuemini.

1550. M. Hieronymi Vidæ Carmina ex ſupra memoratis editionibus repræſentata. Venetiis, apud Petrum Boſellum. in 16.

Deinceps ſequuntur Editiones omnino perfectæ; & ſi occurret aliqua differentia, de ea monebimus Lectorem.

1550. Marci Hieronymi Vidæ, *Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Opera, quorum catalogum ſequens pagella continet:*

MARCI HIERONYMI VIDAE
CREMONENSIS ALBAE EPISCOPI
POEMATA OMNIA TAM QVAE AD CHRISTI
VERITATEM PERTINENT QVAM EA
QVAE HAVD PLANE DISIVNXIT A FABV-
LA VTRAQ. SEORSVM AB ALTERIS

PRIMO LOCO CONTINENTVR HYMNI DE
REB. DIVINIS NVNC PRIMVM EDITI
CHRISTIADOS LIB. VI.

SECVNDO AVTEM VOLVMINE
DE ARTE POETICA LIB. III.
DE BOMBYCE LIB. II.
SCACCHIA LIB. I.
BVCOLICA ECLOGAE III.
CARMINA DIVERSI GENERIS
PLERAQ. NON ANTEHAC EDITA

CVM INTERDICTIS
IVLII III. PONT. MAX.
CAROLI V. ROMANOR. IMP.
SENATVS VENETI
AD BIENNIVM

Cremonæ. 1550. *in* 8. *Præmittitur imago Cremonæ triumphantis, in ligno non ineleganter inciſa.* In calce legitur: *Quæ* Vida *agnovit*, &c. Vide pag. 156. II. Vol. huius noſtræ editionis.
Cremonæ. In ædibus Divæ Margaritæ, anno a partu Virginis MDL. menſe Novembri, Jo. Mutius, & Bernardinus Locheta impr.
Hæc editio, noſtro quidem judicio, omnium emendatiſſima eſt, utpote ab ipſo auctore procurata; mala tamen interpungendi ratione laborat. Hanc nos ſumma cum fide expreſſimus; eo tamen vitio ſublato.

1553. Recuſa ſola Christias Antuerpiæ. in 8.

1554. Editio perfecta Carminum Vidæ, Lugduni, apud Seb. Gryphium. in 16. in qua legitur Carmen quoddam paſtorale, *Quercens* inſcriptum,

in

Digitized by Google

in quo deploratur mors Julii II. Pont. Max. a Myrtilo, Coryleto, Vitiſco. Id nonnulli Poetæ noſtro tribuunt.

1556. Lugduni item recuſa, apud Antonium Gryphium. in 16.

1566. Antuerpiæ. in 12. apud Philippum Nutium. Editio venuſta, at parum accurata.

1567. Antuerpiæ iterum, apud Chriſtophorum Plantinum. in 16.

1569. M. Hieronymi Vidæ, Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Christias, Presbytero Bartholomæo Botta, Canonico Papienſi, interprete. Ticini, apud Hieronymum Bartolum. in folio. Hunc librum dicavit Botta Hippolyto de Rubeis, Epiſcopo Ticinenſi; ubi etiam in libri veſtibulo nonnulla de Vidæ vita, nec non ejuſdem elegans ad Bottam * Epiſtola legi poſſunt.

1571. Vidæ Carmina omnia Venetiis, apud Chriſtophorum Zanettum. in 16.

1578. Antuerpiæ, ex officina Chriſtophori Plantini, architypographi regii. in 16. verſuum numeris additis.

1581. Cremonæ. in 8. in cujus calce hæc habes· *in civitatis palatio, anno a partu Virginis 1581. menſe Julii, ex ſuperiorum conſenſu. Apud Chriſtophorum Draconium, & Thomam Vachellum ſocios.* Hæc eſt perquam ſimilis alteri Cremonenſi an. 1550. niſi quod Hymni (qui dicuntur XXXVIII. quum re vera ſint XXXVII.) ponuntur poſt Christiadem; & rotundo excuſa eſt charactere, at non ſatis emendata.

1581. Lugduni Antonius Gryphius Plantinianam anni 1578. deſcripſit. in 16.

1581. Pariſiis, apud Mathurinum Prævoſt, edente Claudio Verterio, qui in hac editione Eclogam adjunxit cui titulus *Aphatarques*. in 8.

1586. Brixiæ, apud Vincentium Sabbium. in 8.

1605. Scacchia exſtant in Iſagoge Lucæ Wielli de Scacchiæ ludo. Argentorati, apud Paulum Lederoy.

1619. Bombycum libri II. leguntur in Amphitheatro Dornavii, Hanoviæ edito typis Wechelianis; Tomo I. pag. 162. ubi etiam legitur Scacchia ludus, pag. 650. qui reperitur quoque

1649. Tomo III. lib. 30. pag. 703. Encyclopædiæ Alſtedii, editæ Lugduni 1649.

1722. Marci Hieronimi Vidæ, *Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Poematum quæ haud plane disjunxit a fabula Pars I. continens de* Arte Poetica *libros III.* Bucolica; & Epistolam *ad Joannem Matthæum Gibertum. Edidit, Annotationes adjecit, & in Poeticam Argumentum Thomas Triſtram, A. M. Coll. Pemb. Oxon. ſocius. Oxonii, e typographeo Clarendoniano, MDCCXXII. typis Academicis.*

Cum Auctoris effigie a G. Vertue in æs inciſa, qui etiam literas initiorum, & alia plura elegantiſſimæ, & luculentæ hujus editionis ornamenta elaboravit.

1723. M. Hieronymi Vidæ, *Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Poematum quæ haud plane disjunxit a fabula Pars altera, continens* Bombycum *libros duos,* Scac-

---

* Quæ Epiſtola legitur etiam pag. 129. Tomi II. hujus editionis Cominianæ, in quam præterea tranſtulimus initio Tom. I. Jo. Auguſti Bottæ. Bartholomæi fratris. Argumenta in ſingulos Christiados libros, quæ in hac Ticinenſi reperiuntur.

Etiam Hieronymus Macchiavellus, de Lugo, Commentaria ſcripſit, & Argumenta in Vidæ Christiadam; quæ MSS. exſtant apud Vir. Cl. Franciſcum Ariſium, Cremonæ, donum celeberrimi Viri Ab. Petri Cannati.

SCACCHIAM *ludum*, & CARMINA *diverſi generis. Edidit Thomas Triſtram, A. M. Coll. Pemb. Oxon. ſocius. Oxonii, e typographeo Clarendoniano.* 1723. *typis Academicis.*

Quæ duæ partes unicum volumen conſtituunt, in cujus calce exſtat catalogus eorum qui, ut facilius hic liber excuderetur, nomen dederunt, opemque contulerunt, & Epitome vitæ Poetæ, quam nos quoque, (melior enim non exſtabat) in noſtram editionem tranſtulimus.

1725. MARCI HIERONYMI VIDÆ, *Cremonenſis, Albæ Epiſcopi*, CHRISTIADOS *libri ſex. Edidit Eduardus Owen, S. T. B. Coll. Divi Jo. Bapt. Oxon. ſocius. Oxonii, e typographeo Clarendoniano.* in 8. ch. maj. adjectus eſt materiarum index.

Fruſtra adhuc eruditi HYMNORUM volumen exſpectarunt, & fruſtra in poſterum etiam, ut ego quidem ſuſpicor, exſpectabunt, quum non ſit ex Anglorum religione illos recudere, quamquam ſublimes, candidos, & elegantes; ſine quibus tamen manca erit hæc editio, & a noſtris parum expetetur.

1726. Tomo XI. Carminum Illuſtrium Poetarum Italorum, Florentiæ editorum in 8. leguntur HYMNI VIDÆ, SCACCHIA, & alia nonnulla. Exſtant etiam VIDÆ Carmina in plerique antiquis Collectionibus; præſertim Ranutii Gheri, ſeu Jani Gruteri.

Conſule etiam XXXI. pagellarum libellum in 8. cui titulus: *Axiopiſti Philophili, Cremonenſis, (ſeu Petri Canneti) ad Franciſcum Ariſium, Patricium optimum, patriæ a ſervandis ordinibus præfectum, V. C.* in quo VIDA ab aliquorum calumniis defenditur.

Præter illud in hac noſtra editione bis exhibitum, aliud VIDÆ Numiſma circumfertur, cum effigie, & nomine ex antica parte: & cum hac inſcriptione ex poſtica: NON STEMMA, SED VIRTVS. cujus meminerunt Paullus Maria Terzagus, & Petrus Franciſcus Scarabellus in Muſæo Septaliano.

VIDÆ Effigies affabre picta exſtat in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani, & in Muſæo Magni Ducis Etruriæ; necnon in Academiis, & Gymnaſiis multis. *Cl. Ariſ.*

FINIS TOMI SECUNDI.

Erra-

Errata *ſic* *Corrigito.*

T. I.	pag. 238. v. 737. immitis	immittis
	pag. 311. v. 43. ac riter	acriter
	pag. 312. v. 73. petranſeat	pertranſeat
	pag. 400. v. 163. Pythecuſæque	Pithecuſæque
T. II.	pag. 38. v. 452. compreſſus, & omnis	compreſſus & omnis
	v. 456. ſubjecerint	ſubjecerit
	pag. 117. v. 531. equidem *in aliq. exempl.*	equitem
	pag. 166. Carm. liber *in aliq. exempl.*	libro

In libris de Reipublica dignitate.

pag. 7. lin. 14. auguſtiſſmam	auguſtiſſimam
31. tu te	tute

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Appròvazione del P. Frà Gio: Pellegrino Galaſſi, Inquiſitore di Padova, nel Libro intitolato: *Marci Hieronymi Vidæ, Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Opera*, non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 6. Settembre 1730.

(Carlo Ruzzini Cav. Proc. Rif.
(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Giovan-Pietro Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Frà Gio: Pellegrino Galaſſi, Inquiſitore di Padova, nel Libro intitolato: *Marci Hieronymi Vidæ, Cremonenſis, Albæ Epiſcopi, Dialogi de Reipublicæ Dignitate, impreſſi Cremonæ anno* 1556. non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 25. Gennaro 1730. M. V.

(Carlo Ruzzini Cav. Proc. Rif.
(Alviſe Piſani Cav. Proc. Rif.
(Giovan-Pietro Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

Digitized by Google

Digitized by Google



PATAVII. CIƆIƆCCXXXI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google